LONDINI
Apud Henricum Faithorne, et Iohannem Kersey, in Cæmeterio
D. Paul. 1684.

216

Antonii Le Grand (Auctoris Pontificij,
vide pag. 329. 359. 360. 363. 349. &c. et in multis
vid. pag. 327.

HISTORIA SACRA

A

MUNDI EXORDIO

AD

CONSTANTINI MAGNI

Imperium

DEDUCTA.

LONDINI,
Impensis *Henrici Faithorne*, & *Joannis Kersey*,
ad Insigne *Rosæ* in Cœmeterio D. *Pauli*,
MDCLXXXV.

Nobiliſſimo ac Præſtanti

VIRO

HENRICO WALDEGRAVE

Equiti Aurato ac Baronetto, &c.

Magnum quid me hic moliri fateor, Generoſiſſime Domine, *& aliorum etiam fortè Judicio, Viribus meis impar; dum* Sacræ Hiſtoriæ *ſeriem tradere aggreſſus, Eccleſiæ Militantis primordia, Hebræorum mores, Judæorum vitia, Meſſiæ imperium, ac demum ipſius Sectatorum facinora rudi penicillo delineare audeo. Sed Facti temeritatem Vatum, Evangeliſtarumque exemplo diluent, qui jamdudum*

id opus adorsi, facem prætulerunt. Quis præclaros hos Duces secutus aberrare, quis Eorum vestigiis hærens, evagari verebitur? An autem Eorum Mentem probè assecutus sim, Tuo, Doctorumque judicio decernendum relinquo, qui Sacris Voluminibus *operam navant, abstrusioraque Prophetarum Arcana attentiùs rimantur. Mihi, alius, hoc in opere, scopus non est, quàm Priscorum facta, memoratu digna referendo, Proximorum utilitati consulere, eosque ad Dei cultum stimulare, qui ad Pietatem Exemplo potiùs, quàm Instinctu, aut Præceptis ducuntur. Est enim Bonorum Exemplum, ad Virtutem illex, Sanctitatis fomes, Religionis thesaurus, & ut cum* Tertulliano *dicam,* Maturum Evangelium.

Nam id peculiare Sacri Scriptores obtinent, ut præter Res gestas, quas publico Ærario reponunt,

nunt, cæteros Mortales muneris sui admoneant, prævos mores lacessant, bonos autem foveant, ac tueantur. Hinc Scelerum pœnas, isthinc Virtutum præmia ingerunt, ut Has venari, Ista horrere posteri discant, & emitantur. Sacros enim Codices *haud perperam quis* Epistolam *cœlitùs dimissam appellaverit, in qua Dei Consilium Dei verbis cernitur, & in qua quicquid à nobis postulatur, liquet ac innotescit.*

Quamobrem, Nobilissime Domine, *cùm Sacrarum litterarum studio tam gnaviter incumbas, Earumque Mysteria perpetuò scruteris, quid mirum, si adhuc Juvenis, actis antè Seculis vixisse videaris, & illa callere, quæ Seniores fugiunt? Verùm, in laudes Tuas expatiari, nec me decet, aut juvat, ne in Vitium Amor currat, aut Adulationis suspicione,*

Affectio polluatur. Hunc igitur Librum benignè accipe, licet Mole exilem, ſed Rebus, quas continet, Magnum, *& propenſi erga Te Animi mei Monumentum. Interim fœlicibus cœptis dextrum Numen aſpiret, & quæ ultrà meditaris, ex ſententia ſuccedant. Id à Bonorum omnium Largitore Deo, precibus contendit*

Tibi Addictiſſimus

Antonius Le Grand.

Præfatio ad Lectorem.

1. ITa ad Humani Generis emolumentum *Hiſtoria* confert, ut vix ei quicquam inter litteraria munera, elogio comparetur. Hinc apud Veteres, Sapientiæ parens, individua Prudentiæ comes, Lux Veritatis, Vitæ Magiſtra, Temporum teſtis paſſim audit; quòd Rebus obſcuris ſplendorem, fidem Dubiis conciliet, & quod arduum eſt, Vetuſtis novitatem, Obſoletis nitorem, Novis authoritatem aggerat, & impertiatur. Verùm, ut *Hiſtoria* fidem mereatur, duabus legibus adſtringi neceſſum eſt. *Prima*, ne quid falſi prodere audeat. *Secunda*, ne quid veri non audeat: ne qua gratiæ, quemadmodum Romanus Orator loquitur, ne qua ſimultatis in ſcribendo ſuſpicio ingruat. Cùm autem nonnulli, nimiùm in Contentionem proclives, prædictos canones *Sacræ Hiſtoriæ* denegare pertimeſcant, quoſdam ejus Scriptores in dubium vocant, ſe ejus firmitatem conculſiſſe rati, ſi quos Veteris Teſtamenti Librorum authores ætas noſtra agnoſcit, inter

inter ignotos ablegent. Unde *Moſes*? inquiunt, Ubi eam Doctrinam adeptus eſt, ut de Rerum incunabilis, maximè inter Græcos Philoſophos controverſis, certò differeret? Quî compertum, hos, quos manibus libros terimus, *Moſis* eſſe? Quid ſi ejus nomen dumtaxat præferant, cùm è veteribus Chriſtianis non deſint, qui *Moſis* Commentaria, reliquoſque Legis codices Babylonico Hieroſolymorum incendio conflagraſſe teſtentur, & non niſi poſt Judæorum reditum, ab *Eſdra*, Spiritu Sancto dictante, reſtauratos, priſtinam integritatem recuperaſſe. Poſtremò, multa aiunt in præfatis Libris occurrere, quæ à *Moſe* exarata nemo fatebitur, niſi à quo Ratio exulat. Quis credat ejus Obitum, Sepulturæ locum, Tempus, quo Cœlo delabi *Manna* deſiit, & ſimilia, quæ vita defunctus, litteris mandare non potuit, *Moſis* manu prodiiſſe?

2. Quoniam tres ii ſcrupuli Imperitos torquent, obſtantque ne præclarum *Vatem* honore debito venerentur, eis ſecundùm ordinem obviam ibimus. Fatemur equidem arduum eſſe, ad *Quæſtionem Primam* plenè reſpondere, undè ſcilicet, quæ monumentis *Moſes* tradidit, hauſerit, cùm Ipſe nihil Arte propria, nihil vigili ſtudio repererit, & Demonſtrationis luce deſtitutus,

tus, non tam Fidem Mortalibus faciat, quàm imperet. Sed animadvertendum eſt, illum in ſcribendo, non Philoſophi, ſed Hiſtorici munus exequi, ad quem Res geſtas narrare ſpectat, non arguere, non Rationibus illuſtrare. Deinde, non *Moſi* animus fuit, quæ proprio Marte detexerat, eloqui, ſed quæ à Majoribus per manus tradita acceperat: Cùm ambigi non poſſit, quin ab *Adamo* ad *Mathuſalam*, ab eo ad *Noachum* Patriarcham, à *Noacho* ad *Semum*, atque ad *Heberum*, ab iis ad *Abrahamum*, ab eo ad *Iſaacum*, tum ad *Jacobum*, ſubinde ad *Joſephum* & Fratres, ab Eorum nepotibus ad *Moſem*, Majorum Traditiones facilè tranſmitti potuerint. Cùm verò *Moſes* Dei Interpres eſſet, ejuſque alloquio ſæpiùs frueretur, crimen credere eſſet, tam carum Hominem labi, errare, decipi, & quod gravius eſt, Falſa pro Veris ingerere potuiſſe: præſertim cùm ex *Geneſi*, *Exodo*, *Levitico*, *Numeris*, *Deuteronomio*, Libris, de quibus ambigunt, ad omnem Religionem Hebræos inſtituerit, eamque Ceremoniis, ac Præceptis munierit, ut non niſi à *Chriſto* Dei filio eſſet abroganda. Quî igitur *Moſis* authoritati quicquam detrahetur, cujus fide, Chriſtiana Religio ſtat ac innititur?

3. Quod

3. Quod ſecundo loco, ex quarto *Eſdræ* Libro, Capite decimo quarto adferunt, omnes *Veteris Teſtamenti* libros flammis periiſſe, ſua ſponte corruit; cùm debili admodum fundamento ſulciatur, *Apocrypho* ſcilicet, & nullius apud Chriſtianos Judæoſve authoritatis, Codice. Liquet enim multa extitiſſe Legis Exemplaria, non apud *Levitas* modò, quorum munus erat, eam apud Populum exponere; ſed & apud *Reges*, quibus ſingulis Exemplaria tranſcribere incumbebat. Quis autem credat, ſacra omnia Volumina, unius *Nebuchodonoſoris* incendio flagraſſe, qui nihil illis mali machinatus legitur? Ad fabulam igitur quod ingerunt, accedit, Legis Codices, Divini Spiritus afflatu, ab *Eſdra* fuiſſe renovatos, & priſtinæ integritati redditos. Nec alia Patrum quorundam mens videtur, quàm quòd *Eſdras* depravatos, non autem deletos, priori Nitori reſtitutos, novo Charactere, *Aſſyrio* nimirum donaverit, quem Populus evolvere poſſet, veteris Moſaici oblitus.

4. Quoad tertiam Difficultatem. Non Librorum Moſaicorum certitudini officit, quòd in fine *Deuteronomii*, Hiſtorici interitus, feraleque Sepulchrum deſcribatur; ea enim ab aliis Prophetis addita eſſe, ultro fatemur; quod certè ſine injuria, citraque læſæ fidei periculum fieri potuiſſe, facilè

quis

quis concedet, qui ad Operis perfectionem illa conducere, probè conſideraverit.

5. Scio Nonnullos, ut Inſtitutum efficaciùs exequantur, *Moſem* Mortalium catalogo eximere, atque in Mundo eum unquam extitiſſe inficiari. Verùm, hos ut nugatores non *Chriſtiani* modò, ſed etiam *Judæi* haud patiuntur, qui ut Hiſtoriæ Scriptæ Authorem, Religionis, quæ ad *Meſſiam* ducit, Conditorem ſuſcipiunt, & venerantur. Ejus *Hellanicus*, *Caſtor*, *Polemo*, *Thallus*, *Ptolemæus Mendeſius*, *Alexander Polyhiſtor*, & alii prophanarum Gentium Scriptores meminere. *Joſephum*, contra Appionem conſulant, & apud eum, *Manethonem*, *Lyſimachum*, *Chæremonem*, & *Molonem* invenient, qui Moſis mentionem faciunt. Annon Juvenalis Sat. 14. more ſuo in eos calamum acuit, qui

Judaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt Jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Sic multa ex eo Platonem in Philoſophiam ſuam tranſtuliſſe paſſim creditum eſt; Sic *Chalcidius* in Timæum, *Sapientiſſimum* Moſem vocat, & *non humana facundia, ſed inſpiratione Divina afflatum.*

6. Quis

6. Quis autem post tot veneranda Vetustatis Monumenta, Virum tam illustrem, & de Posteris adeò bene meritum, inter figmenta numeret? Quidni hoc pacto de præclarissimo quovis Heroe ambigere liceat? Unde *Alexandrum Magnum* apud Macedones, apud Romanos *Cæsarem* viguisse quis certò referet, si Priscorum Authoritas respuatur, & quod tamdiu inter Homines invaluit, in falsi suspicionem veniat? Hinc Horatius, Carm. 4. Od. 9.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate sacro.

7. At quis *Mosi* Scriptorem defuisse dixerit, qui tot Præcones habeat, qui ejus Pietatem, Justitiam, Eruditionem, cæteraque ejus Virtutes extollant, ac deprædicent.

Totius *Historiæ Sacræ* seriem, ac dicendorum in hoc Opere contextum aperire quidem expediret; sed hæc adeò perspicuè ex sequenti Pagina innotescunt, ut hanc Operam frustra sumere viderer.

IN-

INDEX LIBRORUM
HISTORIÆ SACRÆ.

Liber Primus,

A *Mundo Condito ad Diluvium.* Pag. 1,

Liber Secundus.

A Mundo instaurato ad Abrahami peregrinationem. p. 25,

Liber Tertius.

De Patriarcharum Seculo. p. 36.

Liber Quartus,

De Heroum Seculo. p. 73,

Liber

Liber Quintus.

De Judicum Regimine. p. 113.

Liber Sextus.

De Hebræorum Regibus. p. 136.

Liber Septimus.

De Gentis Judaicæ per annos Septuaginta Captivitate. p. 244.

Liber Octavus.

De Summorum Pontificum Gubernatione. p. 275.

Liber Nonus.

De Christo Homini-Deo, Mundi Salvatore. p. 319.

Liber Decimus.

A Christi Adscensione ad Constantinum Magnum. p. 349.

HISTO-

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Primus.

A Mundo Condito ad Diluvium.

SIne origine Rerum omnium Origo *Deus*, Mundum in principio, secundùm præscriptam ab æterno Legem condidit, summæ perfectionis argumentum, & suæ pulchritudinis imaginem. An tam illustre *Opus* uno momento, an Temporis morâ absolutum, incertum est. Hanc litem Theologi dirimant; sed ità ut Optimi Numinis virtuti consulant potiùs, quàm ut Ingenii sui imbecillitati obsecundent. In confesso est, *Deum* non verbo, non jussu duntaxat, sed & Cogitatu operari. At Universum sex diebus effectum *Moses* meminit: meminit quidem, ne fortè Sapientissimus opifex præceps haberetur, & ut res, quas ipse recensere parabat, quodam Ordine innotescerent. *Principium* enim partitionem refugit, nec ulla Dimensione intervallari à se toto patitur. Momento igitur hæc *Mundi* machina excitata

I.

A. M. 1. Ante Christum 4004. *Deus Mundum universum condidit.*

citata, citra Temporis abſoluti morulam perfecta eſt.

II. *Die primo Terra velut Fundamentum creata eſt.*

Ut verò Rerum creatarum ſeries haberetur, Divinique Numinis Sapientia clariùs eluceret, gradibus *Moſes* procedit, ac ſex Dierum intervallis res omnes diſcriminat. *Primo* igitur *die*, Terra tanquam Structuræ baſis, & totius operis materies prodiit; ſed Aquis involuta, ex quibus velut Elementis res cæteræ manârent, & futuræ generationi famularentur.

III. *Dei Spiritu Univerſum permeante Lux primò formata eſt.*

Verùm cùm horrenda adhuc foret Rerum facies, & cuncta altâ caligine tegerentur, Terram Dei *Spiritus* permeavit, non per vagationem, ſed poteſtate & Regentis imperio,

——*Deus ſuper æquora vaſta meabat,*
Dum Chaos & nigræ fuſcabant cuncta Tenebræ.

Quemadmodum enim Chriſtus, à quo humanum genus regeneratum eſt, in Virginis utero, Spiritûs Sancti obumbratione conceptus eſt; pari ferme modo, Dei incubante Spiritu, ex humidâ Telluris materiâ, totus orbis productus eſt, & conſtitit. Ut recens Opus illuſtre fieret, *Lucem* Creaturarum omnium venuſtiſſimam in medium prodire juſſit, cujus acceſſus *Diem*, receſſus *Noctem* efficeret. Hunc Mundi ornatum ad Solis ortum haud diſtulit, ne Lumen à Stellis proficiſci quis arbitraretur, & Deum non Rerum omnium Effectorem

ctorem ſuſpicio ingrueret. Hic primus Univerſi Decor, & inſtrumentorum princeps, quo Deus educendis ex informi Materiâ Seminibus paſſim utitur. Hinc vix efformatam elogio deprædicat, *bonamque*, hoc eſt, Voluntati ſuæ conſonam, rebuſque producendis opportunam commendat. Quas igitur nos laudes ipſâ Luce dignas dixerimus, quæ ſuæ pulchritudinis teſtem jam ſuum habet Creatorem?

IV. *Aër dit ſecundo productus, Terra & Aqua ſublimior.*

Die proximo, ex confuſâ mole *Aër*, rarum corpus ac tenue, Meteoris recipiendis idoneum, ſurſum attollitur, Cœlo undique circumfuſo: nam illud velut Tectum Rerum Univerſitati ſuperimpoſitum, Locum ſupremum obtinuit, dum ſubtile corpus à ſpiſſo diſcretum eſt, & velut è fuligine in altum prorupit. Id *Luci* plurimi acceptum referunt, cui ingenitum diverſæ indolis Corpora diſtrahere, & motu ſuo confuſa indigeſtaque convenientibus locis reſtituere. Adeò ut ejus miniſterio ſublime *Levia*, imum *gravia* peterent & amandarentur.

V. *Tertio dit, Aquæ convenientem ſibi ac præparatum à Creatore Locum petunt.*

Tertio Die circumfluentes Telluri *Aquæ*, Opificis imperio ſecernuntur, & ſe in loca humiliora recipiunt, ea *Mare* vocant, quod cum longè latéque pateat, meritò omnium Vitæ commoditatum Emporium habetur. Facto Terram inter ac Aquas divortio, illa jam expedita, & opportunum futuris Animantibus hoſpitium, vim ſuam profuſis, quos intra viſcera recondiderat, *Theſauris*, exerit. Hic fœcundæ

Camporum *planities*, illic viridantia *prata*, hic elatæ *Sylvarum* comæ, illic humiles *Herbæ* ac Flores, mira varietate Dominos præſtolabantur. Ita providente Numine, ut Homines & Animantia, futuri quondam Terræ Incolæ, remediis, ubi Morbos contraxerint, juventur, & *Plantarum* viribus cujuſque Temperamento congruis, non firmentur modò, ſed convaleſcant.

VI. *Rationi conſentaneum videtur Angelos per id tempus fuiſſe creatos.*

Haud à ratione alienum eſt credere, *Angelos* ingenti numero, eodem Die productos, cùm non *Animalium* ritu, Generatione ſucceſſivâ procreentur. At quorſum eorum geneſim *Moſes* Hiſtoricus reticet, & præter Subſtantias Senſibus obvias, inviſibile nihil memorat? Reſpondetur id conſultò factum, ne rudi Iſraelitarum populo, ſummo Opifici collegas aſſignâſſe videretur, & ad Idololatriam plus ſatis proclivem incautè pertraheret. Tales autem cœleſtes Spiritus ante *Adami* & *Evæ* lapſum, eſſe prognatos quis ambigit, cùm eis unus inſidiatus ſit, & ſuggeſto Scelere ad peccandum illexit.

VII. *Quorundam Angelorum lapſus.*

Igitur circa Mundi primordia conditi ſunt *Angeli*, Intelligentes, Immortales, gratiâ ac ſanctitate præditi, quibus præmuniti & ſtare poſſent, & æternam Beatitudinem aſſequi. Verùm, complures ſortis ſuæ obliti, dum iniquæ cupiditati patrocinantur, labuntur, & ab optimo Conditore deſciſcunt. Hinc *Dæmones*, Rebelles, malique Angeli paſſim vocati.

Quo-

VIII.

In quod peccati genus refundendus ſit Angelorum lapſus, incertum eſt.

Quodnam autem qualeve Dæmonum fuerit *Peccatum*, haud liquidò è ſacro textu conſtat. Theologi veteres *Superbiam* fuiſſe exiſtimant, quòd eximiis naturæ dotibus turgidi, Divinos Honores ambirent, & Dei jugum faſtu ſpernerent. Hinc principem unum, *Diabolum*, per excellentiam vocatum ſecuti, unà in Orcum cœlitus deturbati ſunt. Alii Angelorum peccatum *Invidiæ* aſſignant, ob collatam primo Homini Dei effigiem, & futuram ipſi aliquando felicitatem, propterea Dei decretum non tuliſſe, de aſſumenda per *Filium* humanitate, quæ hoc pacto Angelos dignitate ſuperaret. Iis ſolerter inventis fortè aſſentirer, ſi ſuſpicioni Revelatio ſuffragaretur. Complicatum Dæmonum crimen crediderim potiùs, *Livorem* nimirum *Arrogantiæ* acceſſiſſe, & Odium Zelum habuiſſe comitem. Sic capiuntur Dæmones antequam capiant, & dum Deo gloriam, Homini beatitudinem eripere conantur, ipſi quod erant, quod ſectantur, amittunt.

IX.

Sol & Luna cum comitibus Stellis quarto die procreati.

Die quarto, *Sol* & *Luna* cum cæteris Sideribus in Cœlo collocantur, ille ut Diei præfectus, ejus operibus præſit: Hæc tanquam Noctis princeps, ut ejus Receſſibus imperet. Sol luminare *majus* dicitur, quoniam Solus præficitur, Luna autem *minus*, quia non niſi cæterarum Stellarum conſortio tenebras propellit. Præterea iis duobus Aſtris datum Tempora vario motu partiri, atque Annos, Menſes, Dies,

Æſtatem, denique ac Hyemem certò deſignare.

X. *Volucres Aërem, piſces mare quinto die implent.*

Cœlo Sideribus inſtructo, in Aëre *Volucres*, *Piſces* in Mari quinto Die conſtituuntur: Variæ magnitudinis Animalia, ſed Ovipara omnia, ſi paucos Piſces excipias; Cetum, Delphinem, & Phocam, quæ fœtus vivos enituntur. *Aves* calidiore temperamento prædiţæ, alarum remigio per Aërem feruntur, canoroſque ſonos garrulæ fundunt.

XI. *Poſt Animantium productionem Homo in medium ſexto die prodit.*

Sexto demum Die, Terra Brutis Animantibus occupanda conceditur, Dei Benedictione addita, qua numero augeantur, & vim ſeipſa propagandi exerant. Sed

Sanctius his Animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.

Novo igitur Divini conſilii apparatu *Homo* exhibetur, cæteris præſtantior, & totius Univerſi facilè compendium. Quicquid enim præceſſit, hujus maximi Operis præludium eſſe videtur. Nam ad Dei imaginem efformatus, tot Naturæ dotibus decoratur, ut qualis in Cœlo *Deus*, talis ipſe in terris conſtituatur. Cave igitur, ô Homo, ne Dei *imaginem* vili cupiditate fœdes, is nobilem vult eſſe vitam tuam, qui tibi immiſit ſpeciem ſuam. Memento Te Beatitudinis capacem, Bonitatis hæredem,

dem, Rationis participem, Effice ut ei ſimilis ſis, qui vera vita eſt, & per quem vera vita vivis, dum piè vivis.

XII. *Homo ex terra formatus, ut humilis vivat.*

Ne tamen Homo Opificis ſui Imagine inſoleſceret, *Corpus* ejus ex luto effictum eſſe, ipſi Deus ingerit. (Etenim Homo ex hoc quòd ab *Humo* efformatus eſt, nomen ſortitus) ſic ut originis ſuæ memor, & benignum Conditorem agnoſceret, & omnem oſtentationem averſaretur. Nam quid cœnum, quid limus jactaret? Quid nudus & inermis moliretur, alieno duntaxat tutus præſidio?

XIII. *Cuncta quæ Deus produxit, valde bona dicuntur.*

Interim Deus cùm quæ ſex Dierum ſpacio perfecerat, colluſtraſſet, ei inſigniter *bona* viſa ſunt, hoc eſt, ita elaborata, ut Artis ratio exigebat, ut Rerum expoſcebat ordo, ac Univerſi decor: adeo ut omnia ad uſum communem conducerent, atque ad finem cui deſtinata erant, ſpectarent. *Bona* ergo ſunt, quæ Deus condidit ſingula, ſimul verò valde bona, quoniam ex iis admirabilis Mundi pulchritudo conſtitit.

XIV. *Adamus in Horto Voluptatis conſtituitur.*

Adamus jam totius Univerſi velut *Princeps*, in loco amœniſſimo collocatur, ſine pompa, ſine ſatellitio, ut agris colendis vacaret: futurum cæteris Mortalibus documentum, Reges non purpura, aut Sceptro fieri, ſed ſuorum cura ac ſtudio. In *Edene* media Meſopotamiæ ac Babyloniæ Regione *Hortus* erat, Terreſtris Paradiſus appellatus, die tertio à Deo conſitus, omni Arborum genere fertilis, quæ vel oculos

voluptate pascerent, aut gustui suavitate blandirentur. Uno *amne* irrigabatur, qui circuitu Terram universam perlustrans, in quatuor Alveos findebatur: *Phisonem*, qui dum in Indiam terram defertur, *Havilæ* Terram circuit. *Euphratem*, ab Armenia majore ortum trahentem. *Tygrim*, qui in rubrum Mare delabitur; *Geonem* denique, qui mediam *Ægyptum* scindens, Nili nomen à Græcis obtinuit. Inter paradisi Arbores duæ potissimùm eminebant. Una *Vitæ*, fructus saluberrimos proferens, quorum esu Corporis vigor valetudoque firmaretur. Altera *Scientiæ* boni & mali, cujus usu utriusque Natura innotesceret, & quod inter illa foret discrimen aperiretur.

XV. *Prohibetur primo Homini Adamo esus fructus Arboris boni & mali.*

Adamo paradisum quamprimum ingresso, *Deus* humana forte specie, vetuit ne Arboris scientiæ boni & mali fructum comederet, facta reliquos excerpendi potestate, hoc uno abstineret. Ne verò custoditæ *Legi* præmium, aut temeratæ pœna deesset, addidit, id ni faceret, protinus illi moriendum, victuro autem, si *mandato* obsequeretur, in æternum. Id ab Homine sapientissimus Conditor obtinuit, ut quamprimum sibi notus, Opificem suum agnosceret, discerétque ipsi parendum esse, cui soli imperandi jus competebat.

XVI. *Adamus Animantibus nomina imponit.*

Jam Adamus *Paradisum* imperio summo adeptus, ejus deliciis fruebatur, cùm feræ, pecudes, & omne Avium genus interno impetu actæ, coram *illo* sistuntur, ut derecta cujusque indole, apta singulis *Nomina* impo-

imponeret. Ejus enim dignitati consultum Deus voluit, ut qui *Rerum* opifex esse non poterat, *nominum* Artifex fieret, atque ita fictricis Dei solertiæ gloriam partitus, ipsa omnium vocis appellatione Dominium aliquatenus vindicaret.

XVII. *Eva Adamo in conjugem data, ubi latere ejus exiliit.*

Verùm cùm inter tot Animantium paria, nullam sibi similem Adamus inveniret; nam sibi cuncta famulabantur, deeratque, cujus convictu, ac ad generis sui propagationem, societate uteretur. Deo igitur visum est, *Costa* illi sopito exempta, Mulierem effingere, quæ vitæ *consors* fieret, & inter tantorum Bonorum affluentias, voluptatis complementum. Ex viri quidem osse efformata, sed Cordi proximo, quo eam impensiùs prosecutus, ut sui Corporis partem amplecteretur. Nam hac ratione effecit Deus, ut sit Homo unus, duo: duo unus, alter ipse homo, ne sit aut Singularitas destituta, aut confusa conjunctio. Igitur quid mirum, si in Mulieris Amorem taliter Viri pectus molleścat, & illa vicissim unde originem habuit, facilè revertatur? Hinc *Adamus* experrecto adductam, sibi uxorem hilariter accepit, Deo beneficium gratulatus, quòd conjuges, quinimo Fratres, ac Parentes Amor connecteret. Ei *Evæ* nomen indidit, quòd omnium Viventium futura esset Mater.

XVIII. *Eva ad vescendum fructu boni & mali à Dæmone allicitur.*

Beati primi Mundi Principes, si sortem suam probè novissent; sed cùm *Scientiam* avidiùs aucupantur, sibi ærumnarum extremam adsciscunt. Diabolus enim ita ab inven-

inventis Calumniis nominatus, Hominem in amœniſſimo Horto conſtitutum conſpicatus, Sapientia decoratum, Virtute inſignem, in totam Naturam dominari, excepta una *Arbore*, quam in Subjectionis monumentum, ſibi nefas attingere duceret; In id conſilium intendit, ut eum à Conditoris Obedientia diſtractum in partes ſuas pelliceret. Haud tamen vafer, machinationis author haberi voluit, ne profeſſa odia, perpetrandi flagitii locum proderent. Quare *Serpentis* exuviis perſonatus, Mulierem, Viro abſente, ſolam aggreditur, & de Creatoris ſævitia queſtus, qui Horti Arborum poteſtatem denegaſſet, perſuadet in prohibitæ Arboris fructu, *boni* ac *mali* Scientiam recondi, atque inimitabilis præſtantiæ germen ineſſe; quam Deus Homini ad ejus imaginem procreato invideret. Mulier inſidiarum ignara, omnium Arborum ſibi factam copiam eſſe reponit, una duntaxat exempta, ne Mortem illius eſu ſibi conſciſcerent. *Serpens* verſutè comminatam pœnam larvam eſſe aſſerit, Mortis timorem ſcilicet furtim eximens, ut Legis munimenta deprædetur.

XIX.

Eva Adamum in commune crimen protrahit.

Illa igitur Cognitionis Divinæ, quam promiſerat Dæmon, æmula, interdictæ Arboris *Poma* oculis primùm hauſta mox manu excepit, devorat. Tum ſupervenientem *Maritum*, fructu porrecto, eodem crimine involvit. Quid agitis, ô miſeri, ſiccine viliſſimi pomi pretio mortem comparatis? Sic Dei amorem, ſic Domino obſequium deponitis? Heu!

Heu! quot in uno facinore crimina. Vileſcit Univerſi Conditor, nefarii agminis Duci creditur, ac funeſtè totum genus humanum inficitur. Ingrati, quid Vos ad imperium obſervatu facile violandum niſi vana *ſpes* impulit, quâ correpti, nihil non nefandum aggreſſi eſtis.

XX. *Pudore commiſſi ſceleris ſe abſcondunt, illud excuſantes.*

Confeſtim ſceleris patrati *pœna* adfuit, Verecundia & pudor. Quippe cùm in ſe nihil erubeſcendum antea Homines deprehendiſſent, Libidine pruriente, ſe nudos experti, pudenda ficulneis foliis tegunt, quorum antea *nudos* neutiquam pudebat. Igitur conſilio quid agerent incerti, dum cuncta rimantur, flagitiique ultorem metuunt, Deum ſub veſperam in Horto deambulantem audiunt; tum in fugam, tum in latebras paventes aguntur: è quibus Conditoris voce educti, ambo culpam, quam inficiari haud poterant, à ſe avertere conati, in Serpentis impoſturam rejiciunt.

XXI. *Deus vindictam de ſerpente ſumit; ad mulierem mox digreſſus.*

Deus enorme facinus & haud meliùs excuſatum, quàm patratum ulturus, de *Serpente* imprimis ſupplicium ſumit, ut humi repens, pulverem per totam vitam lingeret; & quoniam illi cum Muliere conſuetudo interceſſerat, mutuis ſe odiis impeterent. Imo è *Muliere* oriturum aliquando *Semen* præmonuit, quod ejus caput contereret, & genus Humanum ejus inſidiis interim laceſſitum, perfectæ libertati aſſereret. Tum ad *Mulierem* converſus, Ærumnis tuis, inquit, novos addam luctus,

ctus, fœtum anxiè geſtabis, cum dolore paries, & quoniam Imperium meum aſpernata es, Tibi maritus dominabitur, ad ipſum non niſi ſervitio deducenda.

XXII. *Pœnam Adamo etiam indicit, agrorum cultuam.*

Demum pœnam in Adamum ſtatuit; ut quia Uxoriis illecebris obſequutus, Creatoris ſui mandatum abjeciſſet, *Terram* innato vigore excidiſſe aſſerit, quam non niſi repetito ſudore repararet. Ad tollendam etiam omnem, quam ſuggeſſerat Dæmon Immortalitatis ſpem, ſe ex Pulvere prognatum meminiſſe voluit, atque in pulverem redeundum.

XXIII. *Deus Veſtes primis Hominibus, ex animalium pellibus conficit.*

Sed nudis *veſtes* deerant, quibus Turpitudinem pudore occultarent, & Corpus tenerum ab Aëris intemperie tuerentur. Nam in quid ficulnea illa, quæ celandis pudendis aſſumpſerânt, ut tot incommoda propellerent? Quare Divino nutu, detractis Animantium exuviis, neceſſitati ſubventum eſt. Pelliceis igitur tunicis ambo tecti, novum Mortalitatis, quam peccato contraxerant, & Fragilitatis, quæ ex Carnis corruptione manabat, Indicium proferunt.

XXIV. *Adamus & Eva horto voluptatis pelluntur.*

His indumentis donati, *Horto* exulare jubentur, ut qui Deum ſpontè deſeruerant, inviti paradiſo pellerentur. Sic totius Orbis Principes ex otio, deliciis, ad laborem, ad Ærumnas adiguntur, futuri cæteris Mortalibus documentum, ut *Peccatum* ſollicitè vitent, quo perditi ſunt, priuſquam naſcerentur. Adamo igitur cum Conjuge, è Voluptatis loco ad agros colendos ejecto, Deus Angelos Cherubinos iſti provinciæ

vinciæ præfecit, tanquam paradiſi Cuſtodes, qui enſe flammeo, & undique vibrato armati, non Hominibus modò, ſed & Dæmonibus aditum præcluderent. Nam quid ſi hi fortè, Hominum gratia, Arboris Vitæ fructus ſuffurarentur? Ita benigno Numini viſum, ut tanti Delicti reus in Terram ſuam remitteretur, in patrio Solo peregrinaturus qui in paradiſo, peccati errore, extorris ab Innocentiâ fuerat.

XXV. *Deus ſeptimo die quieviſſe dicitur.*

Poſtquam Opera omnia, quæ ſex dierum ſpatio deſtinârat Deus, ad metam deduxiſſet, Septimo operari deſiit, & humano loquendi ritu, *quievit*, à novarum ſcilicet Rerum creatione, non autem à conſervatione, cùm inſtitutis ab æterno Legibus omnia curet, regat, tueatur. Hic Dies Mundi natalibus ſacratus, *Sabbathi* nomine à Judæis colitur, quem tanquam à Deo inſtitutum venerati, à laboribus abſtinent, indictiſque ad Conditoris cultum interſunt conventibus.

XXVI. A. M. 2. A. Chr. 4003. *Abel & Cainus munera offerunt, ſed à Deo varie accepta.*

Adamo poſt Menſes decem, ex Evâ, quam omnium Mortalium matrem priùs vocaverat, *Cainus* natus eſt, nec multò poſt, Frater ei *Abel* genitus eſt. Germani quidem, ſed diſparibus ſtudiis, & mente in Artes varias propenſa. Abel *Opilio*, oves ad paſcua ducebat, æquitatis Amans, Deum vitæ ſuæ Directorem ratus. Cainus autem *Colonus*, Aratrum moderabatur, huic uni intentus, ut lucrum è labore reportaret. Uterque officii à Patre admoniti, adulto Autumno, ex-

extructum *altare* primitiis onerant. Ille de *Pecudum* primogenitis Agnum opimum pietatis affectu immolat. Hic *frugum* primitias, pro more tantùm, nullo delectu, ac citra Religionem offert. Ibi verò Deus juſtus munerum æſtimator, *Abelis* victimam Caini frugibus præferens, igne cœlitùs demiſſo agnoſcit.

XXVII. *A. M. 128. A. Chr. 3872. Impius Cainus fratrem Abelem interficit.*

Hinc contemptu offenſus *Cainus*, ira confeſtim ac invidia agitatur, dejecto in terram obtutu, fratri perniciem machinatus. Deus Cordium arcana ſcrutatus, Hominem officii ſui admonitum hortatur, ut poſito dolore, in ſe ſpem reponeret. In promptu eſſe indulgentiam, ſi ipſe factorum pœnitens, neglectam probitatem ſequeretur. Comminationem addidit, pertinacem ſupplicium manere, nulla temporum ratione quieturum. At tantum Æmulationis furor valuit, ut neque *Fratris* Charitas, nec *Sceleris* immanitas, nec Conditoris timor, nec pœna delicti, maleſanum retraheret: quinimo cœco vindictæ impetu adductus, Fratrem nihil mali metuentem aggreſſus, neci dedit. Mirum; quod prima quæ Homines corriperet mors, Virum probitate eximium, Religionis cauſa corriperet. Cujus jam ſacrificium placuit, ille velut Hoſtia mactatur.

XXVIII. *Deus parricidam Cainum exilio caſtigat.*

Cadavere Abelis abdito, *Cainus* facinus, quoniam Hominum oculis impervium, arcanum arbitrabatur, cùm perſpicax malorum vindex *Deus*, quæſtionem inſtituit, ubi

ubi frater esset, aliquot diebus non visus; audax *Parricida*, primùm Abelis absentiam mirari simulat, quid de illo factum nescire se testatus. Instante autem Deo, se Fratris custodem esse abnuit, nec Rerum ejus Curatorem constitutum. Tum Deus Sicarium increpans, quòd Abelis casum, cujus Sanguinem fuderat, inficiaretur, maledicto percutit, *Vagum* in Mundo in posterum futurum, atque per Sylvas & nemora erranti, Sceleris patrati memoriam, metum, pudorem nunquam non comites fore. Hac Sententia veluti ictus *Cainus*, in lacrymas, in questus prorumpit. Queritur enim se à patria, à parentibus exulem, & in aliena Regione profugum, futurum obvio cuique prædam. Timorem *Deus* abstulit, victurum promisit, sed ita, ut infœlicis etiam vitæ pertæsum, imo advocantem Mors refugiat. Noluit Deus Improbum Mortis compendio, cruciatus finire, nec pœnæ, cui se damnaverat, tradere. Non sic, inquit, ut existimas, morieris, & Fatum pro remedio accipies, verùm ad septimam usque generationem vives, anxiæ mentis igne tortus.

XXIX. *Parcit tamen Deus primo parricidæ, cui mortem infligi non patitur.*

Quamobrem *Notam* ei Deus indidit, occurrentibus conspicuam, qua terrore perculsi, ferum Hominem vitarent omnes, à Morte autem infligendâ abstinerent. Adeo Homicidium Deus aversatur, ut in ipso etiam Mundi exordio, dum pauci adhuc extarent Homines, Homicidam non sustineret; & eum licet extremo supplicio non

non affecerit, non tamen niſi cruciatibus afflictum dimiſit. Cainus igitur patrio ſolo, cum uxore ac familia in exilium ablegatur, à Fratris tulela abactus, cui ſe Cuſtodem eſſe negaverat. Neſcit enim impietas modum, quæ ſemel accenſa nunquam extinguitur. Immortale Malum, & ſemper inter Mortales victurum, nec valens morte ſua, mortale genus relinquere.

XXX. *Cainus profugus urbem condidit.*

Cainus plurimas Regiones emenſus, demum in Terra *Nodi* conſedit, ad Orientales plagas ſita, vitam agreſtem ac feram amplexus. Nihilominus ſe *extorrem* eſſe immemor, omnium Urbium primam, *Henochiam*, mutuato à filio ſuo primogenito *Henocho* nomine, condidit. Fortè ut Homicida ſe à Talione tueretur, aut impuniùs prædas ageret. Nam tantum abeſt, ut caſtigatione mores correxerit, quin pejor factus, tyrannidem in reliquos mortales exercens, accitis undecunque Latrociniorum ſodalibus, ad nequitiam utebatur. Quis *civitates* jam magni æſtimet, quarum prima à Scelere originem duxit, & in criminum patrocinium coacta?

XXXI. A. M. 130. A. Chr. 3874. *Adam Sethum genuit.*

Interim Adamo ereptum acerbâ morte filium deflenti, *Sethum* Deus ſubſtituit, pœnitentiæ paternæ Hæredem, fratri extincto pietate ſimilem. Ejus ſiquidem opera revixit Religio, tinctæ victimis Aræ, Sacris peragendis Sacerdotes deputati. Ita ut propediem Viri pii ab Improbis, hoc eſt, *Sethiani* à Cainitis diſcernerentur. Quemadmodum enim Hi in Civitate, quam

quam exſtruxerant, ad fictum Numen adorandum conveniebant; ſic Sethus publicos piorum Hominum cœtus inſtituit, qui Ceremoniis cultuque ſolemni Deum colerent. Hinc Filii Dei ob pietatem vocati.

XXXI. *Sethus inventor litterarum Hebraearum.*

Non virtutis ſolùm, ſed & Scientiæ ſtudio *Sethus* excelluit, Etenim primus literas Hebraicas invenit, & Rerum cœleſtium gnarus, ſeptem *Planetas* propriis nominibus indicavit. Ne fortè à ſe inventa, Hominum notitia elaberentur, & in incunabulis evaneſcerent, Duabus in Syria Columnis erectis, omnium Artium ac Scientiarum elementa deſcripſit. Una ex *lapidibus* exſtructa erat, quæ Aquarum impetui obluctaretur: Altera *latericia*, quæ Ignis vim eluderet.

XXXII. A. M. 235. A. Chr. 3769. *Sethus Enoſchum precea-vit.*

Sethus centum & quinque annos natus, *Enoſchum* produxit, qui *Sancti* nomen ob virtutem, quâ cæteris prælucebat, adeptus, Cainitas impietatis arguere auſus, mox graviſſimis exhortationibus ad Dei cultum ac Reverentiam reducere inſtituit. Eum à Morte ſervatum referunt, ut oſtendatur, quid potuiſſet Homo, ſi à *Peccato* immunem ſe cuſtodiſſet. Filium Enochus habuit *Cenanum* anno vitæ nonageſimo. Ex Cenano *Mahalaleel*, anno patris ſeptuageſimo: Quinto ſupra ſexageſimum Mahalaleelis anno, illi *Jaredus* naſcitur; Jaredo *Henochus* ubi centum & ſexaginta duos annos vixiſſet. Omnes iſti pietate inclyti, & Divini cultus Aſſertores indefeſſi.

XXXIII. A. M. 987. A. Chr. 3017. *Caini progenies. Lamechus duas uxores primus duxit.*

Caino annos circiter quingentos Terram *Nodi* incolenti, familia quoque aucta est. Nam ex *Henocho* genitorum maximo *Iradus* prodiit filius, nepos *Mahujael*, pronepos *Mathusael*, abnepos *Lamechus*. Is avitæ improbitatis æmulus, lecti fœdus deserere ausus est. Cùm enim Deus Viro Uxorem unam addixerit, is contempto patrum more, duas sibi junxit, liberis ex utraque susceptis, nihil perversum ratus, si Dei cultorum turbas prolium multitudine vinceret, & Terrarum dominium novis titulis auspicaretur. Nihil invium, nihil remotum Cupido videri sinit, in omne effusa, quod blanditur, aut utilitatem adfert.

XXXIV. *Primi Artium Inventores.*

Lamechi filii Parentis mores imitati, totam operam quæstui faciendo impenderunt, rationes omnes commenti, qua vi, quo studio, novos sibi subditos compararent. *Jabal* ex Ada prognatus, Tentoria figendi arte peritus, jumentis ac pecoribus augendis viam Mortalibus ostendit. *Tubal* musicæ inventor, omne genus organa confecit, tum quæ Animalium intestinis, tum quæ follibus agitantur. *Tubalcainus* Artem fabrilem exercuit, quam hoc pacto hausit. *Metallorum* venas superficie tenus eminentes, dum in pascuis fruges accenduntur, conspicatus in rivos profluere, ex locorum figuris, in quibus jacuerant, metalla igne fusa varias sortiri formas agnovit. Hinc primus ferramentorum faciendorum Arte instructus, Arma excogitavit, Æs cudit, Pacis Bellique studia partitus.

Naama

Naama etiam haud diſſimilis Fratri Soror, *Lanificium* ac Texturam meditata, ſexui ſuo præluxit, quo Artificio mulieres ingenium proferre conveniret.

De Lamecho id à veteribus proditum: Venationi addictus cùm feram in Sylvis inſequeretur, latitantem *Cainum* per imprudentiam Sagitta confecit. Nec Dei comminationem moratus, facinus apud Uxores ſuas deprædicat. Ita annuente providentia, ut arma contra Reum dimicent, & fratricidium parricidio vindicetur. Etenim quæ præſentem extinguit Dies, à proximo perimitur, ſic qui *inſontem* telo aggreſſus eſt, quidni pari morte nocens pereat? XXXV. *Lamechus feram ſecutus Cainum interimit.*

Non multò pòſt *Adamus* ad nongenteſimum & trigeſimum annum protracta vita, demum extinguitur, Filium etſi non violenta Morte ſecutus. Quo in loco condita ſint oſſa, *Hebrone* an Hieroſolymis, incertum. Nec de re inquirere juvat, quæ nec ſciri magnopere intereſt. Heu! quod Evæ ſpectaculum, dum Conjugem Mundo coævum, Familiæ Patrem contemplatur, ſibi, Mundo, poſteris ereptum? Quoties ſe ab Illo priùs amatam gemuit? Quoties venuſtatem Corporis deteſtata, placuiſſe Illi doluit. Hinc, hinc fœmina, quæ etiam innoxia lædit, & dum favet, enecat. *Eva* altero poſt anno, tum mœrore, tum vitæ ærumnis confecta, ſe Marito comitem præbuit. XXXVI. *Adamus moritur.*

Nec diſpar cæteris Mortalibus exitus: Quippe *Sethus* ætatis anno 912. vivis exemptus XXXVII. *Quamdiu Sethus, Enoſchus, &c. vixerint.*

emptus est. *Enoschus* 365. priusquam in cœlum raperetur, *Cenonus* 910. *Mahalaleel* 895. *Jaredus* 862. *Lamechus* 777. Diuturnam Vitam primi Mortales obtinuere, ut proliun numero, Ecclesiæ propagini consulentes, multiplicatis Terræ incolis, Conditoris gloriam longè latéque profunderent. Quidni hoc pacto Disciplinis vigor accederet, & longo usu comparata Cognitio ad posteros, firmata devolveretur? Providentiæ enim vitæ longævitas opus fuit, non Naturæ.

XXXVIII. *Sethi progenies à primæva pietate degenerat.*

Temporis decursu, deducta à Setho progenies, diu quidem avitæ pietatis æmula, à priori studio deficit, Dei contemptu omnes pene Mortales tunc invadente. Etenim *filii Dei*, quos ob Numinis Religionem, *Angelos* Scriptura nominat, Cainitarum fœminarum amoribus victi, eas sibi uxores ducant, nihil Conditoris sui prohibitionem morati. Adeò exitiosa est Morum probitati, iniquorum consuetudo. Circa hæc tempora, è Cainitarum gente, *Gigantes* in medium prodiere, ingenti Corporis mole Homines viribus præstantes, & in Rem bellicam strenui. Magnitudine sua ac lacertis confisi, in omne nefas ruebant, potestatis avidi, & in devictos non tam sævi quàm feroces. Nam *sibi* Mundi dominatum asserentes, cæteros Mortales duro imperio premebant.

XXXIX. *Deus Mundum diluvio perdere minatur.*

A. M. 1056. A. Chr. 2948.

Noes ex Lamecho *Sethi* genitus, Mundi morum pertæsus, à connubiali thalamo abstinuit, cœlestem vitam in tanta perversorum

versorum multitudine agens. Hunc Deus colloquio dignatus, consilii sui participem facit, immotum sibi Mundum *Diluvio* perdere, nisi intra centum & viginti annos, resipiscentes ad meliorem frugem reverterentur. Id populo *Noes* enuntiat, Vitam productiorem, non ad Voluptatum usum à Deo concessam, sed ad Divini Operis augmentum testatus. Sed cùm verba sua irrita esse cerneret, Deique consilium de Mundi elade fixum manere, sententia deposita, conjugem sibi adsciscit, ex qua tuendo generi humano tres tulit filios, *Semum, Japhetum,* & *Chamum:* Nec tamen remissiùs officio fungebatur, si quos imminenti periculo posset adimere.

XL. *Noes Arcam fabricat in qua se cum suis à diluvio servet.*

Demum Noes Dei jussu, *Arcam* Navis ad instar molitus est, in qua ipse cum conjuge, tribus filiis, ac nuribus, humanum genus ab integra saltem pernicie tueretur. Fuit Arcæ longitudo trecentum cubitorum, quinquaginta latitudo, profunditas triginta. *Bitumine* illitam, impenetrabilem reddidit. Est enim Bitumen gluten ferventissimum, quo ligna oblita, à Vermibus, à Solis æstu, à ventorum flatibus, ab Aquarum inundatione intacta servantur. Eam in tres contignationes partitus, cellulis ac promptuariis distinxit, ut Animantia rectè sejungi, & suum singulis pabulum administrari posset. Fuit Arcæ supernè *fenestra,* per quam aliquid luminis ad habitationem irrumperet. In latere

ostium, ac demum impositum Operi *Tectum*, Arcæ ad Cubiti altitudinem eminens, sub quo Aër irreperet, & ad singulas Mansiones per canales allaberetur.

XLI. *Noe Arcam ingresso, Aqua montium cacumina superat.*

Opere perfecto, omnibusque, quæ *Deus* mandaverat, dispositis, navigantem, ut ita dicam urbem cum suis ingreditur, ita dirigente Numine, ut ex omnibus Animantibus aliqua, ex immundis singula paria, ex Mundis septena in Arcam se reciperent, Vivum Semen posthac Mundo reficiendo subministratura. Tum Angelo accedente, Ostium pice obductum est, ne laxiùs occluso, per hiantes rimas lubrica Aqua irrumperet. Nec mora, in Aquam *Nubes* solvuntur, liquescit Aër, & apertus undique Abyssi fontibus, adaucta Torrentibus flumina, ripas transiliunt, & per apertos Campos exspatiantur. Diebus quadraginta Imbres continuati, non proceras Arbores modò, sed & ipsos Montium vertices, quindecim cubitis supergrediuntur.

Omnia pontus erat; deerant quoque littora ponto.

Igitur cunctis Diluvii inundatione absorptis, nihil de humano, nihil de belluino genere supererat, nisi quos in tuto Arca servaret; Animantium depositi custos merito nuncupanda, quæ Creaturis gravida, Naturâ scintillam velut utero complectebatur.

Post

Post centum & quinquaginta dies, ex quo *Tellus* Aquis obrui cœpit, Arcâ in summis Armeniæ Majoris montibus impactâ, didicit *Noes* in eorum cacuminibus vada fieri. Unde intellecto pluviam destitisse, ac Mari tranquillo Arcam circumferri, reserata Fenestra, *Corvum* exploratum mittit, an Terra uspiam consisteret; sed illo non revertente, Cadaveribus fortè depascendis occupato. Post septimanam id negotii *Columbæ* committit, quæ cùm ubi pedem figeret, non invenisset, ad Fenestram unde prodierat, est reversa. Rursus post dies aliquot, ad idem munus demissa, comprehenso viventis Olivæ folio onerata rediit, ingenti sanè indicio, Aquarum recessu, nudata esse Arborum cacumina. *Tertiò* demum ablegata, cibum foris assecuta, Hospite neglecto, non ampliùs Arcam repetit. Mirum ac stupendum creatricis Sapientiæ monumentum, quòd per æstatem, tanta Aquarum moles elapsa, contra Naturæ leges Hyeme substiterit; ne quis fortè id Temporum tempestati, non Deo justè punienti acceptum referret.

XLII. *Noes explorat per corvum & columbam an dimissæ sint Aquæ.*

A. M. 1656. A. Chr. 2348.

Noes sexcentesimo jam vitæ anno, à Deo Arca discedere jussus, remoto operculo, arca cum familia egreditur. Tunc enim detumescente *Pelago*, Aquisque in flumina abactis, sua Terræ facies restituta erat, Solis ardore, situm Elementis, serenitatem Aëri, Terræ fœcunditatem conciliante. Unde Noes cum filiis, statim

XLIII. *Noes cum familia ex Arca egreditur.*

tim ad Agrorum culturam converſi, victum ſibi labore manuum quærere coguntur. Talis fuit primæ Hominum ætatis exitus, quem Libido attraxit, promovit Impietas. Sic Terrarum Orbis Cœleſti lympha dilutus purgatuſque. Sic inſanas Hominum mentes, atque corruptos mores contemptum Numen totius Orbis illuvie ſanat, corrigit.

HISTO-

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Secundus.

A Mundo instaurato ad Abrahami peregrinationem.

I. *Egressus Noes Altare Deo erigit.*

CUm uxore ac liberis Noes *Arca* egressus, Altare quamprimùm erigit, in quo mactatis, ex pecudibus avibusque, victimis, Deo liberatori grates persolvit. Deus gratitudine probata, illi ac Filiis *Benedictionem* impertitus, maximam generandi vim tribuit, quo novas Incolas Terræ restitueret. Mox ne suæ paucitati metueret, admonuit; Animantibus se terrori futurum pollicitus, modò eorum sanguine non in cibum admisso, à profundendo quoque Hominum cruore abstineret quo, Mundi exordia Cainus temeraverat. Qui autem mandatum infringeret, haustum alterius Sanguinem proprio confestim abstergeret. Ne etiam alterius Diluvii timor obreperet, se Deus fœdere obstrinxit, non ampliùs delendum iri Aquarum eluvio Mundum.

Hinc

Hinc cœleſtis Arcus in ſignum additus, quo Mortales admonerentur, ſe ab hoc periculo eſſe ſecuros.

II. *Deus concedit Noæ poteſtatem carnibus veſcendi.*

Carnium eſum *Deus* ſubinde Noæ permiſit, quibus antea veſci interdictum erat. Nam quorſum re utendi venia concederetur, ſi ea frui citra veniam impunè licuit? Inerat tunc Herbis ſuccus, fructibus vigor alendis Corporibus par, qui Humo aquarum eluvie ſterileſcente, emarcuit. Ergo carnibus ad imbecillitatis ſubſidium permiſſis, novum quoque potus genus, Vite plantata, Noes excogitavit, *Vinum* ſcilicet ex Uvis expreſſum, quò contractum ex tot ærumnis mœrorem leniret, & ad hilaritatem hauſto, corporis languori auxiliaretur. Verùm dum liquore, cujus vim nondum expertus fuerat bonus Senex, ſe liberaliùs proluit, ſopitus, dein inhoneſto more nudatus procumbit. Quem ita jacentem *Chamus* filiorum minimus conſpicatus, ludibrio habens, cæteris fratribus oſtenſum deridendum expoſuit.

III. *Chamus à patre maledictione oneratur, quod nudum deriſiſſet.*

At *Semus Japhetuſque* pio pudore ſuffuſi, à tergo incedentes, pectoreque averſo ne nudum ſpectarent, injecto pallio contegunt. Noes experrectus, re cognita, *Chamum* diris devovit, ejus fratribus proſpera cuncta comprecatus. Dignum cenſuit, ut qui ſibi obſequium præſtiterat, benedictionibus cumularetur, in malum autem abiret, qui muneris oblitus, parentem deriſioni objecerat.

Mul-

IV.

Posteri Noæ Turris ædificandæ consilium ineunt.

Multiplicatum jam centum Annorum ſpatio genus Humanum, tanta multitudine invaluit, ut unius loci anguſtiis haud caperetur. Hinc *Noæ* apud liberos Nepoteſque conſilium, ut deductis Coloniis, in diverſas Regiones profecti, Civitates ad habitationem conderent. Priuſquam diſpergerentur, omnibus viſum eſt, *Urbem* ingentem, & in ea immenſæ altitudinis Turrim, in potentiæ monumentum moliri. At *Chamus* primus hujus Conſilii author, aliud quàm gentis ſuæ famam machinatus, exſtructam urbem optabat, quo ſecuriùs cæteros Mortales ſuo imperio premens, & Venatoris inſtar, vicinos perſequeretur. Eo igitur ſuadente, coquuntur lateres, vice calcis *Bitumen* ſufficitur, & opus quod cœlo accederet, inchoatur.

V.

Ab incœpto impediuntur, linguarum confuſione.

Cæterùm ambitioſos Hominum conatus diſſolvit, una, qua hactenus uſi fuerant, *Lingua*, in duas & ſeptuaginta, quot aderant Familiæ, diſtracta. Sic ut inſolito loquendi genere, præpeditiſque operantium officiis, ab incœpto ceſſatum eſt. Nam quî diutius coirent, ſublato mutuæ ſocietatis cæmento? Ergo ædificatione abrupta, aliò demigrandum ſuccurrit, ut cuique cum aliis loquendi facultate conveniebat. Ita ſublato communionis commercio, & populi conſpiratio, & unius dominatio evanuit. Urbs inchoata *Babel*, hoc eſt, confuſio, poſtea *Babylon* appellata eſt.

Toto

VI. *A. M. 1658. Filii Noæ in varias Mundi partes diviſi.*

Toto Terrarum Orbe à Noæ filiis diviſo, Gentes propagatæ ſunt. *Semus* maxima Aſiæ parte ad Orientem obtenta, Elymæos, Aſſyrios, Chaldæos, Lydos, Syros, Armenos, Indos produxit. *Japhetus* in Europa ſedem figens, & abactis in Aſiam minorem, & partem aliquam Majoris ad Septentriones Nepotibus, Galatis, Medis, Scythis, Iberis, Græcis, Cappadocibus, Thracibus, Cypriis, Rhodiis, Paphlagoniis initium dedit. A *Chamo*, poſtquam cum ſuis partes Meridionales ingreſſus eſt, Ægypti, Æthiopes, Getuli, Libyes, Paleſtini, Phœnices ortum habuere.

VII. *Aureum ſeculum.*

Aſia & Europa hucuſque pacatis, aureum ibi *Seculum* viguiſſe diceres. Nam Imperia non niſi penes Patres erant, qui Liberis Sacra, Nepotibus Jura dabant. Nullæ de finibus *lites*, cùm cuique ſat telluris ſuppeteret, & ſi aliquando ortæ, ex æquo & bono dirimebantur. At verò gliſcentibus Familiis, auctiſque prædiis, cùm ea munera Patresfamilias perſolvere non poſſent, ſpectatæ probitatis Viro imperium ultro deferebant, qui cuncta moderatus, cuique ſuum, Naturæ impulſu, reddebat.

VIII. *Ninus primus pacem turbat, devictis confinibus.*

Hunc innatum Gentium morem *Nemrodus* Chami ex Chuſo Nepos, ſeu ut aliis placet, Ninus, novo regnandi ſtudio ſuſtulit. Homo præcipitis animi, armis potens, & giganteam corporis molem pene aſſecutus. Hic primus, haud ſua ſorte contentus, Bella finitimis intulit, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos ad terminos uſque

Libyæ

Libyæ perdomuit: *Ariæi* Arabum Regis auxilio fretus, ad alios tranſiit, & Babyloniam Aſſyriæ & Arabiæ conterminam adorſus, quatuor Urbibus, Babylone, Erec, Accad, & Chalne in ditionem redactis, reliqua Meſopotamia potitus eſt. Verùm, ut ſatiari Ambitio nequit, & Flammæ vis acrior, quo majori incendio emicuit. *Nemrodus* firmato in Babylonia & Meſopotamia principatu, Aſſyriam invadit: Mox traducto in Armeniam exercitu, impari viribus *Berzani*, qui ſe ultro tradiderat, regnum reſtituit, commeatu tantùm & militibus imperatis. *Mediam* autem irrumpenti, cum occurrere Rex *Pharnus* cum Copiis nititur, prælio victus, cum uxore & ſeptem filiis cruci affixus, miſera morte interit.

IX. *Ninus totam Aſiam ſuo ſubjicit imperio.*

Nemrodum rebus proſperis elatum demum Cupido inceſſit Aſiam, inter Tanaim & Nilum fluvios, ſitam aggrediendi. Inquietus Victoris animus, quem nec mare, nec montium juga diſtrahunt, ex proxima Hoſtium cæde, ſequentis Victoriæ inſtrumentum efficiens. Quare præfecto *Mediæ* conſtituto, ad reliquum *Aſiæ* ſubigendum properat; nec irrito labore, nam annis ſeptemdecim, omnem imperio ſuo adjecit, Indis & Bactrianis exceptis, quos alio tempore aggrediendos ſatiùs eſſe exiſtimans, in Aſiam reverſus eſt.

X. *Ninive à Nino condita, jamdudum evanuit.*

Tanto principi, torque Victoriis inclyto ſedes deerat, è qua imperium protenderet. Congeſtis undique Viribus, & Artificibus

tificibus comparatis, Urbem molitur, tantæ Dominationis caput. *Ninive* ei nomen, ſupra Lycum flumen ſita, Octuaginta ſupra quadringenta ſtadia ambitu complectebatur, Turribus mille & quingentis, ad arcendum Hoſtium inſultus inſtructis. Alias quoque in eadem Regione Urbes condidit, at Ninivem omnium maximam, Aſſyriorum primores incolere juſſit. Sed ô irriti Mortalium conatus, cùm tantum gloriæ monumentum jamdudum evanuerit, & quæ id Terræ portio habuerit, ignotum. Nam & Ruinæ perierunt, & fruſtra quæ *Loci* fuerint veſtigia indagantur.

XI. *Zoroaſter occurrit Nino cum exercitu.*

Urbe condita, *Nemrodus* ingentem Peditum Equitumque numerum in Bactrianos ducit, meliorem ſibi priori fortunam pollicitus. Bactrianis *Zoroaſter* præerat, ferro potens, & magicis artibus adeò inſtructus, ut eas primùm inveniſſe, atque Siderum motus curioſiùs ſpectaſſe referatur. Contracto valido exercitu, *Nemrodo* in finibus occurrit, & admiſſa in Provinciam de induſtria hoſtium acie, congreſſus, eum fundit, & ad proximos uſque montes inſequitur. Jam ex *Aſſyriis* centum millia trucidata, cùm *Nemrodus* ſuis præſto eſt, explicato totius exercitus robore. Bactriani multitudine oppreſſi, terga vertunt, ad Urbem tuendam delapſi. *Bactra* Urbium præcipua, diu obſidione cincta demum Semiramidis *Menonis* Syriæ præfecti uxoris arte, in Hoſtium poteſtatem venit. *Nemrodus* fœminæ Virtutem, mox ſpeciem admiratus

(utraque

(utraque siquidem cæteris mulieribus præstabat) donis cumulatam, in conjugem concupiscit. Menoni reluctanti, oculorum jacturam, ni obtemperet, minatur. Is metu perculsus, simul & Amore demens, fune sibi necem conscivit; Nemrodo Semiramide derelicta potiùs, quàm concessa. Ita Rex Bactrianorum spoliis ovans, & *Semiramidis* conjugio potitus, Ninivem revertitur.

XII. *Noes moritur trecentis quinquaginta annis post diluvium.*

Inter hæc, *Noes* alter humani generis Conditor, cùm penè nongentos & quinquaginta annos vixisset, vitæ pertæsus, quam jugis Nepotum malitia acceleraverat, eam deposuit. Inter patres, qui ad millenos propemodum annos vitam protrahere ambierunt, ultimus. Aquarum enim eluvione, Naturæ vi labefactata, Mortalium ætas ad centum annos deducta est. Duodecim annis à Noæ sanctissimi exitu completis, Orbis perturbator *Nemrodus*, tantorum scelerum pœnas, morte subita luit. Nam dum ex Urbibus, quas ferro subegerat, unam, quæ ab Imperio defecerat, revocare satagit, jaculo ictus, decessit, *Nino* filio adhuc impubere, ex uxore Semiramide relicto.

XIII. *Semiramis defuncto marito rem administrat, filium mentita.*

Semiramis, referente Justino, nec immaturo puero tradere imperium ausa, nec ipsa palam tractare, tot ac tantis Gentibus vix parentibus uni Viro, nedum Fœminæ parituris, simulat se pro Uxore, *Nini* filium, pro fœmina *Puerum*. Nam & statura utrique mediocris, & vox pariter gracilis,

cilis, & lineamentorum qualitas, Matri ac Filio ſimilis. Igitur brachia ac crura velamentis, caput Tiara tegit, & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu, & Populum veſtiri jubet: quem morem Veſtis exinde gens univerſa tenet. Sic primis initiis ſexum mentita, pro puero habita eſt.

XVI. *Babylonem ampliandam aggreditur.*

Semiramis Imperium præſtigiis aſſecuta, Conjugis gloriæ æmula, *Babylonem* exigui tunc Ambitus Urbem perficere in animo habuit. Mulieris impotentiam nihil coercere poteſt, ubi veſana ſeu Veneris, ſive Honoris cupidine ducitur. Coactis igitur undique Artificibus, tanto Operi triginta Hominum millia adhibet. Muris conſtruendis Amici præficiuntur, quorum indefeſſo ſtudio, Anni ſpatio, quamvis ad trecenta & ſexaginta ſtadia porrecti, ad finem perducti ſunt. Coctus later materia fuit, Bitumen arenati loco interſtratum. Sic in altum expandebantur, ut *Cubitos* quinquaginta æquarent, tantæ latitudinis, ut duos ſimul Currus admitterent. Illos Turres centum & quinquaginta muniebant, ornabantque; reliqua paludes tuebantur. Pontem à mœnibus erigere Regina conſtituit, ſuper Euphratis anguſtias, Urbem mediam interfluentis. Longitudo ejus quinque Stadiorum erat, triginta pedum Latitudo. Ab Ea quoque binæ Regiæ ad fluminis ripam extructæ, è quibus & proſpectum Urbis & frenum habebat. Ne Numinibus *Pietas* deeſſet, miræ altitudinis

dinis Templum ædificavit, è quo *Chaldæis* Astra Cœlosque contemplari solitum. Hi Sacris vacabant, cæterùm à publicæ rei administratione immunes.

XV. *Post multas Victorias Semiramis à libidine vincitur.*

Babylone magnificentissimè munita, comparatos Viro Imperii terminos protendere *Semiramidi* placuit. Hinc ingenti instructo exercitu, arma in Ægyptum protulit, adjuncta postmodùm dominatui suo Æthiopia. Non *Indis* pepercit, adversùs quos Bellum non semel redintegravit. Sed Fœmina virilem animi ardorem supergressa, libidini occubuit. Quippe Horto circa *Chaonem* Urbem otio ac deliciis destinato, Amoris stimulis adeò agitata est, ut Militum speciosissimos non admiserit modò, sed provocaverit ad Stuprum: Sed eos, blandè sæviens, ne scelus vulgaretur, ad mortem adigi postmodùm imperabat. Adeò fortuna prospera uti arduum est, & non lascivire, ubi licent omnia, & Numinis reverentia exulat.

XVI. *Incompta ad Babylonem, quæ defecerat, expugnandam pergit.*

Subacta *Media*, Persiam aggreditur, in qua cùm per tempus moraretur, id memoriæ de illa proditum est; cùm ei circa capitis sui cultum occupatæ, Babylonem defeciſſe nuntiatum esset, altera Crinium parte adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit; nec priùs Capillorum decorem in ordinem, quàm tantam Urbem in potestatem suam redegit. Quocirca Statua ejus *Babylone*, illo habitu posita est, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit.

XVII. *Semiramis demum ab Indis victa, domum reversa à filio occiditur.*

Annis decem interjectis, Regina in *Africam* ex Asia convertitur, ubi *Æthiopibus* vario certamine superatis, *Indos* denuò invadit: Adventum ejus *Staurobates* Rex primùm per Legatos, dein missis epistolis divertere nititur. At illa monitore spreto, confestim instructam Indorum Classem expeditis Navibus adoritur, & maxima ejus parte aquis submersa, Oppida ac Insulas flumini adjectas præripit, centenis propemodum Barbarorum millibus jugo submissis. Igitur, prælio navali Rex victus, simulata fuga, Copias procul à flumine in aciem directas abscondit, quò *Assirii* factum Timori tribuentes, Amnem dubitatione semota, præcipites ingrederentur. Instituto Res successit. Semiramis felicitate fortunæ elata, Agminibus per pontem trajectis, Hostem cùm ardore insecuta. Rex detecto Elephantorum apparatu (quippe Elephantorum vice, Camelos *Regina* admoverat) alacrior effectus, omnem Exercitum latebris in Assirios eduxit, & Bellica Animalia simulatis opponens, primùm Superior, Victor subinde effectus est. Semiramis levi vulnere icta, fugam equo velocissimo capessit: nec multo post, in *Bactriam* reversa, cùm Nini filii congressum, ut fertur, appetiisset, ab eodem de medio sublata est, quadraginta duos annos post *Ninum* conjugem, Regno potita.

Ninus

XVIII. *Ninus Junior, nihil Patre dignum egit.*

Ninus Junior Matre extincta, Imperii frænum ſuſcepit, ſed à paterna virtute degener. Nam poteſtatis nomine contentus, abjecta militiæ cura, inter pellices & Eunuchos turpiter conſenuit. Hominis fœlicitatem in eo ſitam eſſe ratus, Rebus moleſtis abſtinere, & Delicias, voluptatem ſectari. Sic vanum Imperatoris nomen triginta & octo annos ſortitus, latuit potiùs quàm vixit, in palatio tanquam in conditorio torpens, ſepultus.

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Tertius.

De Patriarcharum Seculo.

I.
A. M. 2083.
A. Chr. 1921.
Abrahamus Dei mandato Patriam relinquit.

HOminum gente in totum Terrarum Orbem adacta, crescebat *Impietas*, & cultu Dæmonum undequaque repente, sensim Mortales ad Idololatriam rapiebantur, cùm Abrahamus ex *Serugo* proavo, Avo *Nachore*, & patre *Thara* genitus, inter paucos veri Numinis cultores apparuit. Is siquidem abjectis primùm Deorum simulachris, mox iisdem Igni devotis, Deum unicum, cunctarum Rerum opificem nuntiare ausus, ei soli Venerationem deberi asseruit. Annum agens septuagesimum, *Ure*, sive Uria Chaldeorum Urbe, Deo Monitore egreditur, Sceleratorum consortium vitans, ne suorum quis impietatis contagio, luem contraheret. Inter malorum nostrorum causas, id numerandum, quòd

quòd ad exempla vivimus, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Itineris comites *Sara* uxor, *Lotus* Urani fratris filius fuere, Tharæ Patre velut peregrinationis Duce, quem vel erga gnatum amor, vel perfidæ gentis odium ad diſceſſum adegerat. *Charris* Meſopotamiæ baculum figit, ſeu loci amœnitate illectus, ſeu continuæ peregrinationis pertæſus.

II.
A. M. 2084.
In Paleſtinam Abrahamus pervenit.

Thara autem Mortalibus exempto, *Abrahamus* ſeptuaginta quinque annorum vir, denuo cùm familia, boniſque omnibus peregrè proficiſci juſſus, in Paleſtinam iter dirigit. Deo enim viſum eſt, Nominis ſui honorem per Orientis tractus diffundere, Viro ad impii *Chami* propaginem delegato, qui ſanctitate ac Sapientia inſignis, Chriſti Humani generis Reparatoris adventum prædicaret. Abrahamus Deo illic apparenti, terramque omnem, quam oculis ejus objecerat, pollicenti Aram poſuit, in Fidei Arrham. Interim *Pharao* (hoc nomine paſſim Ægyptii Reges noſcebantur) Saræ venuſtate captus, eam in uxorem ambit, adeò mala eſt ſarcina Pulchritudo, atque ſervatu difficilis. Penè de Uxore actum, ni Mariti adfuiſſet ſolertia, qui mandata cœleſtia Thori curæ præferens, eam *Sororem* vocat, Adulterio in mulieris contumeliam veluti ſerviens, incolumitati ſuæ conſulturus. Rex repentinis malis continuo afflictus, cauſam ex-

piſcatur, cognito per Sacerdotes *Abrahami* cum *Sara* connubio, Conjugi integram reſtituit, publico priùs edicto, ne à quoquam, verbo factove diſcedens temeraretur. *Abrahamus* Principis præſidio munitus, Cananitidem, unde profugerat, revertitur, ſeu *Fame* per id tempus ſublata, ſeu commeatu probè inſtructus. Hoc pacto Numinis Majeſtas innotuit; ſic Barbaræ Genti prædicatum Dei nomen; ſic *Phœnices* populi à Gidone in Ægyptum porrecti Aſtronomiam, Solis, Lunæque Motus rationem, *Abrahamo* Doctore hauſere. Sic *Pythagoras*, *Thales*, *Democritus*, Græcorumque plurimi, has Diſciplinas ab Ægyptiis edocti, ad varias Nationes transfuderunt.

III. *Abrahamus & Lotlus præ nimia opulentia ſeparantur.*

Erant *Abrahamo* greges, armentaque, quibus magna Auri ac Argenti vis acceſſerat. *Lotus* quoque Fraternæ Benedictionis ſocius, opibus affluebat, quæ licet Societate partæ, demum magnitudine ſua Societatem rupere. Nam inter utriuſque pecuarios ortæ lites, inter famulos jurgia, quibus ſedandis, nihil niſi Divortium occurrit. Uti duos Reges Regnum non capit, unum Solum duo ſolia non ſuſtinuit. Ergo *Lotus*, data à patruo optione, in laxiora *Sodomiæ* ſpatia ſeceſſit, Deo ita dirigente, ut Homines hinc inde diffuſi, uno Dei cultu imbuerentur.

Eo

IV.

A. M. 2092. A. Chr. 1912. *Devictis quinque Regibus ac ſpoliatis Sodomis Lothus captus ab Abrahamo reducitur.*

Eo temporis ſpatio, *Aſſirii* latè pe Orientem dominabantur; Gens, ut dictum eſt, armis inclyta, & Imperio potens. Nam etſi *Ninus* Junior, Voluptati intentus, Adminiſtrationis curam abjeciſſet; Satrapis tamen Reipublicæ ſtudium commiſſerat, qui Duces Regeſque proinde nuncupati ſunt. Primus *Amraphel* Babyloniæ, *Ariochus* Elaſſari in Arabia urbi, *Kedor Laomor* Elimæis; *Thideal* Pamphilus præerat; Hi viribus junctis Sodomæ Rebelles aggreſſi, vicinarum quoque regionum præfectos ſub jugum reducere moliebantur. Principio audaciæ favit Expeditio; nam *Arabiam*, Jordanique confinia depopulati, ſuperatis primùm Civitatis Aſtaroth-Carneorum gygantibus, quinque earum Regionum Regulos acie devicerunt. Nec mora *Sodoma* Victoribus in prædam ceſſit, in qua incluſus *Lotus* cum cæteris in Captivitatem rapiebatur: Ni *Abrahamus* de clade admonitus, luſtratos properè ſervos in aciem duxiſſet; Nam Dei promiſſis fiſus, trecentis decem & octo viris in hoſtes irruit, & Noctu interceptos fudit, fugavitque, præda incolumi, captiviſque omnibus receptis. Adeò facilè militiam tractant, qui commilitonem Deum adſciſcunt.

V.

Abrahamus benedictione à Melchizedeco accepta, cum ſta Regi Sodomorum reſtituit.

Quare *Melchizedechus* Rex Solymorum, victoriam gratulaturus, Abrahamo occurrit, Munificentia gaudium ſuum oſtentans, nam cùm apud gentem impiam *Sacerdos* eſſet, Panem Vinumque protulit, non tam ad ſacrificium, quàm ad ca-

ſtrenſe convivium, quo Hoſtium cæde fatigati Milites, reficerentur. Pro Muneris tamen ratione, *Abrahamum* Benedictionibus cumulat. Is Beneficii conſcius, Spoliorum omnium Decimas ſolvit, in gratitudinis monumentum. Terrenarum Rerum decimas facilè largitus ei, à quo Spiritualium benedictionem acceperat. Ad *Sodomitarum* Regem, qui Captivos ſibi reſtitui poſtulabat, non eos modò, ſed & prædam remiſit, Barbarorum bona dedignatus, à quibus oblata munera repudiaret. Hinc militari commeatu contentus, Manubriarum partibus, quæ fœderatorum erant, retentis, cætera integra remiſit. Haud ignarus Triumphi decus mercede minui, magnique ad Victorem intereſſe, pecuniâne an gloriâ dimicaverit.

VI.

A. M. 2093. A. Car. 1911. *Abrahamus non ſuſcepta ex Sara prole, Agaram admittit.*

Cæterùm *Abrahamus* tantis ſummi Numinis muneribus celebris, animo angebatur, quòd ſeneſcens, & octoginta annos prætergreſſus, Liberis orbaretur, quibus bona ſua contingerent. Ubi promiſſa Dei Benedictio? Cur ſterilis conjux? Infelix illa felicitas, quæ Hærede deſtituitur. Igitur alteram complendis effatis uxorem conſtitui arbitratus, *Sara* etiam ad id impellente, *Hagæram* Ægyptiam domi Ancillam admiſit, ex quâ proles ſuſciperet. Abrahamus Patriarcharum primus extitit, qui duarum Conjugum conſuetudine ſimul uteretur. Sed ea mente, quòd ex ſe genitus Hæres aliquando prodiret.

Hagara

Hagara, utero ex Domino tumeſcente, fœcunditate ſuperba, Heram contemptui habet: At illa contumeliæ impotens, apud virum conqueritur, veluti Injuriæ autorem, mox, illo annuente, acriter objurgatam Domo expellit. In *Ægyptum* properantem Dei Angelus compellat, ad Heram ut revertatur ſuadet, ejus gratiam tolerantia ac obſequio redemptura. Igitur ad *Saram* reverſa, haud multo poſt *Iſmaelem* Domino peperit, à Deo nominatum, priuſquam in Lucem, prodiret. Abrahamo annum nonageſimum nonum agenti, denuò ſe conſpiciendum Deus præbens, nova prole ex *Sara* uxore auctum iri pollicetur. Dein ejus Semen velut arenas marinas, ac Cœli ſidera multiplicandum eſſe, ſed ejus poſteros apud exteram gentem quadringentorum annorum ſpatio ſubjugo ponendos; demum arbitrio ſuo ac poteſtati reſtituendos. Tunc utrique mutatum nomen; Nam qui antehac *Abramus*, litera addita, Abrahamus, hoc eſt, plurium Gentium Pater appellatus eſt. Sara ex *Sarai* dicta, hoc eſt, omnium Gentium princeps.

VII. A. M. 2107. A. Chr. 1897. *Ejecta domo Agara, monitu Angeli revertitur. Promittitur Abrahamo filius.*

Sub id tempus Originem *Circumciſio* habuit, totique Abrahalemicæ genti impoſita: Quippe Deus genus ejus à cæteris diſcretum volens, maribus pudenda circumcidi juſſit, etiam pueris *Octavo* poſt Nativitatem *die*. Hinc mos ad *Judæos* longa annorum ſerie deductus, recens natos præſcindendi; Id certum poſteris documentum

VIII. *Circumciſione à Deo precepta, alia proles Abrahamo promittitur.*

tum existimantes, semen ea ex gente quondam effluxûrum, quod Universo Orbi salutem adferret. In tantæ Spei partem venire cupidi, sanctam Consuetudinem amplectebantur, iis repudiatis, qui divino fœdere constringi obsisterent. Igitur Abrahamus sibi, Ismaeli Puero, totique familiæ abrepto præputio, Dei mandatum exsecutus est. In obsequii præmium, Deus novam prolem ex nonagenaria Uxore pollicetur, cum qua ejusque progenie fœdus esset firmaturus.

IX. *Angeli hospitio ab Abrahamo jus cepti, filium ex Sara præruntiant.*

Qui id factum, accipe; ad Tabernaculi fores *Abrahamus* stabat, cùm tres peregrini derepente ejus oculis objiciuntur: sed revera Angeli erant, Advenarum habitu Homines mentiti, ad Hospitalitatem Abrahami explorandam. Ille ad se eos accedere haud passus, domicilio prodit, non satis benefacere ratus, ni quod facere parabat, maturaret. Divini nescio quid in eorum vultu contemplatus, præcipuum allocutus, rogat, ut Animum boni consulat, ædes cum Sodalibus subiret, nec rusticum apparatum dedignaretur. Unà introducti, Angelos se præfantur, & ad *Sodomorum Gommorræorumque* extinctionem delegatos: se tempore constituto reversuros, Saræque, siccatis etsi menstruis, prolem polliceri. Sodomæ tunc *Lothus* agebat, in Civitatis porta fortè considens, Hospites, si qui advenirent, excepturus. Conspectis *Angelis*, vultu in terram declivi, fit obviam, & molestiam etiam deprecantes, ad hospi-

hoſpitium cogit. Poſt cœnam vix cubitum ierant, cum vis foribus fit, Sodomæis pulchros aſpectu Juvenes ad Libidinem expoſcentibus.

X. *Egreſſo Sodoma Lotho urbs comburitur, uxore in ſalem converſa.*

Lothus domo egreſſus, immite probrum objicit, & ut à concepto facinore abſtineant, rogat, hortatur. Sed Contumacibus ſic tenebras Angeli offundunt, ut contingendis foribus tota nocte fruſtra occupati, defatigarentur: Deo illis cæcitatem conciliante, quos perdere decreverat. Ergo *Angeli* Sodomærorum impietatem experti, *Lothum* admonent, ut ſi quid in urbe charum, filios, filias, aut generos haberet, protinùs educeret, excidium Oppido imminere, à tergo Sceleratis eſſe pœnas. Abeuntibus interdictum, ne retroſpicerent, aut in planitie morarentur, ſed ad montem *Engaddi* cito pede tenderent. Fatum! *Lothi* uxor, mandati Divini immemor, dum Sodomam reſpicit, in *Salis* molem vertitur. Mortalibus documentum futura, ut in Dei v.a progrediantur, & admotis aratro manibus, ab incœpto haud deflectant. Interim proximè Urbs ardebat, & igne undique acceſſito omnia flagrabant. Non Incolis, non Agro parcitum. Adeo ut eminente Dei Juſtitia, flammæ flammis cohiberentur, & Libidinis ardorem ſulphuris fœtor penſaret. Pari incendio *Gomorra*, *Zebion*, & *Admam* oppida obruuntur, nam quidni iiſdem ſceleribus correptos, ſimile ſupplicium corriperet? Lacus nunc extat, *Aſphaltites* nomine, æternum Divini furoris monu-

numentum; nam quæ antehac fertiliſſima habebatur, nunc aquis tecta, Mare quidem, ſed Mortuum nuncupatur; quòd Piſcis inops, Aves abigat, etiam ſtagnis ſuetas. Bituminis ferax, & non niſi Alumine illinitorum patiens.

XI. *Lothus incendio ereptus, inceſtum cum filiabus committit.*

Interim *Lothus* in Zoaram urbem ab Angelo deſtinatam evaſerat; ſed animi anceps, num quæ flamma magnas depopulata fuerat, Minimæ parceret, montem cùm *Filiabus* aſcendit, ſpecum in ſalutem ingreſſus. Dum ſoli otiantur, curaſque vino liniunt; Fœminæ Mortalium genus extinctum ratæ, de eodem propagando rationem ineunt. Cùmque nemo præter Patrem occurreret, Mero ſopitum ad inceſtos concubitus ſtimulant. Ex pudendo complexu ambæ filios, major *Moabum*, *Ammonem* minor pariunt. Hi magnarum Gentium Patres extitere. Hinc videre, locum nullum vitio immunem, & Solitudinem ipſam Dæmonum inſidiis patere. Lothus ſiquidem inter perditos Homines intactus, inter ſuos autem temulentus ac inceſtus.

XII. *Abrahamo in Geraris peregrinanti uxor tollitur, ſed intacta redditur.*

Abrahamus conſumptis totius Regionis frugibus, ſeu Vicinorum ſtrage perculſus, occupatam annis viginti tribus *Mambræ* planitiem deſtituit, ſolitudines inter *Cadeſum* & *Surem* ſitas petiturus. In Gerara Paleſtinæ hærenti viſum eſt, non Conjugem ſed Fratrem à Sara ut quondam appellari, ſibi arte illa cavens, ne *Abimelechi* Regis, qui ejus amore captus, pro uxore habendam abduxerat, inſidiis premeretur.

retur. Deus verò injuriam Abrahamo factam haud ferens, Cupidinem Morbo compescuit, mox in somnis admonitum, Hospitis uxorem esse edocet, mortem minatus, ni intactam protinus relinquat. *Abimelechus* inter Barbaros probus, accersitum Abrahamum de Saræ pudicitia securum esse jubet, nihil ei turpe contigisse testatus. Ad diluendum errorem, armentis ac gregibus, quas ei dono obtulerat, mille argenteos addidit: Conjuge sua frueretur, & velatis oculis, ne sineret egregium formæ decus spectantibus esse noxæ.

XIII.

A. M. 2108. A. Chr. 1896. *Nascitur Isaacus, immolari à Patre præcipitur.*

Haud multo post *Abrahamus* annos jam centum natus, de sterili ac effœta conjuge Filium susçipit, cui *Isaaci* impositum nomen, quòd rei novitas risum peperisset, & præter posteritatis gloriam, divinæ omnium Salutis causæ accessissent. Puer octavo die, prout Oraculo Præscriptum, circumciditur, *Sara* tunc non ficto ampliùs, sed interiori gaudio perfusa. Sed heu! quàm indivulsus à lætitia Dolor: Dominus Abrahami fidem probaturus, Filium tam carum pignus, tot votis expetitum, ac unicum Paternæ ditionis Hæredem jugulare imperat. In *Moriæ* Regionem proficisceretur, & in Monte, quem illi esset monstraturus, in holocaustum offerret. *Abrahamus* Dei voce agnita, non ambigit, non tergiversatur, sed Animi alacritate, ad parendum Deo accingitur. Tam audax facinus *Saram* celat, quam etsi Numinis amantem nosset, sed matrem; Quid si

pueri

pueri furto obſequendi materiam ſubtrahat? Sacra lachrymis fœdet? Et Jubenti Deo injuriam arroget? Ergo rebus ad iter paratis, ad Sacrificii Locum *Iſaaco* comite, poſt tres dies pervenit. At quorſum tam prolixum ſpatium? Ut per Triduum curis recurſantibus viſcera Paterna cruciarentur, ut Filium dilectiſſimum Pater diu aſpiceret, cum eo veſceretur, & tot noctibus Filii amplexibus implicitus, tentationem acrius experiretur. *Iſaaco* de Victima ſollicito, Deum illam procuraturum Pater reſpondit. Altari lapidibus erecto, forti animo eſſe jubet, Holocauſtum ſe, ſe Hoſtiam eſſe præparatum. Nec mora, cultrum Jugulo, facinus patraturus admovet, quum voce Cœlo emiſſa, ut *Puero* parcat, admonetur. Dum vultu retorto in Angelum clamantem dirigitur, en ob oculos, implicitis Vepreto cornibus *Arietem*, quem prehenſum *Abrahamus* Domino immolat. Sacrificio peracto, Dominus Abrahamo locutus, quæ antea ſpoponderat, denuo promiſit.

XIV. *Sara mortua, Servus ab Abrahamo in Meſopotamiam ad querendam filio uxorem mittitur.*

A. M. 2145. A. Chr. 1859.

His proximis diebus, *Sara* cùm annos viginti ſeptem ſupra centum vixiſſet, Hebrone, ad quam ſe ſeu negotiandi, ſeu valetudinis cauſa, contulerat, Mortem oppetiit. Ab *Hithæis* Sepulchrum Abrahamus pretio obtinuit, Uxori tunc, & poſthàc ſibi familiæque commune, Cines cineribus miſcerentur, & pia Oſſa ſe contingerent. Juſtis ſepulturæ ſolutis, de Conjuge *Iſaaco* quærenda conſultum. Ad id *Eliezer* è Servis natu maximus, notæ ſagaci-

ſagacitatis, eligitur. In Meſopotamiam pergeret, *Rebeccam* Nachoris fratris ſui Neptem ſecum deducturus. Is Heri mandatis inſtructus, iter Camelorum ope capeſſens, donis onuſtus, *Charras* pervenit. Veſpera eminebat opportunum Virginibus tempus, quo Urbe egreſſæ, Aquam puteo hauriunt. Famulus à Deo edoctus ſponſam *Iſaaco* deſtinari, quæ undam poſcenti ultrò concederet. Ergo id *Rebeccæ* præſtanti, ubi ſe *Bethuelis* natam, *Nachoris* neptem, atque *Abrahami* terra Tribuque oriundam palam fecit, *Eliezer* inaurem, armillaſque aureas obtulit. Ad *Labanum* fratrem per illam admiſſus, ſe ab Abrahamo divitiis, Ovibus, Bobus, Camelis potenti Legatum exponit; ut *Iſaaco* Filio tot bonorum Hæredi ſponſam Rebeccam adſciſceret. Labanus & Bethuelis id divino conſilio geſtum rati, voto annuunt, conſentientem Virginem abduceret, ſtabili connubio jungendam. Animo exultans Famulus felicitatem præcipitat, & proxima luce, *Rebeccam* cùm *Debora* nutrice & Ancillis comitatur. Beerſeba in conſpectu erat, cùm Iſaacus forte in agris diverſatus, fit adventantibus obviam, Rebecca, famuli indicio, quis eſſet, intelligens, Camelo protinus delapſa, caput peplo obnubit, verecundiam Virgines edocens, etiam in Nuptiis præire debere.

XV.

Aliam uxorem Ceturam Abrahamus ducit.

Eodem penè tempore, Abrahamus centeſimum & trigeſimum ſeptimum agens annum, *Ceturam*, Canaanæam, aut ex vicinis

nis gentibus Juvenculam, uxorem duxit, ex qua ſex liberos ſuſcepit, *Zimranem*, *Joſanem*, *Medanem*, *Midianem*, *Isbocum*, & *Shuam*, viros inſignes, & famæ ſuis temporibus celeberrimæ.

XVI.

A. M. 2148. A. Chr. 1856. *Rebecca duos filios genuit, Eſauum & Jacobum.*

Iſaacus autem incaſſum uxorem habuiſſe videbatur: Etenim annis viginti torum experta, effœta adhuc, nullas proles genuerat. Demum exorato Numine, *Eſauum* & *Jacobum* geminos edidit. Fertur, prodigio ſimile, eos adhuc Matris utero hærentes, de primatu conflixiſſe, quum priori nondum egreſſo, alius prodiderit, Fratris calcaneum, ut jam præcipitem retraheret, digitis complexus. Conſulto de rei inſolentia Oraculo, reſponſum eſt, duas in His *Gentes* præſignari, ferro concurſuras, ſed natu majorem, minori eſſe ſubdendam. *Eſauus* colore rufo, & toto corpore hiſpidus, animi ferociam teſtabatur. Mitius *Jacobo* ingenium, quo ſibi matris affectum facilè devinxit.

XVII.

A. M. 2183. A. Chr. 1821. *Abrahamus moritur.*

Abrahamus jam humanæ felicitatis ſatur, annis centum & ſeptuaginta quinque exactis, illæſam probitatem Sepulchro intulit. In eodem Luſtro cùm *Sara* Conjuge Hebrone conditus. Funus *Iſaacus* cùm *Iſmaele* curavit, qui & Hæres à Patre ex aſſe relictus fuerat. Quippe *Ceturæ* filios muneribus Abrahamus donaverat, jamdudum in Orientalem plagam tranſmiſſos. Propinquos opulentia torquet, nec eos ſinit diu ſine contentione vivere.

Famo

Fame inter Cananæos gliſcente, *Iſaacus* Patris exemplum ſecutus, Ægyptum, ut Regionem proximam, ita feraciſſimam cogitabat, ni admonitum Dominus in Gerare ad *Abimelechum* Regem properare juſſiſſet, iteratis ei Paleſtinæ terræ promiſſionibus. Id ipſi curæ eſſe, ut qui Parentem ſervaverat, incolumis filius fieret. Enimverò Agro in *Gerare* conducto, Semine commiſſo, centuplam meſſem in arctiſſima annona retulit. Opibus auctis, ac innumeris pecoribus locupletatum, *Paleſtini* premente invidia, deturbare moliuntur. Quid? Inquilinus ſolo ſuo diteſceret, & Civibus id fruſtra colentibus floreret unus? In malam crucem abeat, qui Cœli rorem ab eis exfuratur. Abimelechus in Livoris partem venit, qui viri potentiam ac felicitatem veritus, finibus ſuis diſcedere imperat. Morem gerit vir pius, & nihil de animi perverſitate queſtus, in *Geraris* vallem tacitus deſcendit. XVIII. *Iſaacus ob famem in Geraris peregrinatur,*

Interim *Abimelechus* facti pœnitens, quòd Hoſpitem pietate inſignem, & quòd animum acrius urgebat, ſupremo Numini charum, regni finibus abjeciſſet, *Phicolo* copiarum duce comitatus, ad *Iſaacum* profectionem parat. Cœperat enim peregrini fortunas timere, ne in ſuam perniciem augerentur, aut indignè offenſo ultionis mens aliquando ſuccurreret. Is adventum miratus, nam quid illis cum profugo, quem Urbe, Patria expuliſſent? Intellecto autem, ſe Amicitiæ cauſa quæri, Paterni XIX. *Abimelechus fœdus cum Iſaaco init.*

fœderis potiùs quàm opprobrii memor, pacem cùm Rege coit, jurejurando mutuo die ſequenti firmatam. Facilè apud placabiles Animos offenſa langueſcit, & recentibus officiis, non mitigatur modò, ſed cadit & aboletur.

XX. *Eſauus jus primogenituræ juſculo vendidit.*

Anno Iſaaci centeſimo, *Eſauus* Judithan, & Baſmetam Cananæorum Magnatum filias duxit uxores, nihil moratus, quòd Hithæorum gentem parentes averſarentur. At vindicem Dei manum confeſtim præſenſit, primogenituræ privilegio, in *Jacobum* fratrem fœdere traducto. Sic contigiſſe fertur; Eſauus à venatione reverſus, cùm fratrem pulmentum ex lenticulis coquentem reperiſſet, ita ejus colore captus eſt, ut partem ſibi concedi avidè expoſceret. Haud ægrè *Jacobus* annuit, ſed ſtatuto prætio, primogeniti jure. Id vile guloſo Homini viſum, principatum haberet ſibi tamdiu inutilem. Hinc rufo Homini, rufi ferculi avido, *Edom* nomen impoſitum, qui Idumeæ appellationem fecit.

XXI. A. M. 2245. A. Chr. 1759. *Jacobus benedictionem Eſauo de matris conſilio præripit.*

Iſaaco ætate jam provecta, & annum trigeſimum ſeptimum ſupra centeſimum agenti obvenit, *Eſauo* filiorum natu majori Benedictionem impertiri. Vitæ enim incertus, accerſitum jubet venatum proficiſci, & ferina carne, qua lubens veſcebatur, cœnam ſibi pararet, teſtamentariam illi ceu Heredi precationem pollicitus. Dum Patris juſſa executurus abit, *Rebecca* primogeniti jus Jacobo eſſe datum prænoſcens

ſcens, detecta illi Conjugis mente, quid facto opus ſit, admonet: Eſcam, jugulatis Hædis, Iſaaco apponeret, & eorum exuvio circumvolutis brachiis, ut pro *Eſauo* habitus, Benedictionem præriperet. Ita ad fallaciam inſtructus, ad Senem properat, & quod tantopere ſectabatur, obtinet. Vix Pater cœlum benignum, frugiferoſque Agros precatus erat, cùm *Eſauus* à venando reverſus, conditam opiparè carnem Patri appoſuit. Is errore cognito obſtupuit, quòd prærepto Majori Principatu, Minorem, quem obſequio deſtinarat, auxiſſet. Haud tamen eluſus Mendaci ſuccenſet, ſed id Divinitus factum intelligens, ratum voluit: Populos Jacobus regeret, & Fratribus dominaretur. Ne tamen Primogenitum abſque Benedictione dimiſſum irritaret, venandi ſtudio, & Armorum præſtantia celebrem prædixit; imo futurum aliquando tempus, ut excuſſo jugo, Imperium invaderet.

XXII. *Jacobus in Meſopotamiam tranſiens, Deum in ſomnis videt.*

Ut Ira odiumque magnos in humanis pectoribus fluctus commovent; Sic in fratrem *Eſauus* adeo exarſit, ut ei necem moliretur. Manu tamen ad tempus abſtinuit, genitorem veritus, ne Filii mortem maledictis vindicaret. Jacobum autem mitis ſpiritus Virum minis terruit, cui Matre *Rebecca* hortante, conſilium fuit, exitium exilio declinare. Ad *Labanum* Avunculum in Meſopotamiam pergeret, illincque deferveſcente Fratris Rabie reverteretur. Diſceſſurum Iſaacus admonuit è gente ſua

Uxorem adſciſcere, inviſum ſibi Chananæorum genus, quo Fratrem pollui gravabatur. *Jacobus* iter ingreſſus, Die altero, ſomno ſub dio gravatus, Dominum deprehendiſſe fertur, ſcalæ à Terra Cœlo cacumen inſinuanti innixum, plurima ſibi pollicentem, tum Angelos ſupra humanam ſpeciem venerabiles, quorum alii miniſtrorum inſtar, à Scalæ vertice deorſum, alii ab imo ſurſum ferebantur. Hoc Myſterio intellexit peregrinus, mortalium res Deo eſſe curæ, & cuncta ejus nutu gubernari. Igitur pavore concuſſus, eum locum, velut Dei domum, ac Cœli januam veneratus, ſaxo, quòd ei pulvinaris vice fuerat, erecto, Columnam ſtatuit. Voto addito, ut ſi Rebus ſecundis reverteretur, Domini Hoſpitium ſibi titulum futurum, & ex omnibus Decimas, grati Animi teſtes perſoluturum.

XXIII. *Jacobus ad Labanum pergit, ſervit pro uxore 14. annis.*

A. M 2146. A. Chr. 1758.

Jacobus ſpectaculo alacris, inde profectus, ad *Labanum* iter repetit, haud dubius inter Cognatos avitæ Religionis veſtigia ſupereſſe. Veruntamen Fides quoque ibi languerat, & marceſſente Juſtitia, Rebeccæ frater Idolorum cultui animum adjecerat. Adeò inter pravos, Pietatem tueri difficile, & corruptis paſſim moribus, Sanctitatem ſectari. Non longè à Charris *Jacobus* aberat, cùm *Rachelem* habet obviam. Inſtat, & neceſſitudine detecta, Conſobrinam, gentium more, oſculo ſalutat, ea autem Animi commotione, ut in Lachrymas erumperet. Subibat

bat Auri, Gemmarum, Monilium, quæ Rebeccæ Abrahamus miſerat, memoria, quibus deſtitutus, ſe connubio ſimili imparem arbitrabatur. A *Labano* benignè acceptus, *Rachelem*, quam deperibat, ſeptenni opera paciſcitur, ignarus fortè ſe ſervitutem alia ſervitute mercari. Annis Servitii exactis, *Jacobo* laborum mercedem expoſcenti *Labanus* pro Pulcherrima, *Liam* oculis ægram, tenebris fallentibus, ſubſtituit, genero pro Rachele, alterum ſeptennium ſervire compulſo. Viſus enim Deus eſt, Jacobi fraudem alterius dolo caſtigaſſe, ſiviſſeque, ut qui Fratri priùs impoſuerat, mox à Socero pari arte impeteretur. Tempore demum conſtituto, *Rachel* ei traditur, ſed diu ſterilis, ob quid Sororem quatuor liberorum Parentem ægre ferens, Maritum ut ab Ancillis proles ſibi tolleret importunè poſcebat. Modum enim adinvenit, quo non enixa pareret, & ut interceſſor nihil largita, donaret. Filiorum, quos ex *Lia* Jacobus ſuſcepit, hæc habentur nomina, Rubenus, hoc eſt, *Vide filium:* Simeon, ſive *audiens* Levi, id eſt, *Conjunctus:* Juda, hoc eſt, *Laus.* Ex Ancillis Dan, ſive *judicans:* Nephtali, hoc eſt, *Luctatio mea:* Aſer, id eſt, *Beatus:* Gad, hoc eſt, *Turba.* Tandem Rachel deſperato jam partu, Filium edidit, *Joſephum* Nuncupatum, hoc eſt, *Additionem,* quòd dempto Sterilitatis probro, ſibi de prole altera Mater blandiretur.

XXIII. A. M. 2265. A. Chr. 1739. *Jacobus deo monente cum ſuis ad Patrem revertitur.*

Tum *Jacobus* Canaanitidem repetere conſtituit, Soceri ingratitudine motus. Quid! alteri ſemper conſuleret, ſui negligens? Iniquum videbatur tot liberorum Patri res alienas ampliùs curare. Talia molientem *Labanus* pacto moratur, illi Oves fore, quæ ex albis pecudibus, fuſcæ impoſterum naſcerentur. Hæc merces, hoc ſtipendium Laborum. *Jacobus* fortè Naturæ virium gnarus, collectas ex Amygdala, Caſtanea, Populoque arbore Virgas, cortice detracto variegatas, pecudum oculis ingerit, ut inter potandum fœmellæ fœtu graves, iis conſpectis, Agnos maculis aſpergerent. Hâc aſtutia uſus, ut moram, quam in concedenda *Rachele* Labanus traxerat, penſaret. Succedente artificio, victus in portione Socer ſuccenſet, & rugata fronte, neſcio quid diri in Generum machinatur: Miſera proborum Hominum ſors, qui rebus adverſis, deſpectui habentur, faventibus, invidia laborant. Malum ſuſpicatus *Jacobus*, patefacto priùs Uxoribus conſilio, fugam cogitat. Aberat *Labanus*, & peregre tondendis Ovibus occupato, patebat exitus.

XXIV. *Abeuntem Labanus inſequitur: ſed facto fœdere ambo conciliantur.*

Rachel compoſitis ſarcinis, Patris Teraphæos, viro inſcio, abſtulit, incertum, an ut hoc furto, eum ab Idolorum cultu revocaret, an ut ejuſdem iram, ſi fugientibus inſtaret, deprecaretur. *Labanus* cognita fuga, nec ſimulachris domi repertis, generum properato ſuorum agmine inſequitur. Die ſeptimo in monte Gileadis obtentum

obtentum querela laceſſit, quòd clam abiiſſet, ſuis Deis ſacrilegio ablatis. His *Rachel* ſarcinæ impoſitis inſederat, & cruoris effluvium cauſata, veniam precatur, quòd Patri non aſſurgeret. Idolis nullibi repertis, Labanus priùs à Deo, ne Generum aſperiùs compellaret, admonitus, pactione facta, ne filiabus ſuis novas Uxores ſuperinduceret, in Meſopotamiam reverſus eſt. *Jacobus* periculi metu ſolutus, in Caanitidem iter proſequebatur, cùm innumeros Angelos obvios habuit, velut ejus cuſtodiæ deputatos: quos ut conſpexit, incredibili gaudio perfuſus, *Dei Caſtra* eſſe acclamavit. Ingens ſane poſteris ad Virtutem incitamentum, dum Deus virum bonum præſidio tuitus, ad præſtitutum finem manu dirigit. Hinc Numinis dexterâ fultus, ad Fratrem quamvis ira & odio percitum properat. Nam quem timeret, *Socero* elapſus? Ne quicquam tamen temerè ſuſciperet, Nuntios muneribus inſtructos amandat, qui contumacis animum pertentent. Apud multos valent dona, & quos divincire nequeunt, emollitos torquent. Quò igitur Rei pretio magnitudo accederet, viſum eſt *Pecora* in varios ordines partiri. *Capreæ* ducentæ cùm viginti Hircis anteibant; mox ducentæ Oves cum viginti Arietibus aderant. Sequebantur vaccæ quadraginta cùm decem juvencis. Poſtremò Aſini viginti cum decem pullis agmen claudebant. Nocte concubia, trajecto Jaboci fluminis

vado, *Jacobus*, omne pecus in Ammonitarum regionem eduxit. Mirum, quid illi in ripa ſtanti contigerit; En humana ſpecie *Angelus*, cùm *Jacobo*, noctis reliquo colluctatur, donec pugnæ partæſus, aurora eminente, dimitti ſe poſtulat, abnuit *Jacobus*, ni jam victoriæ certum, data prius benedictione deponeret. Id præſtante Angelo, ei nomen immutatum eſt, ex Jacobo *Iſrael*, quòd Victor evaſiſſet, nuncupatus. Ex certamine autem femoris iſchium *Jacobo* obtorpuit, quo Vir pius intelligeret non Hoſtes defore, quibuſcum conflictaretur, haud tamen pertimeſcendos, Victoriam Victorem ſecuturam.

XXVI. A. M. circiter 2273. A. Chr. 1731. *Ob Dinæ ſtuprum circumciſi Sichymitæ, à Simeone & Levi perimuntur.*

Jacobus cognito Fratrem penè in conſpectu eſſe, maturat gradum, familia univerſa priùs in duas cohortes diviſa: Propior factus, corpore, in terram, ſupplicantis more, dimiſſo, veneratus, propitium reddidit. Nam *Jacobum* complexus, mox in collum involans, oſculatur. Hinc utrimque lachrymæ gaudii, ſollicitudinis teſtes. Conſilii inops *Jacobus*, ſpei formidinique medius hærebat: *Iſauum* in Idumæam ſequeretur? Ejus benignitatem ſuſpicabatur. Viciniam incoleret? Quid ſi loci affinitate, ſimultatum cicatrices refricentur? Placuit reconciliato Hoſti haud fidere, ſed caſtris inde paululum promotis, Domo ſibi conducta, gregibus tabernacula conſtruere. Sex annos illic moratus, agmen, Jordane trajecto, protrahit, Sa[illegible] migraturus. In eo Oppido *Hemor* Chor-

Chorræus Princeps dominabatur, cujus filius *Sichemus*, ut in *Dinam* Jacobi ex Lia filiam obtutum defixit, ejus ſpecie adeò incenſus eſt, ut Virginem in loco ſolitario repertam ſtupro ſubdiderit: Haud tamen vitiatam aſpernatus eſt, ſed promiſſis conciliatam, in conjugem à *Jacobo* popoſcit. Poſtulato aſſentiri Jacobus viſus eſt, modo Sichemi, præeunte Regis exemplo, *Circumciſionis* ritu initiarentur: Id mulieribus Judæis maximè religioni eſſe, ne cùm viris intacto præputio miſceantur. *Simeon* autem & *Levi* germani Liæ fratres, opprobrium non paſſi, cùm Sichemitæ vulnerum dolore, tertia luce premerentur, Urbem invadunt, & Maſculis omnibus ferro deletis, Sororeque ſublata, *Hemoris* ædes depopulati, mulieres crimine innoxias, pueros, armenta, greges in ſua caſtra abigunt. Quanta ex tenui fonte Malorum flumina!

XXVII. *Jacobus objurgatis filiis Bethelem petit.*

Id facinus illinc demigrandi Jacobo neceſſitatem attulit. Quo velo facti enormitatem tegeret? Quibus armis, per regionem infames ſe tuerentur? Sic Judæi, ſic Advenæ conjugia præſtant? Mox perpenſis viribus, metus ingruit. Filios adorſus, quo urgerentur periculo, admonet: Quid in tantum populum, inquit, pauci vos? Quid ſi in parricidii ultionem arma capeſſant, & conſenſu perfidos, Sicarios, Latrones aggreſſi, pari internecione tollant? Hæc præfato nihil fuga conſultius occurrit, *Bethelem* peterent, & altari illic erecto, quæ ante annos triginta, fratrem fugiens,

fugiens, nuncuparat vota, Deo reduci solveret. Ergo sarcinis collectis discessum est, mox integra familia, comitatuque incolumi, ubi oppidum tetigere, litatum.

XXVIII. A. M. 2274. A. Chr. 1730. *Benjaminus morte matris Rachelis nascitur. Josephus concitata fratrum invidia venditur.*

Bethele *Israel* (sic Jacobum in posterum appellari Deus voluit) ad Patrem jam annis decrepitum concessurus erat, cùm *Rachelem* Uxorum dilectissimam partus dolore extinctam audit. Voto enim diu pro nova prole concepto, ejus quidem compos facta, parturiit, sed infantem enixa, dum vitam largitur, amittit. Didicit tunc *Israel* vanum mulieri placuisse, solique amorem deberi, qui interitus expers est. Animam Mater efflatura, Puerum Ben-oni, hoc est, sui luctus filium appellarat: sed *Israel* materni luctus monumentum ad Posteros transferri non ferens, nomine mutato, *Benjaminum*, id est, *dextræ suæ Filium* vocavit. Amorem quidem, quo in Rachelem exarserat, in ejusdem filios transtulit, sed impensiùs *Josephum* prosecutus, minimo proximum, ingenio liberali, Moribus inclytum. Hinc cum Pater tunica Polymita induerat, Magnatum filiis peculiari, in candoris ejus ac prudentiæ tesseram. Hic Affectus fratrum invidiam peperit, præsertim ubi accessere somnia, quibus ingens illi felicitas protendebatur. Sibi enim *Josephus* fratres fasciculos revincientes videre visus est, qui manipulum suum veluti venerati, incurvarentur: dein Solem ac Lunam cum undecim Sideribus humi delapsos, coram ipso pro-

procumbere. Id puerili ſimplicitate narratum motis fratrum animis, excitavit odium. Unde ad Fratres, qui in Dothane greges paſcebant, à Patre emiſſus, injuriæ occaſionem præbuit. Namque è tunica polymita eminus agnito, necis conſilium ineunt. Facinori *Rubenus* obſtitit, ſeu animo mitiori, ſeu tam immane flagitium execratus. Arte fratres aggreſſus, ut in ciſternam abjiceretur, ſuaſit, illic fame, aut à feris laniandus. Interim magno cùm ſudore Puer acceſſerat: Illi nihil mali ſuſpicantem corripiunt, tunica direpta, verberibus etiam exceptum in Lacum inanem dimittunt. Remiſſo tantillum fervoris æſtu, ad mitius conſilium, *Juda* ſuadente, diductis viſum eſt, pretio fratrem vendere. Ergo puteo accerſitum *Madianitis* negotiatoribus, qui fortè ex *Geliade* in Ægyptum proficiſcebantur, viginti argenteis diſtrahunt. Dein tunicam mactati hædi cruore tinctam, ad Senem Patrem per nuntios tranſmittunt, ut à feris diſcerptus puer crederetur.

XXIX. *Joſephus in Ægyptum abductus, ob contemptam heram in carcerem conjicitur.* A. M. 2276. A. Chr. 1728.

Interim dum Jacobus dolore oppreſſus dilectum caput, *Joſephum*, quem extinctum credebat, lachrymis proſequitur; is in Ægyptum deportatus, *Potiphari* Pharaonis Regis miniſtro, magno lucro venditur. Decimum ſeptimum tunc ætatis annum agebat, eximiæ indolis, & quemadmodum animo, ſic ſpecie Corporis innocuus. Quò factum, ut Hero gratus, ſervilibus operibus primùm exemptus, mox aſſecla

assecla, demum universæ domus præfectus constitueretur. Sensit tunc Adolescens Prælationis damnum, qua Fratrum animos percellerat, dum interim extraneos humilitate devinceret. Dum commissam sibi provinciam strenuè exequitur, Potipharis uxor, mulier impudica, corporis venustate capta, illecebris cautum adoritur, mercedem Adultero pollicita, supplicium autem minata, si stuprum detractaret. Ille Sceleris odio, refutatis lascivis Amoribus, foras proripit, palliolo post se relicto. Verùm, contempta Cupido in furorem abit, & Odium amore spreto, acrius exacerbatur. Mulier repulsam passa, maritum vix in ædes reversum conveniens, Hebræum salacitatis insimulat, & tanquam tentatæ pudicitiæ Indicium, pallium ostendit. Habita impudentis fœminæ verbis fide, *Josephus* nulla instituta quæstione, in carcerem intruditur, sceleris pœnam soluturus. Fortè in eodem ergastulo, captivi duo detinebantur, Regis Pistorum & Pincernarum Principes, quibus somnia sua referentibus, ex somnio futura *Josephus* conjectans, unum pristinæ dignitati post triduum restituendum, alterum supplicio afficiendum pronuntiat. Vaticinia hæc potiùs, quàm Somniorum interpretatio videbantur, quippe *Pharaone* post tres dies, Natalitium diem Epulis peragente, *Pincerna* in honoris gradum, *Pistor* in crucem tollitur.

Sub

XXX.

A. M. 2288.
A. Chr. 1716.

Isaacus mortalitatem explet.

Sub id temporis, *Isaacus*, Patre *Abrahamo* ætate provectior, post annos centum & octoginta, diem supremum obiit. Cui animi tranquillitas adeò fuit cordi, ut ne eam amitteret, omnium jacturam facere haud ambigeret. Diu luminibus orbatum consolatus *Jacobus* filius, audire meruit, se jam duodecim Liberis susceptis, totidem promissa genti fulcimenta posuisse. Funus cum Jacobo *Esauus* curavit, delato Hebronem, juxta Uxoris Sepulturam, corpore.

XXXI.

Esaui filii enumerantur.

Esauus jam Armentis ac Gregibus plurimis auctus, magnos quoque ac illustres filios ac Nepotes habuit: Nam ex Ada Hithea *Eliphazum* suscepit. Eliphazus verò, ex ascito connubio conjuge, quinque filios genuit, totidem gentium duces: *Temanem*, *Omarum*, *Zephoüm*, *Gatamum*, & *Genazum*. Ex Thimna Horea, quàm in Concubinam sumpserat, Ducem *Amalecum* procreavit. Ex Aholibama, Anæ filia tres liberos, eos quoque familiarum Duces, *Jeusum*, *Jaulamum*, & *Coram*, Denique Basemata, *Reguelem* Esauo peperit, cujus filii quatuor, *Nabata*, *Zera*, *Shamma*, & *Mizza* Duces fuere. Ex *Juditha* vero Hithea Esaui conjuge, nulli memorantur filii: aut si qui ex ea prodierint, Hæc eadem cùm Aholibama esse videtur, Patre itidem duplici nomine genita.

Car-

XXXII. A. M. 2289. A. Chr. 1715. *Joſephus carcere eductus Pharaonis ſomnium aperit.*

Carcere adhuc, etſi non vinculis *Joſephus* ſtringebatur, omnibus contemptui, Pincerna etiam, qui adeò feliciter captivi Vaticinio potitus fuerat, immemore, donec *Pharaonis* quies certis imaginibus adumbrata, Libertati viam aperuit. Somnum enim nocte capienti ſeptem Vaccæ oblatæ ſunt, forma ſpectabiles, Corpore obeſo, quæ *Nilo* flumine veluti manantes, Herbis, graminibuſque paſcebantur. Mox ſeptem aliæ prodiere, deformes, maciæ attritæ, quæ pingues adorſæ, repente deglutierunt, non aucto interim Utero, ac ſi ingluviei nihil acceſſiſſet. Rege, quid Somnus portenderet hærente, cùm accerſiti Harioli, nihil quod Anxii animum impleret, effutiunt, Pincernarum præfecto demum admonente, Juvenis cuſtodia eductus, Regi ſiſtitur: de Fertilitate & ſterilitate, quæ Ægyptio ſolo imminebat, haud dubiam fidem facit. Annis ſeptem ſcilicet proximè ſequentibus, futuram Ubertatem frugum maximam, conſequentibus autem inopiam. A *Nili* enim profluvio Ægyptiaca fœcunditas pendet, quæ per totam Regionem ſpatiatus, copiam pro exundantiæ ratione conciliat. Quippe ſi ad quatuordecim Cubitos augeatur, hilaritatem ſpondet, ſi ad quindecim, ſecuritatem. Ubi verò ſedecim tranſilierit, deliciarum nuntius eſt. At eo anno octodecim Cubitorum incrementum fuiſſe narrant, & teſtantur Hiſtorici.

Pharao

Pharao *Joſephum* ultra Hominem ſapere ratus, rei frumentariæ in Regione Univerſa præfecit, ſibi ſolio, ſoloque Imperii Nomine, retento. Nam præter Honoris inſignia, torquem collo, digito annulum addidit, quo Regio nomine diplomata obſignaret. Ergo in Regiminis *partem* aſſumptus, dum altè curru ſubvectus incedit, inſtant Spectatoribus præcones, ut dignitatem Regiæ proximam adeptum venerarentur. Principibus enim placuiſſe viris non ultima laus eſt. Et quî Rex ſecundus non fieret Regni, qui inſignis jam erat antehac pudoris. Tùm Joſephus annum trigeſimum natus, quod priùs verbis ſuaſerat, reipſa præſtitit. Affluentibus ſiquidem per totam Ægyptum frumentis, quintam partem pretio emptam quotannis ſuſtulit, atque multiplicatis Horreis, in quibus fruges reconderet, adverſus præſignatam famem proſpexit. Per idem tempus duo ei filii, ex *Aſnatha* Potipharis Heliopoleos præſidis filia, geniti ſunt. Primogenito *Manaſſes* ab Oblivione dictum nomen inditum; Alteri *Ephraimus*, quòd multiplicationem ſignificat, quo erga Deum Vir pius gratitudinem teſtatus eſt, qui poſt tot injurias, eum Sobole, opibus, felicitate cumulaſſet. XXXIII. *Joſephus toti Ægypto præficitur. Cui duo filii ex Aſnatha naſcuntur.*

XXXIV.

Exacto prædictæ Ubertatis ſeptennio, *Ægyptus* ſterilitatem primùm paſſa, famem ſubinde ſenſit. *Nilus* aquas negat, & exſucca tellure, cætera propediem ſegni æſtu torrentur. Gliſcente non per Ægyp- A. M. 2297. A. Chr. 1707. *Fratres Joſephi pro emendis frumentis in Ægyptum mittuntur.*

Ægyptum modò, ſed per Lybiam, Æthiopiam, Syriam, Canaanitidem, & Arabiam malo, in Ægyptum Frumentatores commeant, annonam pretio deducturi. Adſunt *Joſephi* Fratres, à Jacobo Patre, ſolo Benjammo domi relicto, emiſſi: Unicum enim ac ætate debilem Matris filium longinqui itineris periculis exponi noluerat. Deo ita dirigente, ut qui *Joſephi* necem moliti erant, anxio metu cruciati, immane facinus luerent. Igitur rei frumentariæ præpoſitum adeunt, & ritu Regio, in terram proni venerantur. Ille iis conſpectis, agnitionem mentitus, ſimulato jurgio, proditionis peregrinos inſimulat tanquam Imperii vires, Urbium munimenta exploraturi veniſſent. Nihil Domini *iram* ſuſpicionemque deprecari juvit, vinculis injectis, omnes carceri traduntur. Tunc patrati in Fratrem ſceleris memoria ſubit. Tunc ultrices adeſſe furias prædicant. Demum elapſo ad reſipiſcentiam triduo, vinculis ſolutos Joſephus mitiùs allocutus, *Simeonem*, qui in eum fortè acriùs ſævierat, Obſidem cuſtodia detineri vult, omnium culpam præſtiturum, ni Benjaminum, quem videre tantoperè flagrabat, coram ſiſterent. Saccis citra menſuram completis, reconditoque, in eis, quod obtulerant, pretio, ad Patrem redire permittuntur.

XXXIV. A. M. 2298. A. Chr. 1706. *Annona abſumpta in Ægyptum cum Benjamino revertuntur.*

Iſraelitæ iter ingreſſi, dum Aſinis pabulum porrecturi, ſaccos in diverſorio rimantur, inventa in uno pecunia, timendi materiam præbet. Iratum numen, novaque diſcri-

discrimina stimulant Animos: Sed crevit pavor, dum apud Patrem, frumentum in horreum exonerantibus, singulis nummus obvenit. Nam quæ hæc molitio? Laqueos ipsis Ægyptii ponerent? Alius *Jacobum* quàm liberos urgebat dolor, quòd Benjaminus à Principe requireretur, quòd *Simeone* permutandus. Verùm, absumpta per menses aliquot annona, Senex necessitate compulsus, suscipiendi itineris filios admonet, in *Ægyptum* denuo pergerent, ascito in comitem *Benjamino*, satius ob ejus jacturam, dolore, quàm fame, victu deficiente, extingui ratus. Ut felicius Nundinatio succederet, Pineis, Resina, Aromatibus, Amygdalis instructos, ad conciliandum Præsidis animum dimisit. Duplicato etiam pretio, ne injectis in saccos pecuniis error obvenisset.

XXXV. *Scypho in Benjamini sacco reperto, fratres revocantur.*

In Ægyptum perducti: Israelitæ, *Josephum* in Aula fortè versantem conveniunt, qui obtutu in Benjaminum, seu novum Hospitem defixo, mox pauca de illo scisscitatus, in secessum irrupit, lachrymis indulturus, aquam scilicet occultando, ne Dilectionis ignem proderet. Fletu demum suppresso regressus, exceptis convivio Hospitibus, cuique pro ætatis ratione locum assignat, *Rubeno* primum, *Benjamino* postremum. Illi ordinem admirati; Divina arte factum augurantur, quòd omnes secundùm primogenituræ jus accubuissent. Cibis vinoque saturi dimittuntur, proximo mane discessuri. Interea imple-

tis frumento ſaccis, Præfectus, Joſephi juſſu, receptum pretium in ſingulis abſcondit, ejus Scypho tanquam augurali, minimo Fratrum addito. Igitur læti in Patriam tendebant, cùm ſubitò Equitum agmine à tergo premuntur. Crimen præfectus objicit, quòd liberaliter excepti, *Joſephi* Scyphum furto abſtuliſſent: Nec mora, in Benjamini ſarcina repertus, furem prodidit.

XXXVII. *Juda ſe pro Benjamino in ſervitutem offerente, Joſephus ſe manifeſtat.*

Quo non dolore Fratres hic caſus perculit? Omnibus gravis, quamvis Uni dumtaxat lugendus videretur. *Joſephus* vultu in ſeveritatem compoſito, in Urbem reverſis facinus improperat, Reo necem, aut vincula minatus. *Juda* omnium vice, Principis genua complexus, clementiam implorat, Juveni condonaret, à cujus ſalute, ſua ſenecioniſque Patris vita penderet. At ſi flagitium ulciſci immotum eſſet, ſe in vincula, in Servitutem raperet, utilius ipſi futurum mancipium. Ad hæc, ſe diutiùs continendi impar Joſephus, pietate victus, Ægyptiis conclavi diſcedere juſſis, ſe Fratrem, ſe Joſephum aperuit. Secreti neſcia Res eſt Amor, qui medullis etiam coercitus, pupillas rumpit. Nam alta querulaque voce, in lachrymas liquatus, ſe non proditoribus ſuis prodere non valuit. Ergo gaudio amoreque perfuſus, obſtupeſcentibus Fratribus, & veluti fulmine perculſis animos blanda oratione demulcet. Dei conſilio, quòd humatus, quòd divenditus fuerit, acceptum fer-

ferrent. Nam quæ Ægyptiis ſalus? Quî vicinæ gentes ſervatæ? Quî Pater, quî ipſi penuria erepti, ni Pharaoni quaſi Pater adfuiſſet. His dictis, Amoris impetu, in *Benjamini* amplexus ruit, mox cæteros oſculis dignatus, reconciliatum animum patefecit. Deinde quinque adhuc annos famem futuram eos præmonens, ut domum feſtinarent, hortatur, Patrem, cùm omni progenie ac familia, in *Ægyptum* quantocyùs deducturi. Ne verò reliquos imbellis turba moraretur, præſto currus fuere, qui mulieres ac pueros deveherent. Miſſa ad *Patrem* munera, Aſini decem, rebus, quas ferebat Ægyptus, optimis onuſti. Additi decem alii, qui in Ægyptum commeanti cibaria pro viatico præberent. Jacobus audito Joſephum vivere, ſtupenti potiùs, quàm læto ſimilis, diu conticuit: donec Filii dona contemplatus, in gratulationem erumpens, ſibi ſufficere dixit, ſi quem Deus tot periculis exemerat, intueri quondam liceret.

XXXVIII. *Jacobo ad Pharaonem introducto Terra Goſenis aſſignatur.*

Igitur *Jacobus* jam centum & triginta annos natus, in Ægyptum cùm tota familia demigrat; geſtientibus præ gaudio Ægyptiis, benigno Rege, & à filio curru ad *Goſenis* ingreſſum exceptus. Mirum, quòd ex tam exili numero (quippe ſeptuaginta tantùm fuiſſe conſtat) tanta Hebræorum gens excreverit. Nam poſt 215. annos, ſexcenta Virorum millia, ab eis prognata memorantur. In hoſpitium Rameſes, celebris Goſenis pagus à Pharaone aſſigna-

tur. Quem locum consultò *Josephus* exegerat, quo à prophana gente secreti, liberiùs Vero Numini vacarent.

XXXIX. A. M. 2315. A. Chr. 1689. *Morituro Jacobo Josephus duos filios benedicendos exhibet.*

Jacobus decimo & septimo anno, quàm Ægyptum attigerat, ætate gravis, morboque tantùm non ad finem ingravescente, accersitum Filium testatur, ut exanime corpus Majorum Sepulchro conderet. *Josephus* admota femori manu, fidem pollicitus, binos Filios benedicturo exhibet, dextra *Ephraimum*, sinistra *Manassem*, ut ei à dextris esset, comprimens. Cæterùm Avus Nepotum minorem majori præferens, *Ephraimo* dextram, sinistram *Manassi* apposuit. Mox reliquis Filiis sortes suas spiritu fatidico ominatus, *Judam* edocuit, haud ab eo amotum iri Sceptrum, nisi Christi adventu, cujus imperio congregatæ Gentes parebunt & obsequentur. Iis dictis, pedibus in torum contractis, velut in somnum proclivis, Mortalibus, postquam inter eos, centum quadraginta septem annis Hospes vixit, exemptus est. Funus *Josephus* curavit, ascitis Pollinctoribus, qui exanime corpus Aromatibus conderent. Id Ægyptiaco more dierum quadraginta opus erat, quo corporibus firmitudo accederet, in Sepulturam tenax. Exequias, Rege annuente, comitatus, traducto primum Jordanis vado, demum Hebrone in Gentis suæ tumulum *Jacobum* reponit, circumstrepente undique populo, & Senis desiderium, querelis ac vociferationibus misere lamentante.

Ut

XL.

Joſephus fratribus pœnam ſceleris metuentibus denuo parcit.

Ut quietem abigit nequitia, & juge Improbis ſupplicium eſt! *Iſraelitæ* Joſephum metuere, Patre ſublato, incipiunt. Animis occurrebat Delicti recordatio, quid ſi injuriam, quam Jacobi reverentiâ texit, demum ulciſcatur? Quare precatore tempeſtivè uti viſum eſt, qui commiſſi veniam, Patris defuncti verbis denuo impetret. Non ſine lachrymis *Joſephus* ſupplices excepit, mox ſingulos complexus, ut metum ponerent, hortatur, quæ novi timoris cauſa? Quid! Peccati memores, condonationem obliviſcerentur? Diſcederent amicitia ſua ſecuri, commiſſique peccati pœnam horrere deſinerent, quòd jamdudum Deus remiſiſſet.

XLI.

A. M. 2369.
A. Chr. 1635.

Joſephus ubi mandatum de oſſibus ſepeliendis dedit, Mortuus eſt.

Demum *Joſephus*, impletis Virtutum numeris, centeſimo & decimo ætatis anno, mortalitatem expleturus, teſtamento ſanxit, ut Gentiles ſui, in Patriam, conſtituto tempore, reverſuri, corpus promiſſo Patribus ſolo mandarent. Omnibus ſiquidem Patriarchis votum fuit, ut eorum corpora Reſurrectionem illic præſtolarentur, ubi beatæ Reſurrectionis Authorem, vitæ reſtituendum certò noverant. Sic *Joſephus* mortuus eſt, erga Deum ſanctiſſimus, erga Regem fideliſſimus, erga ſuos clementia ac pietate ſummus. Hinc pro Mundi Salvatoris typo, non obſcurè agnoſcitur, dum à Patre Æterno dilectus, Judæis exoſus, ſuis ludibrio, pretio venditus, Polymita veſte nudatus, tandem

summa gloria ad cœlestis Regis dextram collocatur.

XLII.

A. M. circiter 2520. A. Chr. 1484. *Jobus opibus inclytus sacrificium pro liberis convivantibus offert.*

Eadem tempestate *Jobus* Husis Princeps, *Esaui* posteris ortus, in utraque fortuna mirabilis extitit. Dei agnitionem in prosperis, ejusdem in adversis Justitiam complexus. Septem Filiorum, ac trium Natarum Pater, omnium bonorum genere affluebat. Quippe *Pecudum* septem millibus alimenta ministrabat; Camelis ter mille; Boum jugis quincentis, Asinis quincentis. Quas opes si quis enumeret, facilè eorum temporum Divitias enumerabit. Ingens Famulorum vis, Pecoribus alendis, aliisque muneribus assignata. Ejus *Filii* convivia in necessitudinis Symbolum, alternis vicibus miscebant, ad quæ *Sorores* fortè ad hilaritatem vocabantur. Ne quid mali Convivis irreperet, Pater de suis sollicitus, holocaustum cottidie pro Singulis adolebat, gnarus Mortales inter epulas facilè relaxari, fierique comessationibus deteriores.

XLIII.

Dæmon jactu bonorum Jobum affligit.

Jobo tot bonis stipato, tanta Pietate insigni, nihil triste, nihil anxium obvenire posse videbatur, cùm *Sathanas* variam speciem mentitus, inopinatum aggreditur, ac ejus bona diruit, aufert, profundit. *Sabæorum* enim opera usus, Boves, & juxtà herbis vescentes Asinos prædatur, uno duntaxat superstite famulo, qui cladem nuntiaret. Dein in Ignem versus, quacunque progreditur, incendit, ovibus undique cum Pastoribus æstu absorptis. *Chaldæorum*

Dæorum ſubinde cuneum commentus, Camelos abigit, rectoribus ferro extinctis. Demum in *Ventum* mutatus, domum impetu invertit, & convivantes in ea Liberos una ruina complectitur. Non repentina tot cladium vis *Jobum* perculit, ſed prolium funera, Bonorum jacturam æquo animo ferens, benedictum Dei nomen enuntiat.

XLIV. *Jobus ſua patientia Dæmonem ſuperat.*

Odio in Jobum percitus Dæmon, quòd operam perdidiſſet, Deo iterum ſinente, Tortoris vice functus, ad tormenta recurrit, corpus cruciat, ulceribus fœdiſſimis contectum. Ne graveolentia domum deturpet, in ſterquilinio ſedens, teſta cutem ſcabit. Vivum Cadaver diceres potiùs, quàm Hominem. Hæc fortiter ferentem novis præſtigiis *Sathanas* aggreſſus, Uxorem viro delegat, quæ ejus Pietatem primò criminata, ut mortem morte antevertat, ſuadet. An hæc Fidei tuæ præmia? Sic quem venerare Deus ſuos muneratur? Hunc execrare, & mortem oppete. Non tulit *Jobus* Conjugis proterviam, quam ubi inſaniæ arguit, Deum in omnibus laudandum eſſe prædicat, ſeu calamitate Mortales laceſſat, ſeu beneficiis blandiatur. Indignum mercede conduci, ut qui ei debetur cultus perſolvatur. Sic de Hoſte multiplici Vir ſimplex triumphat, æmulum ſternit, dum ſternitur, & ante numen proſtratus, ſuperbiam Contemptu, furorem Patientia, Pietate contumaciam frangit ac ſuperat.

summa gloria ad cœlestis Regis dextram collocatur.

XLII.

A. M. circiter 2520. A. Chr. 1484. *Fobus opibus inclytus sacrificium pro liberis convivantibus offert.*

Eadem tempestate *Jobus* Husis Princeps, *Esau* posteris ortus, in utraque fortuna mirabilis extitit. Dei agnitionem in prosperis, ejusdem in adversis Justitiam complexus. Septem Filiorum, ac trium Natarum Pater, omnium bonorum genere affluebat. Quippe *Pecudum* septem millibus alimenta ministrabat; Camelis ter mille; Boum jugis quincentis, Asinis quincentis. Quas opes si quis enumeret, facilè eorum temporum Divitias enumerabit. Ingens Famulorum vis, Pecoribus alendis, aliisque muneribus assignata. Ejus *Filii* convivia in necessitudinis Symbolum, alternis vicibus miscebant, ad quæ *Sorores* fortè ad hilaritatem vocabantur. Ne quid mali Convivis irreperet, Pater de suis sollicitus, holocaustum cottidie pro Singulis adolebat, gnarus Mortales inter epulas facilè relaxari, fierique comessationibus deteriores.

XLIIII.

Dæmon jactura bonorum Jobum affligit.

Jobo tot bonis stipato, tanta Pietate insigni, nihil triste, nihil anxium obvenire posse videbatur, cùm *Sathanas* variam speciem mentitus, inopinatum aggreditur, ac ejus bona diruit, aufert, profundit. *Sabæorum* enim opera usus, Boves, & juxta herbis vescentes Asinos prædatur, unoque duntaxat superstite famulo, qui cladem nuntiaret. Dein in Ignem versus, quacunque progreditur, incendit, ovibus undique cum Pastoribus æstu absorptis. *Chaldæorum*

Dæorum ſubinde cuneum commentus, Camelos abigit, rectoribus ferro extinctis. Demum in *Ventum* mutatus, domum impetu invertit, & convivantes in ea Liberos una ruina complectitur. Non repentina tot cladium vis *Jobum* perculit, ſed prolium funera, Bonorum jacturam æquo animo ferens, benedictum Dei nomen enuntiat.

XLIV. *Jobus ſua patientia Dæmonem ſuperat.*

Odio in Jobum percitus Dæmon, quòd operam perdidiſſet, Deo iterum ſinente, Tortoris vice functus, ad tormenta recurrit, corpus cruciat, ulceribus fœdiſſimis contectum. Ne graveolentia domum deturpet, in ſterquilinio ſedens, teſta cutem ſcabit. Vivum Cadaver diceres potiùs, quàm Hominem. Hæc fortiter ferentem novis præſtigiis *Sathanas* aggreſſus, Uxorem viro delegat, quæ ejus Pietatem primò criminata, ut mortem morte antevertat, ſuadet. An hæc Fidei tuæ præmia? Sic quem venerare Deus ſuos muneratur? Hunc execrare, & mortem oppete. Non tulit *Jobus* Conjugis proterviam, quam ubi inſaniæ arguit, Deum in omnibus laudandum eſſe prædicat, ſeu calamitate Mortales laceſſat, ſeu beneficiis blandiatur. Indignum mercede conduci, ut qui ei debetur cultus perſolvatur. Sic de Hoſte multiplici Vir ſimplex triumphat, æmulum ſternit, dum ſternitur, & ante numen proſtratus, ſuperbiam Contemptu, furorem Patientia, Pietate contumaciam frangit ac ſuperat.

Ubi tantæ Cladis fama in vicinos populos percrebuit, tres ex *Amicis*, proximarum Urbium Reguli, ex convento proficiſcuntur, infelicem conſolaturi. Ubi ulceribus gravem, & ſterquilinio penè affixum contemplantur, ſpectaculum horrent, & rerum viciſſitudine attoniti, laceratis veſtibus, querulos in cœlum clamores efferunt. Ei miſereri æquum exiſtimant, quem ſceleris vacuum, immeritò infelicem noverant. Per dies ſeptem muti, demum abrupto ſilentio, *Jobum* paulò iniquiùs ærumnas ſuas ferentem admonent, à Deo iram abeſſe, eumque non niſi Sontes exaſperari. Quare præteritorum pœnitens, ad ejus Miſericordiam confugeret, qui nullum niſi contumacem dedignatur. *Jobus* Amicorum argumentis convictus, ſe Deo erudiendum exhibet, & impetrata temeritatis venia, victimas immolat. Denique Sanitati redditus, Regno, Liberis, Opibus duplo augetur. Sic de Hoſte Victor, & ex calamitate vegetior, immortale Poſteris Patientiæ ac Fortitudinis exemplum reliquit. Centum & quadraginta annis ab exitio vixit, dignus, cui poſt tot exantlatas calamitates anni geminarentur, & Senio depoſito, in Juventutem langueſceret.

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Quartus.

De Heroum Seculo.

1.

A. M. 2427. *Ægypti Rex Iſraelitas perſequi incœpit.*

HEbræi, qui ante centum & triginta propemodum annos, exiguo numero, Ægyptum ſubierant, in Gentem jam maximam aucti, cœpere Hoſpitibus ſuis terribiles fieri. *Amenophis* enim novus Rex, obliterata conſervati à Joſepho Imperii memoria, tum Superſtitionem, ſi quæ eſſet, tum potentiam veritus, Tributis, opera, flagris primùm afflictos perdere conſtituit. Quid ſi conducti operam Hoſtibus navent, & eorum auxilio, fugam, quam tamdiu cogitavere, moliantur? Viſum igitur Alienigenas coquendis lateribus terere, quo Ægyptiis metus, peregrinis ſpes dematur. Ipſis Cuſtodes ac Præfecti adhibiti, qui ad laborem reluctantes cogerent. Nec ipſis parcitum, donec Urbes

Urbes munitiſſimas, *Rameſem* & *Pythomam* extruerent.

II. A. M. 2433. A. Chr. 1571. *Moſes aquis expoſitus juſſu filiæ Pharaonis à matre nutritur.*

At, cùm ſe hac arte parum proficere Rex cerneret, & peregrina progenie Ægyptum oppleri, eamque Indigenis omnibus terrori fieri, obſtetricum principibus imperat, ut ſalvis in partu femellis, mares tollerent. Iis autem non obtemperantibus, ſæviſſimo ſancit decreto, ut maſculi infantes in Flumen, velut *Nilo* dicati, projiciantur. Verum inter tot cædes ac pericula, ſuccrevit Soboles, quæ Ægyptiorum res graviſſimè afflixit. Nam ex *Amramo* Cohati filio, Levi nepote, filius natus eſt, quem ut elegantis formæ vidit mater *Jocebede*, apud ſe celatum trimeſtri ſpatio, educare auſa eſt. Tandem invocato ad ejus tutelam Numine, urgentem in foribus pœnam verita, Arcæ è Papyro contextæ, ac pice, ne aquam hauriret, illitæ incluſum ad Fluminis ripam expoſuit. Fortè *Thermutis* Pharaonis filia, ad Fluvium abluendo corpori, cum ancillis acceſſerat, cùm capſulam junceto implexam conſpicata, ad ſe adduci jubet. Puellam Infantis vagitus movet, excitant miſericordiam lachrymæ, & ne immaniter à Parente damnatus, mergatur, impetrant. Nam pro filio à *Thermute* Liberis orba aſſumptus, Matri denuò alendus traditur. Poſt paucos autem annos ablactatus in Aulam defertur, qui *Thermuti* redditus, Diſciplinis Artibuſque Ægyptiis eruditus, mira indole effloruit. Et quidni regius

regiis Virtutibus imbueretur, qui tanti Populi Dux futurus erat?

III.

A. M. 2473.
A. Chr. 1531.

Propter Ægyptii cædem metu Regis in Midianitidem fugit.

Moſes virili toga indutus, ſua origine detecta, Dei quoque cultum didicit. Hinc Gentilium ærumnas acerbiſſimè ferens, cùm Hebræum indignè ab Ægyptio pulſari vidiſſet, dolore ſaucius, exagitantem ferro confodit, abjecto Cadavere, ſolaque arena contecto. Velut hoc facinore præſagiens, futurum aliquando Dei vindicem, ac Iſraeliticæ Gentis liberatorem. Cognito, autem proditam eſſe cædem, facto ſupplicium metuens, in Midianitidem, quæ Arabiæ Petreæ pars eſt, profugit, ubi *Regueli* Jethronis Patri locata opera paſtor deſtinatus, demum ducta *Zippora* ejus filia gener efficitur. Ex ea duos Filios tulit, *Gerſomem*, id eſt, Peregrinum, & *Eliezerem*, hoc eſt, Meum-Deus-auxilium.

IV.

A. M. 2513.
A. Chr. 1491.

Deus in rubo Moſi apparens, eum ad Pharaonem mittit.

Interim Hebræi duriori indies ſervitutis Jugo preſſi, gemitu, ſuſpiriis, ac querulis clamoribus in Cœlum converſi, præſidii ſpem opperiebantur; cùm *Moſes* paſcendis Soceri ovibus occupatus, Rubum procul flagrantem cernit, igne tamen innocuo, ſic ut fruticem urendo non conſumeret. Prodigio attonitum, novitatis cauſam explorandi cupido inceſſit; ſtatimque Deus ex ſenti paventem compellat, ſe Patrum ejus, Abrahami, Iſaaci, & Jacobi Deum eſſe, populi ſui grave Servitium paſſi miſertum, in Terram lacte ac melle manantem tandem eductum velle.

Quare

Quare in Ægyptum proficiſci jubet, ex Paſtore ad Regem Legatum, & reſtituendi in Libertatem populi Ducem. Animi dubium, & negotii magnitudinem horrentem, Deus ope ac potentia ſua, firmat, patrandis miraculis vim elargitus. Igitur *Moſes* Jehovæ morem gerens, Baculo ſuo inſtructus, in Ægyptum iter dirigit, Conjuge ac Liberis apud cognatos derelictis. *Aarone* Fratre, quem in Horebo monte repererat, aſſumpto, ſignis primùm apud Hebræos editis, Pharaonem convenit, Jehovæ Hebræorum Dei mandatum exponens. Ille commodis intentus, ignoto ſibi Deo tot mancipia dimittere recuſat. Pleriſque Regum mos, numen labiorum tenus profiteri, Idem autem factis, dum lubet, aſpernari.

V.

Moſes patratis miraculis populi liberationem obtinet.

Sed Moſes manu quàm ore facundior, Tyrannum prodigiis exterret; Etenim è projecto in humum, quod manu tenebat, baculo, *Serpens* factus, ſibilo ſpectantes appetit, tortuoſis flexibus, Regi etiam minitatus. Tum *Aquæ* in Fluvio Lacubuſque Sanguinis naturam induunt, emortuis ſubitò Piſcibus, & Aëre tetro odore vitiato. Adſunt ſubinde *Ranæ*, quæ Terram undique operientes, Triclinïis irrepunt, Corporibus etiam infeſtæ. At iis Miraculis *Jannis* & *Jambris* præſtigiatorum Ægyptiorum carmine utcumque eluſis, Rex magicas artes, non Dei potentiam exiſtimans, obſequi abnuit. Donec coacto Muſcarum maximarum agmine, implentur domus,

&

& cellæ panariaque conſpurcantur. Pòſt, demiſſa Cœlo grandine, Pecora in Agris teruntur, herbis contuſis, pùlſatis frugibus, Arboribus laceratis. Tum Rex malè ſibi conſcius, *Moſem* & *Aaronem* accerſit, quibus Gentique ſuæ diſcedendi copiam facit, modo ſuperinductum exitium averterent. Verùm, Clade exempta, in priſtinum ingenium reverſus, quem priùs pollicitus fuerat diſceſſum, turpiter negat. Ad extremum *Locuſtis* Cœlum præ multitudine occultantibus, Tenebris palpabilibus, Lue in Pecora ſæviente, ac poſtremò Primogenitorum per univerſas domos interitu penè fractus, optata Moſi conceſſit. Abirent Hebræi, incolumi Sobole, ſalvis gregibus & armentis, modò exitum maturarent, & *Goſene* moventes, ſibi, Regno bene precentur.

VI. *Moſes in beneficii Memoriam Iſraelitas multa obſervare jubet.*

Antequam Hebræi Ægyptiaca Regione migrarent, omnibus in *Rameſuſum* Urbem, vicinaque loca citatis, Dei mandata inculcat, ut menſem *Niſan*, qui nobis Martis Apriliſque portio eſt, totius anni primum agnoſcerent, in quo completa ſuæ gentis libertate acceptum Domini adventum expectaturi eſſent. Nam quis neſcit, Humanum genus, menſe Veris, in quo cuncta refloreſcunt, Chriſti morte eſſe liberatum? Inſtituti prætereà à Deo Sacrificii eos admonuit, ut ſingulæ Familiæ *Agnum* maſculum, Hœdumve, anniculum, deformitatis vacuum, decimo hujus Menſis oblatum, decimo quarto ſub noctem immo-

immolarent, immolatum igne assarent, Ostiorum postibus, priùs occisi sanguine intinctis. Carnem à singulis Familiis, veste succinctis, calceis, baculo ad iter expeditis penitus, ac raptim exedendam. Non terenda autem pecudis ossa. Horum Sacrorum ritum, quotannis repetendum, quô tantorum Beneficiorum memoria refricetur. Postremò ut in liberationis Magnificæ monumentum, à decimo quarto die primi mensis, ad vigesimi primi vesperam, Azymis uterentur, fermentatis panibus abjectis, Posteris documento futurum, tantam fuisse in Discessu festinationem, ut ad Fermentum recursus non fieret.

VII. *Egressos Israelitas Pharao cùm exercitu insequitur.*

Contritis per plagas assiduas Ægyptiis, iter Israelitæ aggrediuntur, non tam fugientium, quàm ovantium ritu. Nam armis instructi, *Signis*, ut quibusdam placet, explicatis, à *Rameseso* Urbe aciem ducebant, ad *Succothas* primo die profecti; secum *Josephi* ossa, quemadmodum jurati promiserant, deferentes. Præter Pueros, peregrinorumque turbam sexcenta virorum millia pedibus gradiebantur. Tertiis castris ad *Deserti* fines pervenerunt, breviori quidem per Palestinam in *Canaaneam* via, sed verendum erat, ne gente armis inclyta impediti, in Ægyptum refugerent, Servitutem tunc, cui assueverant, minùs quàm nova discrimina aversati. Ergo per deserta Mari Rubro vicina deducti, Tentoria fixerant: Cùm *Pharao* facti pœnitens, tot Hominum millia suo

Imperio

Imperio deceſſiſſe. Quid ita mancipia evadent? Sic elabi ſervos velut victus, coactuſque ſinam? Quare educto confeſtim exercitu, ſexcentos currus, maximam Victoriæ ſpem expedit. Jam arma eminus, jam Militum ordines in prælium properi cernebantur: cum Iſraelitis paventibus, & tantùm non extrema veritis, *Columna* in aëre ſuccurrit, quæ Sole micante, denſam nubem imitata, populum adumbrabat, nocturnis autem tenebris, ignis inſtar prælucens. Sic ut viam Hebræis monſtrando, & caliginem averteret, & ab æſtu tueretur.

VIII. *Pharao ſiccum mare ingreſſus cum univerſo equitatu ac curribus ſubmergitur.*

Columna duce, *Moſes* iter ad Arabici Sinus littora emenſus, porrecto baculo, Mare diſcendit, aquis in montes ſtatuminatis. Nam utrimque erectæ, murorum ſpeciem præſeferebant, ſicco itinere, & tanquam in continenti pervio. Inſtat *Pharao*, & vado tranſeuntes inſequi tutum putat, tranſlata ſcilicet Nubis caligine, ne impunè progreſſos cerneret. In medium cum exercitu, curribuſque delatus, cum boatu coeuntibus, Moſis juſſu, aquis obruitur, ne nuntio quidem cladis ſuperſtite. Sic quas Moſi naſcenti decreverat pœnas, memori elemento dedit.

IX. *Iſraelitæ gratiis cum cantico peractis, profectionem adornant.*

Moſes tot minacibus periculis defunctus, in Liberatoris gloriam effunditur. Occurrebat Iſraelitarum ſalus, inimicorum exitium, & indefeſſa erga gentem ſuam Dei clementia. Quare *Epinicion* canens, virilem ac muliebrem ſexum ad Canticum

cum invitat. *Maria* Vates Aaronis soror, pulsato tympano choræis tripudiat, dum aliæ fœminæ, alternis vicibus Cantici caput repetunt.

Laudes voraci ex æquore Sospites
Cantate Domini magnificas Dei;
Io triumphat: Nam profundo
Mersit equos equitemque ponto.

Carmine finito, Hebræi profectionem adornanti. Confecto tridui itinere, siti, præ aquarum inopia, urgentur; qui enim earum vim modo horrescebant, nunc defectu laborantes, tantùm non tabescunt. Nihil demum Fontes reperisse juvit, insita Lymphis amarities, ad potum ineptas efficiebat. Tum populus impotentis animi iram patefacit. Nam Aquam à *Mose* expostulat, Deum quodammodo dedignatus, cujus socordia calamitatem patiebatur. Moses Deo suggerente, Arboris lignum *Fonti* immiscens, amaritudinem sustulit. Fluento jam dulcibus Aquis scatente, tum belluis, tum Hominibus grato. *Marâ* fonte relicta, apud *Elim* promoti, duodecim Fontibus, & Palmarum arboribus septuaginta compertis, Castra defigunt. Dein à Mari Rubro in Desertum Sinis, vitandis *Amalecitarum* insidiis, reversi, cùm, absumpta quam Ægypto attulerant, annona, fame torquerentur, incondito clamore, cladem aggerentes, servitium deprecantur. Ubi Ægyptii, apud quos pane saturi,

saturi, carnium ollis fruebantur? Quorsum miseros in solitudinem Moses duceret, si nihil in ea alimenti suppetit? An ei volupe tot Hominum millia tabescere, extingui? Hos questus Deus compescuit, ingenti Coturnicum vi castris sub noctem immissa. Proxima luce, Castra primò egressi, Humum ignoto anteà cibo tectam deprehendunt. *Siliquæ* aspectu videbantur, haud multum à folliculis, quibus legumina teguntur, abhorrentes. *Coriandri* seminis figuram referebant, nisi quòd colore diversæ, alborem exhiberent. Gustatus mellitæ similæ saporem ingerebat. Cottidie Solis æstu liquescens, collectus indurescebat; sic ut mortario tritus, in quodvis comestibile abiret.

X.

A. M. 2513. *Deus murmurantibus Israelitis coturnices & Mannam pluit.*

Populum rei novitate attonitum Moses edocuit, ipsis cibum vice panis à Jehova transmissum, ex eo, amphoris ad id deputatis, tantum cottidie colligeretur, quantum pro numero singulis sufficeret, ne frusto quidem in diem crastinum relicto. *Sexto* tamen die, duplum usurparent, Sabbatho sacris operam daturi. Verùm, ut modum Populus nescit, & in vetitum acriter invehitur. Quidam seu desides, seu nimium de futuro anxii, ex repositis in diem posterum consulebant. Sed Manna ita collecta fœtore gravis, in Vermes tumescebat, cùm sexto die recondita, & fœtoris & Vermium expers maneret. Hoc cibo, quadraginta simul annis Israelitæ usi sunt, donec Canaaneæ fines attigere.

In amplimuneris monumentum, Deus ejus *Gomerum* prope arcam in vaſe aureo aſſervari voluit, quô Poſteri noſſent, qua eſca majores ſuos in deſerto paviſſet.

XI. *Dat Deus aquam de ſaxo, & Moſe extenſis manibus orante vincunt Iſraelitæ.*

Caſtris è Sinis ſolitudine in *Raphidem* motis, alia Populi ſeditio coorta eſt. Viginti enim ſex paſſuum millia emenſus, ubi deficere Aquam ſenſit, ſui impotens, Ductorem lapidibus adorſus, vix ab exitio temperat. Non talem ampliùs, ſed nomine mutato, Seductorem criminatus, ejus geſta in præſtigias, non in Dei virtutem refert. Tum *Moſes* Dei impulſu, tantillum progreſſus, ubi *Horebi* Petram attigit, eandem velut baculo emolliens, Aquas hauſit. Deus autem impunitum facinus haud ſuſtinens, Hoſtium ſævitia ulciſci parat. *Amalecitæ*, Gens inhoſpita, Amaleci Ducis poſteri, veriti ne Hebræi in Regionem ſuam irrumpentes, ſua multitudine obruerent, periculum avertere ſatagunt, eos arte aggreſſi. Nam à tergo inſidiati, poſtremum Exercitus agmen carpunt, trucidatis quotquot, tardiori greſſu, aut itinere defeſſi, aut morbo languidi, priores aſſequi non poterant. *Moſes* periculo intentus, ſuis in prælium eductis, *Joſuam* Nuni filium, Virum fortem, & Ephraimi ſtirpe oriundum præfecit: interim ſe in excelſo monte conſpiciendum populo exhibet, ſacrato Baculo, velut ſigno Milites confirmans. Ubi concurſum eſt, vincunt Hebræi, quamdiu Moſes manus in cœlum (obſecrantis ſignum) erigit.

git. Iis autem dimissis, Amalecitæ prævalent. Hoc viso, *Aaron* & *Hur* ex tribu Juda Princeps, appositio, in quo corpus reclinaret, saxo, ejus Brachia utrimque ad vesperam usque fulciunt. Ita fusis, & in fugam actis Hostibus, Dux victor in castra cum copiis reversus est.

XII.

A. M. 2514.
A. Chr. 1490.
Jethron Mosi uxorem adducit; Dei mirabilibus commotus.

Inter opportunæ Victoriæ palmas, Mosi nuntiatur *Reguelem*, seu Jethronem Socerum unà cum *Zippora* uxore ac Filiis, qui eo in Ægyptum proficiscente, domi remanserant, advenisse. Is enim rerum gestarum fama permotus, tum ad visendum generum, tum ad gratulandum, adorsus iter fuerat. Castra ingresso *Moses* obviam processit, & Osculo exceptum in Tabernaculum deduxit. Illic Dei magnalium summa recensetur, ut imprimis Populum à servitute, mox à ferro Ægyptiorum exemerit. Gaudio gestiens *Reguel*, in ejus laudes erumpit, quem cæteris Numinibus præstantiorem agnoscebat, & venerabatur. Annon à Deo factum, ut Ægyptii Hebræorum patientia abusi, pari supplicio mulctarentur? Infantes obstetricum opera Neci dant, ille universæ Ægypti primogenitum una nocte delet, & extinguit. Statim Natos Ægyptii fluvialibus Aquis mergunt, Deus Regem, Proceres, Imperii robur Mari absorbet. *Hebræi* quidem ut mancipia jugum sustinuere, Verùm, Nonne labores gemmis, monilibus, inauribus, ornamentisque aureis pensarunt Ægyptii? Ergo oblatis in holocau-

ſtum victimis, *Reguel* Moſem, Aäronem, Populique proceres ad ſacrum Epulum invitat.

XIII. *Sanum conſilium dat Jethro Moſi in conſtituendis judiciorum Magiſtratibus.*

Die poſtero, cùm *Jethro* Moſem negotiorum multitudine penè obrutum cerneret, Author fuit, ut Tribunos, ſive chiliarchas, Centuriones, Decuriones, & viris quinquagenis præfectos ſtabiliret, qui rebus minoribus cognoſcendis deputati, *litu* leviores dirimerent, ille autem gravioribus implicitus, quæ ad *Deum* ſpectant, majoriſque eſſent momenti, expediret. Iis ritè conſtitutis, *Jethro* in Patriam revertitur, Hobabo filio poſt ſe relicto, quem in itineris ducem in immenſa ſolitudine Moſes optaverat.

XIV. *Populus ſanctificari jubetur, ut deſcendat Dominus in fulgure & tonitru.*

Primo menſis tertii die, ad montem *Sinæ*, cui Dei nubes inſederat, perventum eſt, Regionis celſiſſimum, duodenis duntaxat ſtadiis *Horebo* ſejunctum. Ibi *Moſu* à Deo admonetur, ut populus voces Divinas excepturus, ſanctificetur, & corporibus cum veſtimentis ablutis, conjugali etiam congreſſu abſtineat. Poſt triduum, ſub auroram, monte denſa caligine operto, Fulgura flammis coruſcantibus oculos perſtringunt, Aër tonitruum boatu quatitur, ſtrepente Tubarum ſonitu, quo cieri Tellus, Cœlum concuti videbatur. Ad montis radices Populus, *Moſe* duce, pervenerat, cùm trementè *Sina*, fumus erumpit, mox igneo turbine Deus circumdatus, ſpectandum ſe clariùs exhibet. In montis cacumen Moſi & Aäroni vocatis, ſequentia Præcepta Populo enuntiare Deus jubet.

1. Ego

XV. *Moſes auditum à Domino Decalogum populo territo narrat.*

"1. Ego ſolus Jehova Deus, qui Te "Ægypto, ex ærumnis liberavi: Aliud "Numen præter me unicum ne vene- "rare.

"2. Non Idolum tibi, ex ære, ligno, "aut ſimili materia effictum adorandum "proponito.

"3. Cavendum ut Domini nomine "ſanctè utaris. Nec enim impunè feret, "qui id vile faciet, aut temerè adhibu- "erit.

"4. Sabbathum ſolenne agito: Sex di- "ebus agendo omnia perficies; Septima "enim dies Deo ſacra eſt, in qua neque "Tu operaberis, liberi, aut mancipia tua. "Nam ſex diebus Univerſum fabricatus, "ſeptimo, labore vacavit.

"5. Patrem Matremque honore debito "proſequitor; longam enim aget vitam, "qui eos honoraverit.

"6. Vitæ proximi parce, nec quem- "quam Hominum occidito.

"7. Ne Thalamos alienos adulteriis de- "pravato, aut Corporis honeſtatem libi- "dine inceſtato.

"8. Furtum ne facito, aut alterius opes "fortunaſque corrumpito.

"9. Ne teſtimonio iniquo vicinum læ- "das, aut mendacio fraudi ſis.

"10. Proximorum poſſeſſiones ne appe- "tito; non Uxorem, non agrum, non "Servos, aut minima quæque, quæ alterius "ſunt.

XVI. *Præcepta Judiciaria præcipua Moſi à Deo impertita.*

Lege ſeu *Angeli*, ſeu Dei ipſius voce prolata, Populus arrectis auribus, attonitus potiùs, quàm intentus adſtabat, cùm denuo tuba dirum clangente, horridoque Cœli fragore, ardentem flammis montem conſpicatur. Pavoris populus intolerans, Moſem obſecrat, ut impoſterum mediatoris munere functus, Dei voces excipiat, atque auditas ipſi impertiatur. Petitioni *Moſes* annuens, ſibi tradita, quæ Deus pœnis communita voluit, edicta retulit.

"Gentis Hebraicæ ſervus, pecunia emptus, ſex annis ſerviet; poſt hæc liber erit; ſponte autem in ſervitute permanenti, auris perforabitur, atque in ſeculum, ni manumittatur, ſerviet.

"Qui prudens Hominem occiderit, capite pœnas luet. Qui imprudens, rite exul erit.

"Qui Patrem matremve pulſaverit, convitiumque eis dixerit, capitali ſupplicio afficitor.

"Si quis Hebræum ſubreptum vendiderit, morti dabitur.

"Si quis ſervum proprium, ſervamque percuſſerit, exque eo ictu mortem obierit, reus judicio fiet.

"Si quis partum deformatum Mulieri excuſſerit, neci dabitur, ſi non deformatum, damno obnoxius erit, quantum Mariti interierit.

"Si quis Servo oculum, aut dentem extorſerit, Servus vindicta liberabitur.

"Tau-

"Taurus ſi Hominem interfecerit, lapi-
"dabitur. Si Dominus ſciens Beſtiæ vi-
"tium, non conſuluerit, & ipſe lapida-
"bitur, aut pretio ſe redimat, in quantum
"Accuſator popoſcerit.

"Si Servus Taurum occiderit, in tri-
"ginta Drachmis pecunia Domino nume-
"rabitur.

"Si quis defoſſum lacum non cooperu-
"erit, pecuſque in lacum ceciderit, pre-
"tium pecudis Domino dabit.

"Si Taurus alterius Taurum occiderit,
"pecus venundabitur, pretiumque Domi-
"ni partientur, peremptum etiam divi-
"dent. Quòd ſi Dominus vitium Tauri
"ſciens, non conſuluerit, Taurum dabit.

"Si quis Vitulum ſubripuerit, quinque
"reſtituet. Si ovem ſubripuerit, quadru-
"pli pœna erit.

"Si viva penes Abactorem pecora re-
"perientur, dupla reſtituet.

"Nocturnum Furem occidi licet, diur-
"num non licet.

"Si cujus pecora, alterius ſata depave-
"rint, Dominus pecoris everſa reſtituet.

"Si depoſitum perierit, is penes quem
"depoſitum fuit, jurabit nihil ſe dolo
"egiſſe.

"Fur inventus duplum dabit.

"Commendatum pecus à Beſtia inter-
"ceptum, non reſtituetur.

"Si quis Virginem nondum deſponſa-
"tam corruperit, dotabit Puellam, & ita
"eam Uxorem accipiet. Si Pater puellæ

"nuptias recuſaverit, dotem raptor da-
"bit.
"Si quis ſe pecudi miſcuerit, morti da-
"bitur.
"Sacrificans Idolis pereat.
"Viduam & Orphanum non premen-
"dos: Pauperem debitorem non perur-
"gendum, nec uſuram poſcendam.
"Veſtimentum Pauperis pro pignore
"non accipiendum.
"Principem populi non increpandum.
"Primogenita omnia Domino offerenda.
"Carnem à Fera captam non eden-
"dam.
"Coitiones in teſtimonium falſum, aut
"in quacumque malitia, non eſſe faci-
"endas.
"Inimici pecus errans non præteribis,
"ſed reduces.
"Si animal Inimici oneri ſuccubuiſſe in-
"veneris, erigere debebis.
"Innocentem & Juſtum non occides.
"Non juſtificabis impium pro muneribus.
"Munera non accipienda.
"Advenam benigne habendum.
"Sex diebus opus faciendum, Sabbatho
"requieſcendum.
"Fructus ſeptimi anni non metendos,
"ſed Pauperibus & Egenis derelinquen-
"dos.

Hæc ubi Moſes ad Populum retulit, acclamantem reſpondentemque, omnia prompto animo executurum, Aram ſub Montis radicibus poſuit, duodecim colum-

nis

nis ſuffultam, teſtatus ſancitum eſſe inter Deum ac duodecim Tribus fœdus.

His peractis, Moſes montem ad certos gradus rurſum aſcendit, *Aärone*, *Nadabo*, *Abihu*, & è provectioribus ætate Hebræis ſeptuaginta ſecum adductis. Iis Numinis gloriam propè intuitis, oculi perſtringuntur, tantam Majeſtatem non ferentes. Interim Moſem altiùs provectum Nubes, qua Deus circumdebatur, excepit, in qua Dies noctesque quadraginta moratus, cibo potuque abſtinuit: De Tabernaculo conſtruendo, fœderis Arca, adolendique ritibus Dei ſermone inſtructus. XVII. A. M. 2513. Menſe quarto ab exitu. *Moſes à Domino in nube excipitur, quadraginta diebus.*

Hebræi Ductorem ſuum vel præcipitio hauſtum, aut vorantibus flammis in monte abſumptum rati, *Aäronem* authoritate ſecundum adeunt, recenteſque Deos, qui in via præcedant, depoſcunt. Illum movit, quòd coitum à paucis diebus fœdus populus temeraret, *Jehovæque* Religionem aſpernaretur. Quod hoc malo remedium? abnueret? Vim metuebat. Obſequeretur? Jehovæ cultus obſtabat. Ergo impetum eludere viſum eſt. Uxoribus liberiſque inaures tollerent, & opus Aureum pro voto aggrederentur. Effecto ad Ægyptiorum Deorum ſimilitudinem Vitulo, proh pudor! jumento ſimiles, jumentum venerantur, ſublato clamore, *en*, inquiunt, *Numina*, *quæ Vos*, Iſraelitæ, *ab Ægyptiaco ergaſtulo liberarunt*. Tum Domini immemores, Pecoris encœnia ſacrificiis celebrant, cantibus, ludo, choræis, libi- XVIII. *Deum ob effictum ab Hebræis Vitulum iratum Moſe precatur.*

hbidini intenti. Deus viſo è Sina monte Idolo, *Moſem* in caſtra gradum maturare jubet, Populo perniciem imminere, quam indigno facinore contraxerat. *Moſes* populi miſertus, Deo facta patribus ſua promiſſa in memoriam reducens, cladem ſæpius deprecatus, veniam demum impetrat. Hinc Virtutis vim edocemur, qua Juſtus unus Deum placat, etiam univerſa genti iratum.

XIX. *Moſes Tabulas frangit, vitulum comburit & Aarone objurgato Idololatras occidi jubet.*

Moſes demum in Caſtra reverſus, Populum choræis ludiſque indulgentem, circa Idolum conſpicatus, lapideas Legum *Tabulas*, Dei digito exaratas abjecit, humique inflictas confregit. Indignam gentem teſtatus, cum qua Deus paciſceretur, aut ei præcepta traderet. Dein zelo accenſus, *Vitulum* deturbat, atque in pulverem comminutum Hebræis propinandum exhibet. Sibi haberent, quem tantopere appetierant, intimiſque medullis conderent, ne uſpiam Impietatis veſtigia cernerentur. Pari ardore, *Aarone* increpito, accerſitis *Levitis* imperat, ut in noxios expeditis armis irruentes ſe ſtrenuos Jehovæ Milites præſtarent. Illi mandato obſecuti, tria Idololatrarum millia letho dederunt. Sexcentis propemodum Virorum millibus, uni minimæque tribuum reſiſtere non auſis; imo *Moſe* uno indignante, horrentibus. Timidos enim mala Conſcientia procreat, & in ſe directum mucronem avertere veretur. Die poſtero, *Moſes*, habita ad Populum concione, refractaque

ctaque Flagitii memoria, id dolore, lachrymis delendum esse monuit. Mox ipse Deum obtestatus est, ne Gentem improbam expungeret, sed pro more, ei præire propria Majestate perdius atque pernox non intermitteret.

XX. Tum fœdere cum *Israelitis*, quòd Pecoris cultu contaminaverant, restaurato, *Moses* confectas de novo Tabulas à Deo accepit. Ejus autem vultus, ex Dei conspectu, tanta claritate illustratus est, ut ejus mandata traditurus, eum velamine obtegeret. Quo semper apud populum usus, nisi cùm ad *Jehovam* accederet. Eo tempore, Deus Mosem de Tabernaculo fabricando, parandisque Sacerdotum vestimentis edocuit: nimirum ut erecto è cedrinis asseribus quasi munimine, utrumque latus viginti asseres, octo autem partem posticam ab Occidente obstruerent. Singulis in stilobatas argenteas, cardinibus insertis, quos sicut & Transtilia ex auro laminæ tegerent. Parietum latera, uti & Fanum exquisitis aulæis cooperirentur, prope terram pendentibus. His effectum è caprina lana, ac pannis hyacinthinis tegumentum adderetur, cum operimento, è rubefactis Arietum, supernè Melium pellibus. Tabernaculo velamine bipartito, pars exterior Sacerdotibus communis, *Sanctum* diceretur; Interior, quæ Pontifici semel annuatim pateret, *Sanctum Sanctorum*. Ab Oriente Tabernaculi frons cum ostio poneretur, patentibus ad

Præcipitur modus construendi Tabernaculum.

Meri-

Meridianam Borealemque plagam atriis centum cubitorum magnitudine. Ab Ortu Occaſuque atria ocellatis quoque tapetibus obtegerentur, ſed prioribus dimidio contractiora.

XXI.

A. M. 2514. A. Chr. 1490. *Oblatis pluſquam opus eſſet donariis adduntur ornamenta Tabernaculi.*

His ex Dei præcepto à *Bezaleele* Uri filio, & *Aholiabo* ex Danis tribu Artificibus, peractis, Eorundem opera, *Arca* ex cedrina materie conditur, laminis aureis undique circumſepta. Lateribus indit annuli, per quos immiſſis vectibus, ferri commodè poſſet. Huic additum eſt operculum, ex auro fabricatum, in cujus ora duo Cherubini affixi, obverſa ſibi facie, operculum expanſis alis obumbrantes. Appoſita eſt & *Menſa*, cum vaſibus aureis, tum pani ferendo, tum thuri ſervando deputatis. Tum *Candelabrum* ex auro ductili excuſſum, præter lychnucum medio aſſurgens, tribus hinc, inde tribus erumpentibus ramis, quo lumen undequaque ſpargeretur. Præter *Aram*, ſuffumigando Aromatibus templo idoneam, *Altare* è cedro erectum eſt, ære obductum; lateribus quinque cubitis, trium altitudine porrectis. Demum *Labrum* Chalibæum, una cum ſcapo, appoſitum eſt, ex Mulierum donis coagmentatum.

XXII.

Ejuſdem anni 2514. primo ſemeſtri. *Arca propitiatorium menſa, candelabrum, lucernæ, thymiama apponun-*

His omnibus ordine in Tabernaculo diſpoſitis, *Arca* in adyto collocata eſt, refectas morales Tabulas complexa. Dein in *Sancto* candelabrum repoſitum, & *Menſa*, cum *Ara aurea*, Ædi inodorandæ devota. Lucernis in Candelabro accenſis,

Moſes

Moſes duodecim panes pro Tribuum numero obtulit, impoſito Acerris thure, ſingulis Sabbathis panum loco cremando. Ante portam Tabernaculi, *Aram* Majorem, Victimis libandis in atrio conſtituit, Labro Chalybeo, inter Tabernaculum, & altare Majus poſito. Denique Arca, Operculo, menſa, Ara ſuffitus, æneoque Altari, cum cæteris vaſibus Oleo Sacro inunctis, Dei nubes Tabernaculum operiens, tanto ſplendore complevit, ut *Moſem* ipſum aditu excluderet. Poſtremò ſacris peragendis, Sacerdotes conſtituit, Nadabum, Abihu, Eleazarum & Ithamarem *Aaronis* filios, ſed Patri ſubditos, quibus velut Pontifex ſummus præficiebatur. Hinc veſtium cultu à cæteris diſtinctus, Amiculo cubitali, auri bracteis Cingulo, pectorali quadrato, Pallio, Tunica teſſellata, talari, & balteo accincto, Cydari in Tiaræ ſpeciem convoluta amiciebatur. Auream laminam fronte gerebat, his verbis cœlatam, *Sanctitas Jehovæ*. Reliqui verò lino potiſſimum utebantur. Zonis etiam ad talos uſque defluentibus, dum à Sacris feriebantur; alias iis operaturi, eas in levum humerum removebant.

XXIII. *Offert Aaron Arietem. Benedicit populo, igne devorante holocaſtum.*

Igitur *Aärone* filiiſque ejus Sacerdotio inunctis, ad Sacrificium proceſſum eſt. Nam Ariete pro *delictis* mactato, alius ſimilis in Conſecrationem litatus. Nec à porta Tabernaculi, niſi poſt ſeptem dies, diſceſſum: donec *Aärön* die octavo ſacris operatus, benedictionem populo impertitus, ab

Ara

Ara receſſit. Prodigio fuit, quòd Ignis de Cœlo in Altare delapſus, victimas devoravit, holocauſto & adipe abſorptis. Populus portentum miratus, proſtravit ſe, Dei potentiam gratiſſimo plauſu veneratus. Moſes Aäronis myſterium his auſpiciis probari exiſtimans, mandat, ut ſacer in poſterum Ignis haberetur, & à Sacerdote fomitem diebus ſingulis injiciente, cuſtoditus, Sacris adhiberetur.

XXIV. *Nadabo & Abihu igne conſumptis, vinum Sacerdotibus interdicitur.*

At ut nihil perpetuò beatum eſt inter Mortales, & mœſtum quid lætis ſemper intervenit. Aäronici Pontificatus exordia improviſus luctus perciet. *Nadabus* enim & *Abihu* ſacris nuperrimè initiati, cùm igne prophano, ad thus adolendum, ſeu vitio, ſeu incuria acceſſiſſent, ſtatim igne cœleſti correpti, extinguuntur. Hinc *Aäron* à Deo admonitus, ne ſuperſtites filii, ad ſacra facienda, niſi Vino abſtemii properarent. Quòd nonnullis ſuſpicandi anſam præbuit, *Nadabum* & *Abihu* temulentos, ac officii immemores deliquiſſe. Elatis Corporibus, ac humo extra caſtra redditis, cùm unum *Aäronis* genus divinis Honoribus haud ſufficeret, *Levitica* Tribus ad inferiora peragenda Tabernaculi miniſteria deputatur. Deo eam modo peculiari proſequente, quòd trium millium cæde, honoris ſui, in Vituli contumelia, ſtrenuos ſe vindices præſtitiſſent.

Priuſ-

Priuſquam Caſtra moverentur, juſſit Deus Hebræorum Capita recenſeri, qui ad Vigeſimum ætatis annum perveniſſent. Tribu *Levi*, ut dictum eſt, Sacerdotio deſtinata, Cæteræ in numerum redactæ 603550. confecere. Nam Rubenitarum Turba fuit 46500. Simeonidarum 59300. Judæorum 74600. Iſſachareorum 54400. Zebulonitarum 57400. Ephraimitarum 40500. Manaſſidarum 32200. Benjaminitarum 35400. E Tribu Danis 42700. Aſeritis 41500. Gaditarum 45650. Poſtremo Naphtalidarum 53400. XXV. A. M. 2514. A. Chr. 1490. *Numerantur viri bellici qui in duodecim tribubus erant.*

Tandem Vigeſimo ſecundi Anni die, ab Ægyptiaco Iſraelitarum diſceſſu, ſacra *Nebula*, quæ eouſque Tabernaculo incubuerat, ſupernè evecta, illud deſtituit. Id Hebræis abeundi ſignum fuit. Nec mora Caſtris prolatis, *Arca* Teſtimonii præeunte, Nubem ſequuntur, quæ per diem denſa caligine cernebatur, noctu autem lucis igniſve æmula. Triduo expleto, Deſerto *Paranis* potiuntur, ubi Tentoriis erectis, Arcam & Tabernaculum ponunt. Tum per otium animos ſubit priſtini victus memoria, nauſeat *Manna*, & tenuis cibi faſtidio, porrum, cepe, allium, quibus in Ægypto veſcebantur, depoſcunt. Adfuit Stolidorum queſtibus Deus: Venti enim impetu, tantam *Coturnicum* vim in caſtra immiſit, ut per unius diei iter diſperſæ, ad duos altitudinis cubitos erigerentur. Verùm, dum ſe extructis dapibus ſolantur, geniiſque indulgent, incautos XXVI. *Murmuris pœna plexi Iſraelitæ Coturnicum carnes impetrant.*

tos funeſta lues corripit, ingenti in Populum ſtrage edita. Sic ut carnibus, quas tantopere concupierat, det pœnas. Inde loco, *Sepulchra Concupiſcentiæ*, impoſitum nomen, quòd cibo avidiùs paſto, interitum præproperè adſciviſſet.

XXVII. *Dejectos Iſraelitas Joſua Nun filius ſolatur.*

Iſtinc promotum eſt agmen, & fixis Rithmæ in *Paranis* ſolitudine caſtris, Chananeæ tot votis laboribuſque expetitæ limites attigere. Præmiſſi Exploratores, qui Regionem rimarentur, referunt fertilem quidem terram, (quod ex Ficubus & malogranatis, quæ ſecum attulerant, oſtendunt) ſed prævalidos incolas, munitas Urbes, oppida ingentibus muris cincta. His nuntiis *Iſraelitæ* perterriti, lamentari, vicem ſuam deflere, quòd Truculentis Hoſtibus ad internecionem delendi ducerentur. Eò mali ventum eſt, ut abjecto *Moſis* imperio, reditum in Ægyptum meditati, de alio Duce eligendo cogitarent. Hanc mentem *Joſua*, qui inter Regionis exploratores fuerat, adimere conatur. Cur Exploratoribus aliis potiùs quàm ſibi fides haberetur, qui nihil metuendum reperierat, præter larvas, vix abigendis in fugam pueris pares? At Gens ferox ac bellicoſa memoratur, cum qua pugnandum eſt. Quid tum modò talis ſit, quæ vinci, quæ ferro domari queat. An vos Amalecitarum memoria excidit, quos nullo negotio ſubegiſtis? Timeri non debent, qui ſuperari poſſunt. *Gygantes* fortè viderunt, quibuſcum collati, cycadum inſtar

instar videmini vos: Quid ab eis metuendum, nisi quod ab excelsis turribus, ne scilicet delabentes, incautos opprimant. Armis decertandum, non corporum mole. Ad ostentationem quidem hæc Monstra, & mulieres exterrendas aliquid possunt, ad Bellum autem, ad pugnam pusilla sunt & evanida. Urbibus se munitissimis undique tuentur: Insignes profecto fœminarum nidi, munita mœnibus Oppida. Paventes hæc, non metuendos palam faciunt. Qui enim se latebris tuentur, non prælium quærunt, sed fugiunt. Vanam de Terræ expugnatione spem Exploratores referunt, at expugnabilem. *Jehova* asserit, stimulisque ad Victoriam Populum suum agitat; Cui addenda fides? Fallacibus Viris, an veraciſſimo ac summè potenti Numini? Erectis igitur estote animis, & ad promissam Regionem obtinendam festinate. Morem gerentibus *Jehova* favet, non indomitis, non Rebellibus.

XXVIII. *Exploratores omnes præter Calebum & Josuam, morti addicti.*

Surdis *Josua* cecinit: Pervicaces enim Hebræi, sanis consiliis renitentes, in suam perniciem ruebant, irritati potiùs, quam consciſſis Josuæ vestibus, aut oratione compositi. Tùm Deus exserta Tabernaculo majestate prodiens, consternatis omnium animis, ab incredulo populo pœnas exegit. Iter retrò converterent, & quadraginta annis in Deserto, sine Urbe, sine lare morarentur. Quibus elapsis posteri expugnatis Canaanæis, Dei promissis potirentur. Ne verò pudendi facinoris pœ-

nam effugerent, Decem Exploratores, qui Regionem infamantes, tanti mali Autores fuerant, triſti *Lue* confecit. Cæteros quoque, etſi die ſequenti culpam faſſos, Amoræis & Amalecitis objecit, qui eos ex inſidiis adorti, jam trepidos facilè fuderunt, ad *Hormam* uſque aliquot paſſuum millibus inſectati.

XXIX. *Coraehus Dathanes & Abiramus obſeditionem terra abſorbentur.*

Nihilo meliores, exacto ſupplicio, Iſraelitæ, alia ſeditione apud *Cadeſ-barnæam* furentes, in Moſem & Aäronem exaſperantur: Duce *Coracho*, illuſtri Levita, è Cohathi familia. Is enim invidiæ veneno afflatus, quòd ſola Aäronis progenies ſacerdotio præficeretur, aſcitis in factionem *Dathane* & *Abiramo*, inter Rubentas principibus, Moſem & Aäronem aggreſſus, improperat, quòd ſacra ſibi arrogantes, cæteris injuriâ anteirent. *Moſe* re inopinata perculſus, Deo conſulto, e dixit, ut ad Tabernaculi portam cu Thuribulis ſacra facturi convenirent, Deum cuique ſortem ſuam ſigno deſignaturum. In locum perductis, ſubito tremer Terra, fluctuare undanti Oceano ſimilis mox præcipiti ſtridore dehiſcens, *Coracbum*, *Dathanem*, & *Abiramum*, unà cum familiis, recluſa abſorpſit. Ducentis ſubinde & quinquaginta Sacrificulis igne cœleſti correptis.

XXX. *Sumptis virgis a. 12. Tribuum Principibus, ſola Aaronis virga floruit.*

Non hic Contumaciæ finis: Poſter luce, gens in tumultum prona, *Moſen* *Aäronemque* petulantibus verbis inceſſi quòd malis artibus uſi, Dei populum tr cidaſſen

cidassent. Eo jam furoris venerant, ut nefarium aliquid in Duces suos agitarent, ni *Jehova*, missa in indomitum populum peste, motum cohibuisset. Perempti sunt eo die quatuordecim Hominum millia & septingenti, ac fortè periissent omnes, ni *Aäron*, instructa Thure ac Igne sacro acerra, in castra festinus, scelus expiasset. Deus autem ut nota insigniori, *Aäronis* Sacerdotium firmaret, jubet *Virgas* è singulis Tribubus, coram se in Tabernaculo, cum cujusque inscriptione deferri, admonens ei designandum esse Pontificatum, cujus baculum flores effunderet. Quibus peractis, postero die, una Aäronis virga, amygdalis onusta, Aäronis munus denuo designavit. Hinc coram Arca in Penetrali, jubente Deo, posita, cæterorum de Divino honore ambitum coercuit.

XXXI.

A. M. 2552. A. Chr. 1452. Ab exitu 40. *Petram cum hæsitatione Moses feriens, à terræ sanctæ introitu excluditur.*

Jam Seditio finem, perduellibus extinctis, habuisse videbatur, cùm tamen deducta ab eis soboles, Parentum ingenium brevi æmulatur. Ad oppidum *Cadesbum* Canaanæam versus pervenerant, primo mense anni, ab Ægyptiaco exitu quadragesimi, quum Aquæ penuria, in Mosem pro more, convitiis iterum debacchantur, lacessito etiam inanibus querelis Deo. Ab eo *Moses*, Rupe Aquam ut eliceret, admonitus, arreptæ Aäronis virgæ vim facit, saxo semel atque iterum, tanquam ictus unus non sufficeret, percussio. Hic dubiæ fidei Moses arguitur, quòd Aquam, repetito ictu, ex diffidentia exulerit. Unde

ſubiratus Jehova, in Terram beatam non perventurum illum denuntiat, rapturum quidem Soli conſpectum, ſed amiſſurum Patriam, cum videbit. Aqua tamen ſaxo, *Moſe* feriente, erupit, ſaturandæ Hominum Jumentorumque omnium ſiti opportuna.

XXXII. *Idumæis tranſitum negantibus, Iſraelitæ diſcedunt ad Horem montem. Aaron moritur.* Eod. an. menſe 5.

Caſtra jam Hebræi in *Idumeæ* confiniis fixerant, qua liber in *Canaaneam* aditus patebat. Miſſis ad Regem legatis, qui Iſraelitas adeſſe nuntiarent, Ægypto profugos, ſanguine tamen ipſis junctos, qui in Canaaneam promiſſam ſuis majoribus Terram profecturi, viæ Regiæ copiam poſcerent. *Idumæus* ſe viribus ſuis tutum ratus, ſupplicibus contemptis, per Ditionem ſuam, tranſitum negavit; Exercitu Regni fines tueri paratus. Hebræi à Deo admoniti, ne quid damni contra Idumæos molirentur, aliam viam ingreſſi, Horem montem primo itinere obtinent. Illic *Aaron*, exutis Pontificalibus veſtimentis, Eleazarum Filium, Dei juſſu, contegens, paulo poſt, moritur. Exactis centum & viginti tribus vitæ annis, primo quinti menſis die. Id enim Deus Aaroni ac Moſi minatus fuerat, quòd Patriam promiſſam quidem oculis tenerent, Vivis autem extorres eximerentur.

XXXIII. Eodem anno, menſe 6. *Serpentes in populum murmurantem immittuntur, quorum morſibus erectus ſerpens medetur.*

Dum Iſraelitæ in *Hore* Monte hærent, Rex Aradis, à meridionali Canaaneæ plaga erumpens, præcipiti agmine, Otio-

ſorum

ſorum caſtra invadit, atque Militibus, qui obſtitere, levi opera fuſis, ingentem virorum globum abduxit. In diſcrimine Hebræi verſabantur, cùm devotis Deo, ſi Conatibus aſpiraret, Hoſtium ſpoliis, in feroces irruunt, & voti compotes, victoria potiuntur. Hinc loco *Horma* nomen inditum, à devovendo, quòd beneficii præſtiti, ſuppliciſque voti Memoriam reponeret. Verùm, ubi poſt hoſtes neci datos, ab Idumæa arceri ſe cernerent, & iter ad *Erythræum* mare dirigi, pro vetere conſuetudine, in Seditionem abeunt. Ergo ſibi in Deſerto pereundum? Quorſum Arenas repeterent? Cur Idumæam penetrare non licet? Sic ad mortem ex Ægypto traducuntur? Deus blaſphemas linguas non paſſus, *Serpentes* in eos ſtimulat, qui complexibus Seditioſos occupantes, igneo afflatu inficiebant. Non Fontes, non flumina reperiiſſe juvit, aridis faucibus nulla Aqua prodeſt. Demum ad ſanam mentem reverſi, *Moſem*, ut ipſis adeſſet, obſecrant. Ille, Deo Autore, *Anguem* ex ære effictum, perticæ addidit; ut unde quiſpiam læſus fuerat, inde medicinam acciperet. Sic falſus Serpens veri morſus ſuſtulit, pluſque ad ſalutem res inanimis conſpectu ſuo profuit, quàm ſpirans fodicando ad exitium.

XXXIV. *Sehon Amoræus & Og us Reges ab Hebræis vincuntur.*

Zalmana, ubi hæc acta ſunt, profecti, Punome, Obothis, Abaræis collibus, Dibone peragratis, demum in *Cedemothi* ſolitudinem pervenerunt. Gentem vicinam *Sihon*

Sihon Amoræus moderabatur, ex Canaanis ſtirpe, Regni Metropolis nomen, Heſbon. Miſſis à *Moſe* legatis, qui tranſitum per Regionem efflagitarent, idem quod ab Idumæis reponitur, non patere Hebræis *Sihonis* ditionem, fugam maturarent, aliàs velut prædones armis abigendi. Nec cunctatus Rex, ad Jaſam oppidum cum Copiis properat. Non prælium Iſraelitæ declinant, ſed Dei ope freti, in Hoſtes alacriter feruntur; Amoræis omnibus ad unum interfectis, eorum agris oppidiſque potiuntur. *Baſanem* ſubinde, gigantum feracem ingreſſis, Ogus Baſanenſis Rex cum exercitu occurrit. Admoniti à Deo Hebræi, ne monſtra exhorreſcerent, prælio viriliter commiſſo, *Ogus* internecione deletus eſt. Deo ita ſtatuente, ne qua Amoræis ſpes, aut Hebræis metus ſupereſſet. In Victorum manus ſexaginta Urbes, portis ac mœnibus vallatæ, venerunt, ultra villas ac oppida, quibus hæc Regio abundat.

XXXV. A. M. 2553. A. Chr. 1451. *Balaamum Prophetam à Rege Balaco vocatum ſuo loquente Angelus corripit.*

Tunc Moſes caſtra ſuper Jordanem fluvium molitus, non niſi ſexaginta ſtadiis ab *Hiericunte* aciem direxit. Moabitis eo tempore *Balacus* imperabat, ferro & opibus potens. Rerum tamen, quas geſſerant Hebræi, fama permotus, ſibi ſuiſque metuens, inito cum Medianiditis conſilio, *Balaamum* Beore genitum, ad peregrinis maledicendum evocat, Vatem quidem, ſed moribus improbis, & quæque, lucri cauſa, adorientem. Miſſi nuntii, non

ægrè

ægrè Prophetam ad Hebræos diris devovendos muneribus adigunt. Primo manè Asina vectus, Servis duobus assectantibus, Regem adibat, cùm *Angelus* stricto mucrone, festinanti sè sistit. Asina conspectu territa, necem declinatura, Tramitem deserit; sed flagello exceptam *Balaamus* in viam reducere nititur: sed frustra, Bellua enim ruditu in humanum sermonem conversò, Sessoris sævitiam arguit, quòd nunquam antehac læsus adeò dirè innocuum percuteret. Sermone insolito turbatus Propheta, illico Angelum nudo ense sibi minitantem deprehendit, quem dimisso corpore veneratus, redeundi copiam deposcit. At ille, quò instituerat, pergere jubet, modò ne quid præter ea, quæ à Domino acceperat, proloquatur.

XXXVI. *Balaamus loco maledictionis populo Israelitico benedicit.*

Iis mandatis instructus *Balaamus*, ad Moabitidis fines pervenit. A Rege exceptus, ad montem *Baal-peori* Numini sacrum diluculo deducitur. Ex quo conspectæ eminus Israelitarum aciei, Dei spiritu linguam ejus movente, bonorum copiam, auxiliatricem Jehovæ manum, longam progeniem pollicitus est. Mox œstro percitus, veluti futura oculis prospiceret, emanaturum è Jacobo prædixit, & ex Israele sceptrum, quòd Moabi lateribus exitio futurum est, omnibus *Sethi* filiis jugo subactis. Quondam expugnatum iri *Edomum*, & *Seirum* ab Hostibus possidendum. Imo ex Jacobo ortum iri, Uni-

versi Dominatorem, nullo ex Edomi familia superstite.

XXXVII. *Balaami consilium.* Excanduit ad hæc *Balacus*, vaticinio offensus; Siccine, inquit, Hostibus meis precaris? Tuam imploravi opem, ut in procinctu castra abominareris, an hæc tua maledictio? Regerit *Balaamus*, Prophetas Dei interpretes haberi, penes quos non esse, quodlibet eloqui, sed quæ ab eo suggerantur. Quandoquidem verò de Hebræis victoriam consequi brevem etiam cuperet, privata habere, quæ elargiretur. Prophetis nefas quemquam exsecrari, nisi *Jehova* offenso, aut Populi facinoribus irato. Arte igitur efficeret, ut quas in ditione sua haberet eleganti specie Virgines, & Juvenum complexibus faciles, circa Israelitarum castra vagentur, quos ubi libidine captos viderint, tanquam stuprum aversatæ, recedere simulent, ni prius *Baalem* veneranti, cultu *Jehovæ* abdicato, Patrias leges relinquant. Ita demum iratus ipsis Deus, Vatibus exsecrandos relinquet.

XXXVIII. A. M. 2553. A. Chr. 1451. *Israelitæ capti amore Moabitarum Virginum Baalis Idolum venerantur.* Successit Consilium: Moabitæ, instructa dolis Gens, tanquam simultatis obliti, amicorum specie, nequissimum facinus moliuntur. Submissæ à Viris mulieres, compto capillitio, & vultu ad illecebras efficto, Hebræorum castra penetrant, quas Adolescentes intuiti, ita in ipsas depereunt, ut ad Choreas, & Convivia *Baali* dicata nullo negotio alliciantur, quodlibet Numen veneraturi, modo peregrinarum consuetudine fruerentur. Sic Armatos Decor

cor vicit, & qui non ferro, non prælio domabantur, corporis fœminei venuſtate, ſuccumbunt. Ergo libidine captivati *Iſraelitæ*, eo devenere inſaniæ, ut mulierum amplexus Divino fœderi anteponerent, ſummum ducentes Virginum pudicitiam expugnare.

XXXIX. *Medianitæ ab Iſraelitis victi ſubactique ſunt.*

Deus ira meritò concitus, Moſem jubet flagitii autores cruci affigere, ut in aëre ſuſpenſi, cæteris documenta forent, Jehovam non impune laceſſiri. Idem ad Judices defertur, ut repertos ubique alieni Numinis cultores, patibulo tollerent, ut eo ritu indignationem Divinam compeſcerent, ne ultra exaſperetur. Viginti tria Hominum Millia, ſceleris pœnam peſte luere. Dum Exercitus in luctu verſatur, *Zimri* vir indomitæ libidinis, Scortum è Medianitide abductum Caſtris intulit, Moſe ſpectante, totoque Populi cœtu. *Phineas* Eleazari Pontificis filius, opprobrium non tulit, ſed turba erumpens, Hominem in proſtibulo aſſecutus, ventrem ſpiculo unà cum Meretrice transfigit. Sic placato Numine, in Medianitas tanti mali capita invectum eſt. Cæſis, *Phinea* Duce maſculis omnibus, ſimul cum Recemo, Zuro, Huro *Balaamus* cecidit. Inter ſceleratos verſatus, inter ſceleratos trucidatus, dignas flagitio pœnas pendit. Id habet Conſilii perverſitas, ut Autores ſuos fatiget, & ſibi tandem aliquando adverſetur. Tum in mares Pueros, ac mulieres ſævitum eſt, Virginibus exceptis, quibus

quibus ob integritatem parcere placuit.

XL. Triginta dumtaxat dies anni quadrageſimi ſupererant, ex quo Ægyptum Iſraelitæ reliquerant, cùm Moſes advocata ad Jordanem concione, Populum ſibi in propinquo mortem eſſe admonuit, & recenſitis, quæ à Deo ſumpſerat, Beneficiis, ad obſequium ei ex animo præſtandum hortatur. Mox *Joſuam* in ducatu ſucceſſorem elegit, cui manibus coram Eleazaro Pontifice, univerſaque multitudine impoſitis, munus ſuum tradidit. Dein, Hymnum Deo canere cœpit, extremam ei gratiarum actionem reddens, quòd à teneris annis, ad decrepitam ætatem, miris ac jugibus beneficiis ſe eſſet proſecutus. Tum vocatis in auditorium Mundi Elementis præcipuis, Terra, Cœloque, carmen Domino cecinit, Vates quadammodo, choreis æthereis inſertus. Abſoluta ſanctitatis Charitatiſque melodia, *Nebuntem* ex Abaræis montibus unum, ex Hiericuntis regione conſcendit. Ubi oculis Rerum terrenarum ſpectaculo ſaturis, Nube repentina circumdatus, corpore dimiſſo, in cœlum evolavit. Ita in valle à Deo ſepultum, omnium hucuſque oculos latuit. Centum & viginti annorum erat Moſes, cùm mortalitatem exuit: Vir omnium quotquot extitere, prudentia, eloquio, manſuetudine, Conſilio clariſſimus. Supra fidem in gente contumaci placidus, apud quam uti Patientiæ, ſic & Charitatis exemplar enituit. Id ipſi peculiare, quòd nemo

A. M. 2553. menſe 12. anni 40. ab exitu, primo die menſis. *Moſes Terram promiſſionis contemplatus, moritur, occultè à Deo ſepultus.*

nemo expirantem, nemo extinctum viderit, imo tamdiu mortuo nemo ſepulchrum erexerit.

Quòd autem Promiſſam Terram Moſes tantùm ſpectaverit, ejus incredulitati adſcribitur, quòd eo tempore, quo rupem tundere juſſus, poſt tot virtutum ſuarum monumenta, anceps animi, iterato ictu aquas produxerit. Sic nulli fœdifragi, in promiſſam hæreditatem pervenere, cùm nemo ultra viginti annos natus, Ægypto profectus, *Joſua* & *Calebo* exceptis, Jordanem tranſgreſſus eſt. XLI. *Ex iis qui Ægypto exierunt, ſolı Joſuas & Calebus, Terram ſanctam penetrant.*

Joſua ex Ephraimita Tribu, Nunis filius, Moſi à Deo ſubſtitutus, priuſquam Canaaneam invaderet, duos, ne quid temerè aggrederetur, ſpeculatum præmiſit. Reverſi incolas timore perculſos referunt, quondam Superbis liqueſcere animos, tantùm non opinione jam ſua devictis. Intrepidè accederet, maturo ad expeditionem tempore. Nuntio lætus Joſua, populum in procinctu eſſe jubet, ac ſibi de annona, poſt triduum Jordanem trajecturus, conſuleret. Mandatum populus mirabatur; Nam quî Fluvius ſolido tunc tumidior, ſuperari poſſet? Ponte? Navibus? Hæc deerant, nec ulla ſpes vadum traducendi agmina pollicebatur. Nihilominus Caſtris die tertio motis, ad Fluminis ripas perventum. Arca Fœderis in primo Amnis aditu applicita, ſubito Aquæ ſuperiores conſiſtunt, inferioribus, celeri curſu in Mare Mortuum delatis: Sic ut diſciſſus per XLII. A. M. 2553. A. Chr. 1451. menſe primo anni 41. ab exitu. *Joſua cum exercitu Jordanem tranſit.*

per medium Fluvius apertum iter concederet. Traductis omnibus tanquam per *Isthmum* copiis, ad *Hiericuntem* occupandam festinatum, Urbem propugnaculis validis cinctam, & expugnationi difficilem. Sed *Josua* à Deo instructus, Milites circuire Mœnia jubet, septem Sacerdotibus, qui Arcæ Testimonii anteibant, buccina clangentibus. Cùm id sex diebus fecissent, septimo muri sponte corruentes, Civitatem aperto undique aditu, Hostibus produnt. Expugnata funditùs diruitur, Incolis omnibus, cum ædificiis in cineres redactis.

XLIII. *Achan propter furtum jussu Domini lapidibus obruitur.*

Ut Posteri direptum divinitùs fuisse oppidum, idque velut reliquarum primitias Deo devotas esse noscerent, dira exsecratione sancitum est, ne minimum quis inde adipisceretur, aut in privatos usus converteret. *Achan* tamen Carmi filius, auri cupidus, de Spoliis partem subduxerat, de Dei vindicta parum sollicitus. Sed Fur, Deo monstrante, postmodum detectus, Lapidibus à Populo, unà cum liberis obruitur, cadaveribus cum Tabernaculo igne consumptis. Mirum, quòd in unius Hominis crimen tantum Deus exasperetur, & clandestina noxa in totum corpus redundet.

XLIV. *Aia Urbe capta, Rex suspenditur.*

Exacta sceleris pœna, exercitus ad *Aiam* expugnandam ducitur, & locatis prope oppidum noctu insidiis, Hostis diluculò ad certamen allicitur. Animi impotentes *Aiani*, portis reseratis, in *Josuam* invehuntur,

tur, qui ſimulata fuga, eos ab Urbe abſtrahit, fuſum Hoſtem exiſtimantes. Tum *Joſua*, erecto, quem manu gerebat, clypeo, Inſidiatoribus, ut erumperent, ſignum dat; qui vacuam Civitatem ingreſſi obtinent, imbellemque turbam, admota prius ædificiis flamma, trucidant, delent. *Aiani*, viſo incendio, reditum moliuntur, ſed tergis hærentes Hebræi, unà cum iis, qui urbe capta prodiere, Univerſos exitio dant. Interfecta ſunt eo die duodecim prope Aianorum millia. Captus Rex trabi affixus, abjecto extra murum cadavere, ſaxorum cumulo contectus.

XLV. Eodem anno 2553. deſinente. *Quinque Reges Gabaonem obſidentes vincuntur, immoto ſole unius diei ſpatio.*

Allapſa vicinis gentibus Aianorum & Hericunthiorum clades, haud parum *Hithæum, Amoræum, Cananæum, Perizæum* & *Jebuſæum* in Boreali tractu Reges movit; qui in Amicitiam coeuntes, *Joſuam* viribus junctis adoriri ſtatuunt. Verùm Gibeonitæ opulentæ Urbis coloni, abjecto Belli conſilio, conventionem præferunt, quam tenaciter certando, in exitium præcipites ruere. Ergo in Deditionis amorem, ut vile Calonum munus obeant, hauriant aquam, ligna cædant, in Tabernaculo admittuntur. Vicinarum Urbium Regibus indignationem hæc deditio concitat. Quid aperto Hoſti dextram jungere aliud, quàm Socios averſari, & à data fide abeundo, finitimos prodere? *Adonizedecus* ergo Hieroſolymarum Rex, injuriam ulturus Gibeonitis primùm bellum inferre conſtituit. In Belli ſocietatem qua-

quatuor alios Reges, *Hoamum* Hebronis, *Piramum* Jarmuthi, *Japhiamum* Lachisi, & *Debirum* Eglonis, Amoræos adscivit, qui junctis copiis in Gibeonitas feruntur. Missis confestim ad Hebræorum castra nuntiis, qui auxilium peterent, præsto fuit Josua; Nam exercitu properè traducto, Hostes Palantes & parum militaribus muniis intentos adorsus, Phalangibus expugnatis, cæteros in fugam dissipat, ad Azecam usque prosecutus. Multis millibus interemptis, cùm Sol in Occasum vergeret, prospiciens Noctem præsidio Victis fore, audaciùs quàm pro humana conditione, *Solem* jubet in Gibeone, & *Lunam* in Aialonis valle consistere. Sic die Siderum statione producto, protractum est Victoriæ tempus, nullo superstite Hostibus effugio. Tantum Viri unius Fides potuit. Dominans oratio, atque ambitiosæ preces, quibus Josua rogando jubet, & supplicando imperat. Quinque Reges, abjecta fugæ spe, cùm se undique premi cernerent, speluncam in *Maceda* Urbe subeunt, latebras quæsituri; sed inde à Josua erepti, obtritis Militum vestigiis corporibus, postquam in patibulo ad vesperam pependere, in antrum rejecti, congestis lapidibus obruuntur. Ut inde intueri liceat infelices esse Regum exitus, dum in Mundo sublimes, graviora patrant crimina. Deus enim hoc spectaculo Israelitis timorem incutere voluit, ne gentium mores imitarentur, in quarum

quarum ſcelera eum adeò dirè exacerbari cernerent.

XLVI. A. M. 2560. A. Chr. 1434. *Joſua Jabinum cum plurimis aliis Regibus expugnat.*

Regionis parte, quæ Auſtrum ſpectat, ſubacta, adjectiſque in Iſraelitarum poteſtatem, Palæſtinorum urbibus, in Boreale ſolum proceſſum eſt. *Hozoris* Rex Jabinus, tot Victoriarum rumore territus, omnes Regulos, quos plures ſubditos habuit, ad Bellum evocat; & trecentis Peditum, decem Equitum millibus, cum ingenti Curruum copia, ad *Meromi* aquas caſtra ponit. *Joſua* tantas copias nihil moratus, poſtero die, Hoſtes repentino impetu adoritur. Certamen acre, cruenta ſtrages; nam Regibus ad unum interfectis, non cædendi finis fuit, donec univerſi tollerentur. Tum enervatis, prout præceperat Deus, equis, curribuſque flamma crematis, Urbes obvias deripiunt, & qua patebat, Regionem populati, *Hazorem* Regiam igni donant, quæ ad Bellum cæteris facem prætulerat. Demum univerſo Terræ tractu, qui ab Halaco monte, uſque ad *Baalgadum* in valle Libani continetur, in ditionem redacto, Anacæos, ſive Gigantum genus aggreſſus, magnis cladibus affecit, ac eos poſtremò ex oppidis omnibus, quæ Iſraelitarum habitationi deſtinarat, ſuſtulit.

XLVII. A. M. 2570. A. Chr. 1434. *Joſua moribundus Iſraelitas ad ſervanda Dei Præcepta exhortatur.*

Memoriæ proditum, triginta Reges cæſos, totidemque Regna ab Iſraelitis capta, duce *Joſua* fuiſſe. Quorum terra in duodecim partes diviſa, ſingulis Tribubus aſſignata eſt. Levitis quadraginta & octo Urbes;

Urbes, unà cum ſuburbiis portio fuit, de quacunque Tribu quatuor, quatenus inter Iſraelitas diſperſi, Pietatem tuerentur, omneſque de ſervandis *Moſis* præceptis commonefacerent. Sortibus diſtributis, factaque Tribubus domum petendi copia, à Bello ceſſatum eſt. Interim *Joſua* penè ad vitæ metam jam perductus, Populi primoribus evocatis, ubi Dei beneficia, per quæ ex rebus afflictis, in tantas Opes pervenerant, extulit, eos ad ſervandam Patrum Religionem hortatur, Hoſtium reliquias evitarent, & eorum devotis Numinibus, ſoli Jehovæ addicerentur. Poſt concionem, Naturæ debitum exſolvit, anno ætatis ſupra centeſimum Decimo. Vir nulli ſolertia & eloquio ſecundus, in Ducatu fortis & impiger, nec minùs in pace æquus, quàm in bello ſtrenuus; denique in quavis virtute eximius. In *Timna-ſera* Tribu Ephraïmitico ſepultus, appoſita tumulo ſtatarii Solis imagine, qui ni Victoriam moraretur, diem morari videbatur. Sub idem fermè tempus, mortuus eſt *Eleazarus* Pontifex, depoſito prius munere, & *Phinehæ filio*, tanquam jure hæreditario relicto. Ejus oſſa apud *Gibeam* condita, diu Hebræis venerationi fuere.

HISTO-

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Quintus.

De Judicum Regimine.

JOsua vivis erepto, aliquot annorum spatio interregnum fuit, Populo Reipublicæ negotiis operam dante; donec *Canaanæi* mutatam cum Hostium Duce fortunam rati, *Adonibesecum* exercitus rectorem creant. Ipsis immotum, Bellum cum Israelitis reintegrare, & cadentem Patriam ulcisci. Israelitæ consulto per *Pinehum* Sacerdotem Dei oraculo, ut se Judæis regendos tradant, admonentur. Judæi Deo alacriter obsequentes, ascitis in Militiæ partem *Simeonidis*, in certamen cum *Canaanæis* ac *Perizæis* in agro Bezecensi veniunt. Sed cæsis decem Hostium millibus, *Adonibesecus* plurium antehæc Gentium Victor capitur, pollicibus manuum ac pedum resectis. Ita meritò mutilatus,

A. M. 2570.
A. Chr. 1434.
Fiunt Israelitæ contra Canaanæos & gentes alias Victores.

latus, qui duos & ſeptuaginta Reges ſimili pœna indignè affecerat. Deus lentum quidem, ſed certum humani generis ſe vindicem exhibet, ac in invenientium capita exempla regerit, ut juſtiſſima patiendi vice, quod quiſque alieno ſupplicio excogitavit, excipiat ſuo. Sic mulctatus Tyrannus, *Hieroſolymas* perductus, vita miſerè diſceſſit. Urbis parte inferiore intercepta, in Habitatores ſævitum eſt, nec inde digreſſis factus eſt perſequendi finis, donec *Zephata* funditus diruta, cæteræ Palæſtinorum Civitates, una cum oppidis in poteſtatem redigerentur.

II. Ab anno Mundi 2591. ad annum 2599. *Iſraelitæ ob Idololatriam à Rege Meſopotamiæ caſtigantur.*

Verùm, ut ſui negligens eſt Felicitas, & Res ſecundas penè ſemper Socordia comitatur, *Benjamitæ* ſuperiorem Solymorum partem ſorte adepti, impoſito Incolis vectigali, impiæ Genti pepercerunt, quam Deus radicitus extirpandam præceperat. Imo morum ac Diſciplinæ immemores, cum Sacrilegis in amicitiam coëunt, & mixtis conjugiis, *Baalem* & *Aſtaroth* Idola pro Diis colere haud verentur. Talibus Jehova offenſus, fruſtra à *Phinehe* increpitos, Cuſani Riſcathaimo, Meſopotamiæ Regi plectendos tradidit. Lueret Inſani vecordiæ ac Impietatis ſuæ pœnas, & dura ſervitute, ad mentem ſanam reverterentur. Is Iſraelitas Bello adorſus, levi negotio ſuperatos ſub jugum mittit: primus, qui poſt Ægyptios Dei populum imperio premeret, octo annis gravi ſervitio habitum. Illi tot tantiſque Victoriis aſ-

ſueti,

ſueti, ægrè dominationem patiebantur, haud flagitiorum obliti, quibus hanc ſibi calamitatem adſciverant. Lachrymis ergo ac precibus pœnam deprecati, Deo ſupplicant, qui *Othonielem* Calebi generum, Virum fortem, amiſſæ libertatis vindicem conſtituit. Ille coacto exercitu, Tyrannum aggreſſus, ſuos, profligata Meſopotamia, in libertatem aſſeruit. Populus in navatæ gnaviter operæ præmium, *Othonielem* tum Judicem, tum Gubernatorem delegit. Quo munere ad quadrageſimum à Joſuæ obitu annum, functus eſt.

III. *Othoniele ſucceſſit Ehudus ſecundus Iſraelitarum Judex, qui Iſraelitas à captivitate liberavit.*

Poſt *Othonielis* funera, Populus ſumma quiete ſecurus, ſine malo, ſine metu vitam agebat. Sed quemadmodum ſitu Aër, Aqua torpore vitiatur: Hebræi otio ac deliciis dediti, in pejora proruunt. Contempto enim Divino fœdere, ſaxa, ſtipiteſque adorandos ſibi proponunt. Jehova irato, Impios pœna ſequitur. *Eglon* enim Moabitarum Rex, injuriæ opportunos adorſus, non ægrè ſubegit. Impoſito *Hierichunti* præſidio, ita Victos in obſequio continuit, ut ei duodeviginti annis ſervirent. Donec Deo miſerante, *Ehudus* Geræ Benjamitæ Filius, corpore validus, etſi dextra captus, ad aſſerendam Populi libertatem eligeretur. Is ad *Eglonem*, Iſraelitarum nomine, honorarium munus crebrò deferens, in Tyranni familiaritatem ſe inſinuavit, & ficto quod impertiret, arcano, ſolum nactus, ſica ancipiti, quam femori alligaverat, aſſurgentem uno ictu confodit, pu-

gione in vulnere derelicto. Tum clausis post se foribus digressus, ad suos celeri fuga evadens, tumultuarias copias contrahit, quibus, ad *Moabitas* conficiendos, occupato priùs Jordanis transitu, properat. Ex illis decem millia interfecta sunt, Viri strenui, & populi primores. Hac Victoria, excusso Barbarorum jugo, Hebræi Ehudum Principem crearunt, qui octuaginta annis rerum potitus est, pace perpetua, nullo domi Tyranno, nulloque, qui foris minaretur, Hoste.

IV. *Samgar tertius judex adversus Hostes congressus secundo eventu pugnat.* A. M. 2679. A. Chr. 1325.

Sed diuturniori tranquillitate, *Hebræi* facti deteriores, denuo lasciviunt, & in pristinos errores labuntur. Prælato Gentium fœdere, Divinum contemnunt, & ne finitimos lacessant, promiscua Numina reverebantur. In eos Deus animadversurus, *Jabino* Hazoris Nepoti, servitute opprimendos relinquit. Nam procaces ingentibus copiis aggressus, in tantam desperationem adduxit, ut tributario obsequio salutem redimere cogerentur. Viginti annis jugum passos *Samgar* adjuvit quidem, sed servitio non exemit.

V. *Baracus & Debora Judices Jabinum Regem Chananæorum subjugant.*

Tandem Debora Prophetis, divino Spiritu agitata, *Baracum* ad se accersitum jubet copias contra Siseram Jabini ducem agere; Baraco rei difficultate deterrito, se comitem præbuit: Qua monente, *Baracus* torrentis instar è monte ruens, hostilem exercitum profligavit, Deo interim grandine ac imbribus ita verberante, ut ad pugnam inutilis redderetur. Jam cædes, non certamen

tamen videbatur. Imperator rebus diffisus, curru, quo vehebatur, relicto, humo allabitur, diu gregariis militibus immixtus. Tum per viarum compendia elapsum *Jael* Heberi uxor in ædes suas allicit, à qua hausto lactis sopitus, adacto in tempora trabali clavo, interimitur. Nihil in fœmina modicum, quocumque se vertit, seu extremis vitiis, seu summis virtutibus vires ministrat. Vix Jael finierat, quum subvenienti *Baraco*, fit obviam, nec mora, quem quærebat hostem, ostendit humo affixum. Ille conversis in *Jabinum* Regem copiis, & ipsum exitio dedit, & Hazorem Regiam igne ferroque vastatam delevit.

VI.

Debora & Baraco, post quadraginta annorum Imperium, extinctis, Israelitæ seu Principum incuria, sive proclivi in Superstitionem animo, profanorum Numinum obsequiis iterum implicantur. Quis credat Populum tot beneficiis à Deo cumulatum, posse adhuc desipere? *Jehova* igitur indignante, *Midianitæ* unà cum Amalecitis & Arabibus, ingenti Hominum multitudine in Canaanæam effunduntur, abacto pecore, frumentum, cum Bobus & Asinis depopulati. Nihil Hebræis præsidii, nihil spei relictum videbatur; cùm Vates Dei legatione functus, ingratitudinem exprobrat, quòd terra tam felici donati, ea tantum lege, ut *Jehovam* solum pro Deo colerent, Dei mandatis adversi, lidicris Numinibus famularentur. Verbis

Ab an. M. 2752. ad An. 2759. *Israelitæ à Midianitis opprimuntur.*

Prophetæ ad ſanam mentem reverſis, veniamque efflagitantibus, ſolita Miſericordia promittitur.

VII.

A. M. 2759.
A. Chr. 1245.
Gideon ſextus Iſraelitarum Judex multis ſignis deſignatur.

Agebat per id tempus *Gideon*, Vir fortis, & inter Manaſſeæ tribus primates celeberrimus. Quo Hoſtium prædones lateret, frumentum in Torculari triturabat, dum Angelus ei Adoleſcentis ſpecie objicitur. Deus ſummus ac potens tecum, ait. Ille, voce demiſſa, nobiſcum Deus eſt, quos tot mala undique circumdant? Annon ille populum ſuum Medianitis conterendum abjecit? Ubi tot Prodigia, quæ noſtri cauſa, olim in Ægypto edidit? Angelus, directis in eum luminibus, macte animo *Gideon*, inquit, Gentem tuam ab hac peſte eripies. At ille, Egone ut Iſraelitas à Servitute eximam? Quis Ego? Meorum minimus, atque ex imbecillior Tribu ortus. Securum reddidit Angelus, ei vires, ei auxilium cœleſte pollicitus. Gideon iis verbis aliquanto audacior, ut ſe Dei miniſtrum prodigio aſſereret, expoſtulat: Ille allatum à Gideone coctum hœdum, poſitaſque in caniſtro placentas, juſſa è ſaxo erumpere flamma penitus abſumpſit.

VIII.

Gideon probatis ad aquas militibus in Midianitas irruens devicit.

Signo confirmatus Gideon, deſtructo ante omnia *Baalis* idolo, *Abiezeræos* primùm, *Manaſſidas* ſubinde claſſico concitat. Iis in exercitum coactis, bellum aggreſſus, ad fontem *Haradi* caſtra metatus eſt. Triginta & duorum millium exercitus erat, ſed Deo major viſus, quàm huic bello ſuffi-

ſufficeret. Quid ſi Iſraelitæ pro ingenii pravitate Victoriam viribus ſuis aſſignent, & prælii eventum non tam in Deum, quàm in Corporum Vigorem referant? Ergo duobus & viginti millibus dimiſſis, qui facta diſcedendi facultate, à Caſtris ſponte receſſerant, nihilominus plures adhuc ſupereſſe, quàm opus foret, edixit Deus. Arte igitur viſum eſt, Numerum infirmari. Ad vicinum amnem copias ad bibendum duceret: quotquot aquam manu ſublatam canino ritu lingerent, hos pro electis haberi, pro ignavis autem, qui proni flexis poplitibus, aquam ore elicerent. E tanta multitudine, trecenti dumtaxat Gideoni commilitones relicti ſunt, quibus *Medianitas* numero pene infinitos erat profligaturus. Ergo Deo fidens, lampadibus, hydriiſque fictilibus inſtructos, nocte concubia, uti juſſerat Deus producit. *Gideon* Tuba, cæteri ingenti clamore cœlum replent. Panico terrore Hoſtes correpti, omiſſa pugna, viam fuga corripiunt. Tum vertigine agitati, in ſeipſos ruentes, vel fugientium pedibus obteruntur, vel mutuatis mortibus cadunt. Elabentibus *Gideon* inſiſtit, & trajecto Jordane, Reges duos comprehenſos filio adhuc impuberi, morte mulctandos tradit, ſed cùm Reges puerilem gladium dedignari cerneret, in ipſos irruens, interfecit, Nemine ſuorum amiſſo, neminem Hoſtium ſervavit. Nam pluſquam centum & viginti Medi-

anitarum millia hoc in conflictu cecidere.

IX.

Gideon ex inauribus aliisque donis Ephod conficit.

Ea Victoria, quamvis per Hostes ipsos præcipue confecta, tantum Gideoni authoritatis conciliavit, ut Israelitæ Imperium illi ultrò offerrent, jure hæreditario possidendum. Sed eo verecundè contempto, levius quid expostulat, Regum manubias, ac Camelorum collaria expostulat. Ex his Vestem sacravit Sacerdotibus propriam, quam velut æternum partæ Victoriæ Monumentum *Ophræ* reliquit. Quadraginta annis Judicis munere functus, septuaginta liberos suscepit, præter *Abimelechum* ex concubina *Sichemi* genitum.

X.

A. M. 2768.
A. Cha. 1236.
Abimelechus occisis 70. fratribus imperium Tyrannicè usurpat.

Abimelechus principatui, quem *Gideon* Pater repudiarat, inhians, Sichemum ad materni sanguinis Cognatos se contulit; quorum ope, hausti è publico ærario Nummis, *Ophram*, Sicariorum manu stipatus revertitur: Ubi interceptos Fratres una cæde delevit, præter unum *Jothamum*, qui fortè malum præsagiens, saluti fuga consuluerat. *Abimelechus* dominationem à Fratrum strage auspicatus, uti violentam, sic minùs diurnam exercuit. Nam tertio post anno, ad Urbem Thebas, quæ defecerat, profectus, dum ignem Turri, qua se Populus tuebatur, minatur, fragmento saxi molaris è Turri, per fœminam devoluto, ita Caput transverberatur, ut calvaria dehisceret. Humi collapsus, ubi se moriturum sensit, Armigero pectus configendum ultrò exhibuit, indignatus

ab

ab imbelli mulieris manu necari. Sic vir nefarius sceleris pœnas luit, dignus qui saxo ictus probrosa morte pereat, qui septuagin.a legitimos Fratres super Rupem interemit.

XI. *Thola octavus judex à Deo præficitur.*

Abimelecho *Thola* successit, Issacharia Tribu ortus. A Deo Hebræis præfectus, non ut Regis, sed *Judicis* munus exequeretur. Eo duce, sæpe de circumjectis Gentibus Victores, spolia reportarunt. Demum rebus tranquillis, post viginti & trium annorum dominationem, diem supremum obiit. Samire, Ephraïmitici montis Urbe, in quo habitabat, sepultus.

XII. *Huic Jairus succedit. Eo mortuo Israelitæ in Idololatriam relabuntur.*

Tholam *Jairus* Manassides secutus est, Vir stirpe illustris, opibus ac liberis potens. Nam ei triginta filii fuere, qui magnatum ritu, Mulis vecti, totidem Oppidis præficiebantur. *Jairo* post viginti & duos annos defuncto, Israelitæ proterva Gens, & ad Idololatriam prona, cœpit *Baalos* & *Asterothas* Ammonitarum & Palæstinorum Deos venerari, Jehova, quem solum colere debuerant, abjecto, aut penitus neglecto. Ipsis solenne, manus supplices ad Deum in adversis tendere, Idolis autem in rebus prosperis se mancipare. Unde cùm mente seriò volvo, ut Populus tot Beneficis devinctus, tot calamitatibus, dum in peccatum prorueret, repressus sit; alternis vicibus Clementiam Severitatemque expertus, semper veniam aliis facinoribus frustretur, haud sane miror, quòd tales Deum non receperint, quandoquidem

quidem à primo Ægypti diſceſſu ſemper indociles, Dei jugum detrectaverint. Imo miror magis, quòd Deus ſupplicibus nunquam defuerit, ſed in Reos lenis, ubi eum imploraverunt, & culpam remiſerit, & afflictis opem attulerit.

XIII. *Iſraelitæ caſtigandi traduntur à Palæſtinis* ab anno M. 2798. ad an. 2816.

Ergo in veterem impietatem Iſraelitas prolapſos, Deus *Palæſtinis* & *Ammonitis* vexandos reliquit; qui decem & octo annis, in ſuorum etiam Deorum veneratores dirè ſævierunt. Donec illi velut ſomno diſcuſſo, ſcelus confeſſi, divinam vindictam deprecantur. Non illico Deus exoratur; ſe pluries laceſſitum, atque ſæpius miſeros, ſed fruſtra liberaſſe reſpondet, à vanis Numinibus opem quærerent, quibus *Jehovam* poſtpoſuerant. Inſtant Iſraelitæ, gemunt, lachrymantur, nec mora, profligatis aliarum Gentium Diis, Animi dolorem teſtantur. Demum venia iteratis precibus impetrata, Deus expediendæ Salutis rationem ſuggeſſit. Erat eo temporis *Jephta Geleadis* viri nobilis Filius, ſed ſpurius, quem Fratres objecto Matris dedecore, hæreditate ejecerant. Extorris ille, in agro *Tobi* cujuſdam agens, cum audacium Hominum turba, Ammonitas aggreſſus, ex eorum finibus opimam prædam abegerat. Hoc cognito, urbis Primores, revocatum exulem Exercitui præficiunt. Ille privatam infamiam publicæ ſaluti remittens, annuit, & ut nihil, niſi Dei cauſa, facturum ſe teſtaretur, votum nuncupat, ſe illud in holocauſtum oblaturum,

Jephta Decimus judex. A. M. 2817. A. Chr. 1187.

turum, quod parta victoria, primum occurreret. Antequam bellum moliretur, missis ad *Ammoniacum* Regem legatis, ut sua contentus ditione, alienis abstineret; cumque ille copiis fisus, ferro magis, quàm verbis contendere mallet, collatis signis concursum est.

XIV. *Jephta post victoriam votum temere factum morte filiæ adimplet.*

Victoria potitus Jephta, cùm domum reverteretur, filiam unicam obviam habet, tympanis, & Virginum choris, palmam Patri gratulaturam. Prolis aspectu, dolore perculsus, vestibus conscisis, ingemiscens, heu quàm lætum ac triste spectaculum mihi es ô filia! quàm me acerbius, quàm hostes affligis! Prima prodis, ut in sacris immoleris? An scis Deo te esse victimam? Tum indicato voto, facit loquendi copiam. Illa supra muliebrem animum erectior, Votum sanguine soluturum se pollicetur, Se vitam non morari, modo is haberet, qui Ammonitas in ejus manus tradiderat. Id solum Pater largiretur, ut bimestri spatio sodalium convictu frueretur, quo expleto ad Patrem reversa, in holocaustum mactatur. Sic Bello *Jephta* finem imposuit, pugnare doctior, quam vovere.

XV. *Ephraimitæ adversus Jephtam insurgentes ad vada Jordanis occiduntur.*

Interim Ephraimitæ seu livore, seu ira in *Jeptham* accensi, quòd sine illis in *Ammonitidas* expeditionem fecisset, ingenti cum strepitu copias suas in *Gileadem* ducunt, contemptum ulturi. Ille furentium animos verbis primùm demulcere conatur, Belli quidem aleam solum subiisse, sed

Deo

Deo urgente ac propitio. Sed illi cuiquam præter ſe victoriam tribui dedignati, ſuperbia intumeſcentes, principatum revocare minantur. *Jephta* coacto protinus exercitu, acie congreditur, ſublatis eo prælio duobus ſupra quadraginta Hoſtium millibus. Nam præreptо Jordanis vado, ne fugientes elaberentur, plurimi ſermone proditi perierunt. Gileaditæ enim, flumen trajecturis vocem *Schiboleth* pronuntiandam proponebant, quam conſonare Ephraimitæ impares, *Siboleth* vice Schiboleth efferebant, & ita proditi ad necem deſtinabantur. Moleſtus ſolœciſmus, qui tot Hominibus mortem intulit, ac tanto ſanguine vindicatus eſt.

XVI. *Poſt Jephtam Ebzon, Allon, Abdon judices ſequuntur.*

Jephta anno Ducatus ſui ſexto, fato functus, *Ebzonem* Bethlehemitam Judæum ſucceſſorem habuit, qui exacto tranquillis Rebus imperio, poſt ſeptennium diſceſſit. Ei præſidii loco, triginta filii erant, quibus Uxores domum ſuam intulerat, totidem generi, quibus triginta filias junxerat. Poſt *Ebzonem* Allon Zabulonita principatum aſſumpſit, cujus decenni ſpatio, nihil memoratu dignum Hiſtoria eloquitur. Alloni *Abdon* ſucceſſit ex Ephraimita tribu, Ehele genitus. Is nulla re memorabili inſignis, niſi quadraginta filiorum, & triginta Nepotum progenie, apud Poſteros nobilitatus. Annis octo præfecturam geſſit, ſeptuaginta Equitibus continuò ſtipatus.

Longo

XVII.

A. M. 2848. *Samſon naſciturus ab Angelo prædicitur matri.*

Longo otio adhuc degeneres *Iſraelitæ*, Palæſtinis à Deo conterendi traduntur, quorum jugo ſubditi, quadraginta annorum ſpatio gemuerunt. Per idem tempus *Samſon* Danita, mortalium fortiſſimus, ex eſſœta matre prodit. Miſſus enim cœlitùs Angelus, qui ei prolem polliceretur, præmonuit ne ortus puer immundo cibo veſceretur, vino & ſicera abſtineret, & ſola lympha falleret ſitim. Quoniam libertatis publicæ vindex, Hoſtiumque ultor futurus erat, *Samſon* nomen, quòd Robuſtum ſignificat, impoſitum. Primo juventæ flore vigens, in puellam in Palæſtinorum oppido, *Thimnatham* deperiit. Cumque ei ſibi conciliandæ profectus, à via tantillùm divertiſſet, obvium leonem, prædæ hiantem nudis manibus adortus, compreſſis faucibus diſcerpit, cadavere in proximum dumetum abjecto.

XVIII.

A. M. 2867. A. Chr. 1137. *Samſon Leone lacerato, detecta ab Uxore parabola, ſegetes Palæſtinorum comburit.*

Paucis poſt diebus, ad Leonem ſolus reverſus, ventrem Apum examine, melliſque favis refertum invenit; quod Sodalibus ſuis, parato ſponſæ convivio, Ænigma proponendi anſam præbuit: *Cibus ex comedente, & ex forti dulcedo erupit.* Palæſtini, quoniam nodum ſolventi præmium donabatur, enixè *Samſonis* uxorem expoſtulant, ut arcanum expiſcata proderet. Quod ubi tum precibus, tum lachrymis à marito extorſit, Juvenibus ſtatim palam fecit. Samſon perfidiam abominatus, domo egreditur, relicta apud Patrem conjuge. Illa contumeliam non ferens, ſtomachum

machum vicissim marito motura, fidem convivarum uni pacisçitur. Quo opprobrio adeò Samson exarsit, ut id totius Palæstinæ gentis ludibrio, ulturum se jactaret. Messis tunc agebatur triticea, falci opportuna. Ergo trecentis Vulpibus comparatis, earum caudis faces nodo adstringit, easque in Hostium agros immisit; quæ per maturas & aridas segetes sparsæ, flammas undique projiciunt, vineis etiam atque olivetis incendio corruptis.

XIX.

A. M. 2868. A. Chr. 1136. *Samson* 14. *Judex fractis funibus, quibus ligabatur, mille Palæstinos Asini maxilla prostravit.*

Palæstini clade commoti, magno tumultu, *Thimnæum* primùm, filiamque ultricibus flammis devovent, quorum injuriis ipsis calamitatem adsciviſſet. Dein Samsonem aggressi, diri incendii rationem expostulant. Ille de tardo supplicio queritur, quòd non Contumeliosis sibi, pœnas prius irrogassent, ac proinde alia ipsos mala manere, qui nisi coacti Ignem vindicem accendissent. Et extemplo illos ferro urgens, ingentem Equitum peditumque stragem edidit. Ergo injuriam plus æquo ultus, *Etham* Arcem Judeæ munitissimam, quo se à Palæstinorum insidiis tueretur, petit. Persequuntur illi, & duobus funibus vinctum à Judæis extorquent. Manus humi jacenti inferre conantibus, protinus in pedes, vinculis ruptis exsilit, & arrepta, teli vice, Asini mandibula, Armatorum legiones adortus, mille hostium cervices terit. Æstu autem sæviente, dum siccis faucibus, siti torquetur, Deo implorata ope, ex *Asini* maxilla, quam paulo

paulo ante abjecerat, fontem effluere videt, qua raptim ori admota, mirum in modum recreatus est. Sic eodem telo, quo adversarios exitio dederat, penè jam deficienti sibi salutem præstitit. Tanta Victoria Samson illustris, ducatum inter Israelitas nactus, jus viginti annis administravit.

XX.

A. M. circiter 2880. *Portas Gazæ urbis in montem defert.*

Annis aliquot à Victoria elapsis, *Samson* capta Palæstinos impugnandi ansa, *Gazam* Urbem ingreditur. Cives, re cognita, quoniam Hominem non vi aperta lacessere audebant, insidiis opprimere moliuntur. Magno silentio res agitur, ne indicio proditio innotesceret. Sed ille nocte concubia profecturus, ubi obseratas Urbis portas reperit, avulsis cùm postibus valvis, sublatas humeris in montem haud procul defert. Quo facinore, ita eos qui insidiis abeuntem excipere venerant, terruit, ut è latebris prorepere vererentur.

XXI.

A. M. circiter 2885. *Cognita fortitudinis causa per Dalilam, ab hostibus excæcatus Samson, eos demum una secum interemit.*

Sed qui tot Viros brachio prostraverat, à fœmina præ Animi imbecillate vincitur. Adeo difficile pudicus ut sit, qui corpore validus est. Samson Dalilæ meretricis amore captus, dum libidinem venatur, Hostium fit præda. Palæstini siquidem vitæ ejus insidiati, Dalilam auro, muneribus corrumpunt, ut in qua Corporis parte foret Amasii vigor proderet. Ille blandos hostilis amicæ rogatus diu eludens, demum ne ejus consuetudine privatus, amores suos contristaret, virtutem comis suis impli-

implicitam esse aperuit, se ab utero *Nazaræum*, ac proinde imbellem futurum, si capillitio destitueretur. His auditis Meretrix, in genua sua dormienti caput radit, mox accersitis Palæstinorum Principibus, jam viribus orbum tradidit. Hic magnificus Judex, Hic invictus Danita, qui Leones prostraverat, à *lupa* sternitur. Palæstini inermi ac imbecilli oculos effodiunt, dein compedibus injectis, vinctum, vilissimi Bruti instar, in Pistrinum detrudunt. Sic delusus Samson impudici amoris, temeratique Nazaræorum voti pœnas dedit. Sed postmodum coma repullulascente, redire & vires occœperant, quarum ipse jam conscius justæ ultionis tempus operiebatur. *Palæstinis* solemne erat, dum dies sacros agebant, *Samsonem* è pistrino accersitum in pompam producere: cumque die quodam Deo suo Dagoni sacra facerent, placuit post epulas, fervente vino, capto illudere. Accitus Samson extremum malorum ratus quod opprobrium ulcisci non posset; *Puerum* ducem rogat, ut ad Columnas, quibus Templum fulciebatur, ipsum duceret. Quibus admotus tantam vim adhibet, ut labefactatæ totius Ædificii ruinam traherent. Sic inter trophæa sua Samson mortuus, non de Hostibus inultus occubuit, anno ætatis quadragesimo, postquam annis viginti in Idololatras Dei vindictam exercuisset.

Ubi

XXII. A. M. 2848. A. Chr. 1156. *Helis Pontifex & 15. Judex iniquos filios non, ut decet, castigat.*

Ubi Samſon in vivis eſſe deſiit, *Helis* etſi ſummus Pontifex, in Judicem eligitur, primus ex *Ithamaris* ſtirpe, in id Honoris faſtigium evectus. Eo guburnante, haud damni exiguum paſſa eſt domi foriſque Reſpublica. Nam Senio jam gravior, & penè oculis orbus, Sacrorum miniſterium in *Hophnin* & *Pineham* filios tranſtulit. Qui paternæ Virtutis obliti, impii obſcœnique ganeones, omnia præter fas ac jus moliebantur. Non Hoſtiarum parte contenti, à ſacrificantibus munera exigebant, per vim auferentes, quod negabatur. Quod turpius erat, matronas Tabernaculi oſtio Religionis cauſa, adſtantes, aut ſtupro violabant, aut Pudicitiam mercabantur. *Helis* infamia, quæ in omnium ore erat, permotus, Filios levi increpatione caſtigat, ſed verberibus potiùs, quàm verbis corrigendos. Maluit enim indulgens Pater Deum à liberis ſuis, quàm à ſe liberos offendi.

XXIII. A. M. 2849. A. Chr. 1155. *Elcana Samuelem genuit, quem Domino offert. Is fuit 16. Judex Iſraelitarum.*

Inter hæc vigebat *Samuel*, apud Populum authoritate, apud Deum gratia. Huic *Elcana* de Levitarum gente Pater fuit, *Hanna* Mater, quæ longam ſterilitatem graviter ferens, prole à Deo petita, ſe voto obſtrinxiſſe fertur, in perpetuum donaturam, ſi marem ederet. Voti compos, Heli Sacerdoti puerum educandum tradidit, qui ſacris initiatus, Domino in Tabernaculo miniſtraret. Hebræis ea tempeſtate publici Vates deerant, quos in ambiguis Rebus conſulerent, nec Deo viſum

sum eorum Sacerdotum opera uti, qui se adeo impiè gesserant. Ergo *Samuelem* Ephebum adhuc juvenem secretorum fide dignatus, nocte inter Levitas sopore fessum compellat. Ille, ab Heli vocari se ratus, ad eum properat, mandatum excepturus. Negat *Helis* se appellasse, lectum repeteret. Cúmque id tertiò Samueli contigisset, Pontifex re percepta, eum à Deo accersiri monet, in promptu responsum denuo evocanti haberet. *Loquere Domine, tuus enim attendit servus.* Tum Dominus ad *Samuelem* locutus, *Helis* familiæ atrox ac dirum minatur, ob Filiorum impietatem, qui præter Sacerdotii dignitatem, quæstui inhiantes, iniquam mercedem ab immolantibus extorsissent. Juratus ergo denuntiat, nulla unquam Sacrificia, quæ tantopere deformarant, Helianæ domus piaculum deletura. Puero hæc manè recitanti, *Helis* non succensuit, Dei vindictam lubenter passus, qui ad ulciscendam Filiorum malitiam, officio defuerat.

A. M. 2861. Ætatis Samuelis, 12.

XXIV.

Samuel non uni modò Sacerdoti, sed universæ Hebræorum genti futura expedit. *Palæstini* enim, quorum jugum Israelitæ nuper excussérant, ad arma ruunt, perduellionem ulturi. Judæam ingressi, castra *Apheci* ponunt. Israelitæ instructa acie obviam pergunt; sed ab Hostibus victi, quatuor suorum millia desiderant. Cladem mirati, Viros denuò ad Arma cogunt, accersita *Silunte* fœderis arca, quam *Hophnis*

A. M. 2888. A. Chr. 1116. *Israelitæ cæduntur à Palæstinis, arca capta; Helis corruens occumbit.*

Hophnis & *Pinehas* pro munere ſequebantur. Hac in Caſtris ſummo cum clamore recepta, Palæſtinos adeò terruit, ut de fuga præcipites cogitarent. Nam quodnam foret contra Hebræos præſidium? Quæ vis adverſus Deos, ut aiebant, fortiſſimos, qui tot cladibus Ægyptiacam Gentem afflixerant? Demum mutuis exhortationibus animati, reſumunt animos, ac ſummo impetu concurrunt. Conflictu *Iſraelitæ* ſuccumbunt, triginta Millibus interfectis, capta *Arca*, Sacerdotibus etiam ferro datis. Interim obductis luminibus Pontifex, juxta viam in ſolio ſedebat, ex prælio nuntios excepturus: ubi de *Iſraelitarum* clade, cæde Filiorum, & Arca in Hoſtium poteſtatem redacta audiit, conſternatus, de ſede retrorſum lapſus, fracta cervice, animam exhalavit. Anno vitæ nonageſimo octavo, poſtquam quadraginta annorum ſpatio, judex populo præfuiſſet.

XXV. *Palæſtini Arcam aliquamdiu retentam remittunt cum donis.*

Palæſtini parta Victoria, ovantibus ſimiles, quam interceperant Arcam *Azotum* primò deferunt, ac in templo juxta *Dagonem* Idolum collocant, velut ſpolium *Jovi* Victori ſacrum. Sed ſimulachrum paulò poſt baſi excidens, humi proſternitur. Die poſtero, loco reſtitutum, denuo humi jacuit, capite truncatum, manuumque palmis in fani limine abjectis. Mox Deus in *Azotenſes* ſæviens, inguinum ægritudine, morbiſque ignominioſis percuſſit, muri-

muribus interim Finitimorum agros undique vexantibus. Malorum pertæsi, Dei Arcam *Gathum* transferunt, sed *Gathæi* confestim pestilentia, ac morbis ignotis correpti, exitialem hospitem ad *Ecronetas* amandant. Illi pari calamitate mulctati, patefacta jam causa, habito Sacerdotum consilio, remittendam ad Israelitas Arcam decernunt. Ergo plaustro imposita, hæmorrhoidis, muribusque aureis, quibus mala, quæ patiebantur indicarent, injectis, dimittitur. Mirum, quòd Vaccæ injuges, vitulis retentis, plaustro adjunctæ, citra ducem, rectà in *Bethsemesum* oppidum tetenderint, non pullorum affectu gradum remorante. Cujus rei prodigio, Palæstinorum proceres, usque ad Judeæ agros ex intervallo prosecuti, religiosa dona reponderunt.

XXVI. *Reducitur Arca in domum Abinadabi.*

Hebræi messibus prosternendis occupati, ut properantem ad se Dei Arcam conspexerunt, *Bethsemeso* certatim egressi, obviam læti procedunt, festinant, exiliunt, laudibusque Divinam Clementiam evehunt. Statim Levitæ, quibus id munus incumbebat, tignis vehiculi concisis, boves in holocaustum libant. Sed dum Israelitæ, qui ad spectaculum venerant, curiosiùs Religionis arcana rimantur, supra quinquaginta Hominum millia, secreto veneno necantur. His enim præceptum erat, ne sacra mysteria irreverentiùs attingerent, aut ea curiosiùs contemplati, profanis

fanis Hominibus impertirent. Idcirco ſuperſtites Incolæ, paris exitii timore correpti, Arcam in *Abinadabi*, pietatis opinione celebris ædes deſtinant, ubi *Levitæ* ſartam tectam annis viginti cuſtodierunt.

XXVII. *Iſraelitæ Duce Samuele Palæſtinos ſuperant.*

Samuel à Deo Jamdudum ad Hebræorum principatum deſignatus, quadraginta annorum Vir, ab iiſdem, adſtipulante Numine, Judex eligitur. Populus, ea tempeſtate, Palæſtinorum ſervitute coarctatus ingemiſcebat, ſalutis ſpe penitus abjecta. *Samuel* occaſionem nactus, ejus ſcelera memorat, ad pœnitentiam hortatur. Libertatem ambirent? *Baalas* atque *Aſtartas* veſana Numinis ludibria aſpernarentur, Jehovæ innixi, qui ſolus Cultores ſuos à Tyrannide vindicat. *Iſraelitæ* Vatis concione ad Deum converſi, Deum propitium illico experiuntur. Nam Palæſtini res novas ab Hebræis, qui Religionis cauſa, *Mizpæ* Benjamiticæ convenerant, agitari exiſtimantes, expeditis armis adhuc timidos invadunt, inermes adhuc & imparatos oppreſſuri. Periclitantibus Deus adfuit, nam cæſa priùs à Samuele Hoſtia, adeò Terra tremuit, ut vacillante veſtigio, Hoſtium plurimi in improviſos hiatus ruerent. Mox Deus horribili fragore intonans, ita Fulmine ac Imbribus in trepidos ferocit, ut profligati totam Spem in fuga ponerent. Iſraelitæ, *Samuele* Duce, confuſos perſecuti, cæſis plurimis, cæteros gravi clade deturbant. Sic fractis

Hoſtibus, nec ampliùs Vicinorum fines infeſtare auſis, *Samuel* rei judiciariæ intentus, totus litibus dirimendis, ſanandis Reipublicæ partibus occupatur. Ergo poſita in tuto ſuorum libertate, Aram Deo litandis victimis idoneam conſecrat. Id ipſi facere ubique licebat, quamdiu à Tabernaculo Arca Dei aberat, nec ullibi Templum extaret.

XXVIII. A. M. 2908. A. Chr. 1096. *Samuelis filiis ad Avaritiam declinantibus Populus ſibi Regem poſcit.*

Jam ætate confectus Samuel, judiciorum moleſtiis impar, *Joelem* & *Abiam* filios in extremis Judeæ finibus, muneri ſubſtituit. Privata fortè ambitione, honorem in familia relinquendi, jure hæreditario obtinendum. Patri degeneres Filii, pecuniarum avidi, cuncta auro diſtrahunt, Cauſarum æquitatem, Munerum magnitudine emenſi. Ita à Paternis Moribus alieni, ſic Populi animos averterunt, ut conditionem liberam ſpontaneo ſervitio mutare optarent. Hinc *Samuelem* aggreſſi Regem expoſtulant, qui aliarum gentium more, illis præficiatur. Dolore motus Senex, quòd Divinam gubernationem Regio nomini poſtponerent, Populum monuit, ne ſibi malum temerè accerſerent. Familiare quidem Gentibus Unius imperium, ſed jugum ſubditis eſſe, quis ignoret? Domi filii filiæque vobis ſunt; illos Rex aufert, ad currum, ad culinam damnandos. Non pecorum, non Seminum decimis contentus, ni & oliveta, vineas, agros Eunuchis donet. Denique libertatem, quam tantoperè

perè ducitis, amissuri estis, pro Servis imposterum habendi. Sed hæc surdis auribus Populus excepit, non periculis, non minis à proposito dimovendus. *Samueli* itaque responsa referenti, sinit Deus, ut Voti compotes, petitum Regem obtineant.

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Sextus.

De Hebræorum Regibus.

I.

A. M. 2909. cum Samuel à Morte Helis annos 21. cum dimidio præfuisset, *Respublica ad Reges translata. Saulus primus Rex creatur.*

EXtincta Hebræorum Republica, Judicumque Magistratu in Rege cedente, Horum primus *Saulus* ex Tribu Benjamnita, Patre *Cisho* genitus, divina voluntate eligitur. Vir animi modestus, Belli egregius, corporis forma insignis, ut cæteris suæ gentis humero tenus supereminere. A Patre ad Asinas, quæ Grege aberrarant, investigandas emissus, ad *Samuelem* Prophetam, qui *Videntis* nomine audiebat, famulo instigante, tetendit. Hic Hospitem attentis oculis conspicatus, non incolumes modò Asinas admonuit, sed & Populi salutem in manibus ejus sitam, verbo, dignum à Deo existimari, qui Gentis suæ cupidinem expleret. Nihil *Saulum* Domus suæ vilitatem causari juvit, Vates

olei lenticula in caput effusa, eum osculatus, Israelitarum Regem asseruit. Sacro unguento perfusus, ita subitò immutatus est, ut animum novum, regiasque virtutes indueret.

II. *Rege à Populo accepto Lex in libro scribitur.*

Samuel indicto Populi conventu, perstricta prius post tot Beneficia, Eorum ingratitudine, *Saulum* è latebris, ubi se absconderat, eductum in medium producit, ipsa statura Majestatem præseferentem. Populo sortem probante, uno ore inclamatur, *Vivat Rex.* Tum Propheta à Deo instructus, Principatus jura in libro describit, ut Rex nosset, quo amore Populum, & qua Populus reverentia, Regem prosequeretur.

III. *Saulus liberata Urbe ab obsidione, Ammonitas superat.*

Interim *Naasus* Ammonitarum Rex, *Jabesum* Gileadis oppidum obsidione cinxerat. Cives rebus diffisi, mandata se facturos promittunt, modò conventione pacta, securi de salute haberentur. Percussurum fœdus *Ammonita* respondit, si modo dextros sibi oculos erui sinerent. *Saulus* de Jabesensium calamitate per nuntios edoctus, coacto confestim exercitu, renuntiari Obsessis jubet, forti essent animo, ipsis brevi adfuturum pollicitus. Tum adjuncto sibi Samuele, recensitisque ad Jordanem fluvium copiis, tota nocte longum iter emensus, ante Solis ortum, quo destinarat, pervenit. Tum exercitum in tria agmina partitus, Hostes opinione sua securos, penè otio torpentes aggressus, oppressit. Devicti dissipatique *Ammonitæ* fugam

fugam capeſſunt, acſi nihil ipſis amplius virium ſupereſſet.

IV. *Parcit obtrectatoribus Saulus.*

Saulo Victore, Populus gaudio geſtiens, *Samuelem* adoritur, eos ad ſupplicium deposcens, qui Regem contemptui habitum, ſibi inutilem fore aſſeveraverant. *Saulus* laudato ſtudio, id ſe haud paſſurum affirmat, ut detractores famæ ſuæ pœna afficiantur. Nefarium, Diem illum ſuorum ſanguine polluere, quem tot Hoſtium cæde illuſtrem Deus voluerat. Samuel Populi affectum ſecutus, Saulum iterato oleo ſacro imbutum, Regem publicè denuntiat.

V. *Palæſtinis ad arma ruentibus, terrentur Iſraelitæ. Saulus holocauſtum offerens reprobatur.*

Anno à devictis Ammonitis elapſo, Rex tribus Satellitum millibus, quos in præſidium paraverat, partem *Jonathæ* filio, in Palæſtinos ducendam tradidit, qui vicinorum propugnaculorum præſidiarios opportunè adorſus, miſerè trucidavit, deleritque. Palæſtini contumelia indignati, ad arma involant, & adductis in aciem trecentis Peditum millibus, Equitum ſex, cum infinito propemodum falcatorum curruum numero, Caſtra *Machmaſi* metantur. Pavor Hebræos derepentè occupat, quî tantis viribus obſiſterent? Ubi Copiæ, quæ Hoſtes & odio & ferro validos oppugnent? Ergo de fuga magis, quàm de prælio ſolliciti, pars ſe agmini ſubtrahit, alii petitis ſpeluncis ac rupibus ſe tutantur. Conſultus à Saulo Propheta, victimas in promptu eſſe jubet, poſt ſeptem dies, ad immolandum venturo: At iis delapſis, cùm non adeſſet,

adeſſet, Holocauſtum Deo Rex obtulit. His ſuperveniens Samuel, Saulum acrioribus verbis excipit, quòd tempus conſtitutum haud moratus, ſacrificium præcipitaſſet. Rex id ſe neceſſitatis telo coactum feciſſe cauſatur, mora ingens periculum minante.

VI.

Jonathan cum armigero Palæſtinos diſperſit, ſecuta inde Victoria.

Palæſtini cùm nullos prodire *Iſraelitas*, quibuſcum manum conferrent, cernerent, emiſſis Militum turmis, longè latèque Judæam depopulati, prædas agunt, captivos abducunt, agris undique devaſtatis. Populus præter animorum abjectionem, qua ſe à Deo alienos, ob Regis delictum exiſtimabat, non enſes, non clypeos, non haſtas habebat. Ea Regione armorum Artificibus, Palæſtinorum ſtudio, deſtituta. *Jonathan* nihil armorum inopia, nihil ſuorum ſegnitie inertior, hoſtile præſidium, ſolo comite armigero adortus, tanto impetu irruit, ut viginti militum cæſis, reliqui audacia perterriti, in Caſtra evadunt, omnia pavore, quaſi tergum Hoſtis premeret, implentes. Tum Deo urgente, Palæſtini arma in ſeſe vertentes, mutuis mucronibus atterebant. Id ubi Saulus per exploratores novit, hortante *Abiha* Pontifice, exercitu prodire juſſo, in hoſtes cum impetu fertur. Qui acriter inter ſe confligentes aggreſſus, facilem victoriam obtinuit. Dum ſummo ardore fugientes perſequitur, diris eum mulctaſſe traditur, qui ſumpto ante Solis occubitum cibo, Victoriam remoraretur. Fortè *Jonathan* dum Sylvam Apibus refertam laſſus permearet, Virgam melligine intinctam,

ctam, ori, Paterni Edicti nescius, admovet, quo mirum in modum oblectatus est. De mandato monitus, Genitorem temeritatis arguit, quòd major foret Hostium cædes, si refocillatus victu Populus ad insequendum duceretur.

VII. *Jonathan ob gustatum mel ad mortem damnatus à Populo eripitur.*

Vindictæ adhuc litaturus Rex, Palæstinos nocte persequi parat; sed consultum hâc de re Numen conticuit. *Saulus* scelentium à Dei ira provenire ratus, offensam per sortes vestigari voluit. Sed jactæ in Filium incidunt. Ille nihil sibi conscire ait, ni fortè favo in Nemore reperto, nonnihil mellis, tincto spiculo, gustando peccasset. Tum Pater capite plectendum plenis buccis vociferatur. Mortem *Jonathan* afficeretur, ob cujus culpam Deus in reliquos excandesceret. Sed Populus Juvenem tam egregium, tantæ Victoriæ autorem, & cujus virtute, cæteri perverent, perire non passus, ab exitio eripuit. Igitur *Saulus* spoliis insignis, sexaginta Hostium Millibus interfectis, domum reversus, *Abnerem* patruelem Belli ducem constituit, omnibus, quos fortes experta fuerat, in hanc militiam adscriptis. Eorum virtute, non à Palæstinis modò Hebræos asseruit, sed adversus Ammonitas finitimos Hostes, Idumæos, Moabitas, Sobanos res plurimas feliciter gessit.

VIII. *Saulus missus ad delendos funditus Amalecitas, Regem, prædam reservat.*

Eo temporis spatio, *Samuel* à Domino instructus, Regem convenit, ejus verba denuntians, ut *Amalecitas* latrociniis infames, & qui olim Israelitas Ægypto profugos

fugos transitu arcuerant, armis invadat, hoc interdicto, ut toto exercitu internecione deleto, non ordini, non sexui, vel ætati parceret. Devotam esse exitio gentem, & ob scelera extinguendam. Saulus recensitis legionibus, hostilem terram irrumpit. Progredienti *Amalecitæ* in Valle occurrunt, quibus in fugam versis Rex instans, omnes ferro aufert. Regione in solitudinem redacta, Urbem primariam ingressus, ita *Agagi* Regis forma corporisque proceritate capitur, ut præcepti Divini immemor, sospitem servaret. Nec pretiosa perire passus, jumentis ac pecoribus in prædam abactis, vilissima dumtaxat ferro & igne consumpsit. Deus facto offensus, *Samuëlem* noctu monet pœnitere se, quòd *Saulum* Hebræis præfecisset, qui imperia sua pervicax non exsequeretur. Id ubi Regi Propheta retulit, Regnum à se brevi tollendum addidit, atque Viro meliori credendum. Hoc *Jehovæ* fixum immotumque esse, qui nunquam non constans, consiliorum pœnitere nesciret. *Saulus* errorem fassus, Prophetam ad castra, honoris causa, deducit, qui *Agagum* regio fastu purpuratum, ac delicato gressu incedentem conspicatus, ense adacto, ut Hostiam Deo mactatam in frusta discerpit.

IX.

A. M. 2934. A. Chr. 1070. *David abjecto Saulo in Regem ungitur.*

Post hæc, *Samuel*, Deo monente, olei sacri cornu instructus, Bethleemum proficiscitur, ubi libata Victima, accersitis *Jessaii* filiis, Davidem natu minimum, unguento

unguento imbutum Regno inaugura
Qualis autem is *David* fuerit, Codex sac
declarat, rubei coloris vultu Juvenem
Oculorum nitore, decoraque corpo
ſpecie conſpicuum. Ruri oves tunc pa
cebat, Cithara canere aſſuetus. Hunc De
ſecundum Cor ſuum nactus, prædicavit, pra
dicando elegit, eligendo arcana ejus ju
cia palam exhibuit. *David*, Saulo inſci
inunctus, ad Gregis cuſtodiam revertitu
Samuele Ramam iter inſtituente. Re
interim ſeu delictorum ſtimulis, ſeu fu
turi expectatione cruciato, de Medicor
conſilio, *David* pulſandæ Citharæ perit
evocatur, qui mœrentem oblectet, ſoll
citique animi angorem moderetur. Ta
tum Muſica valuit, ut plectrum movend
malum, quo exaſperabatur, ſpiritum pro
pelleret. Hinc juvenem Rex affectu con
plexus, ſibi Armigerum deſignavit.

X.

A. M. 2942. A. Chr. 1062. *Palæſtinis ad pugnam contra Iſraelitas congregatis, Goliathus à Davide vincitur.*

Eadem tempeſtate, bellum de nov
cum Palæſtinis exarſerat. Tot gentium
Victor *Saulus*, facile jam Judeæ fines o
cupantibus occurrit. Inſtructa in Mont
bus oppoſitis utrinque acie, *Goliathus* mi
ræ magnitudinis Gigas, ac cæteros æta
ſuæ homines Robore prætergreſſus, in me
dium prodibat, & Hebræos diris probri
inceſſens, ad Certamen ſingulare laceſſe
bat. Non tanto armorum apparatu opu
eſſe exclamans, rem duello confici poſſe,
ſi adverſarius adſit. Iiſdem verbis bis co
tidie uſus, Dei Populo inſultabat. Tum
Rex præmiis ſuorum animos tentans, D
vitias

vitias ei, filiæ connubium, immunemque ab oneribus domum pollicetur, qui Gigantem pugna proſterneret. Cúmque nemo cum immani Viro cominus conſligere auderet; Rem *David* auſus eſt, etiam tum Adoleſcens; Congreſſurus, non lorica, non galea uſus, ſed arma etiam regia Corpori inepta expertus, baculum accepit, quinque lapidibus in peram conjectis, funda inſtructus. Iis *Barbarum* in ſe irruentem aggreſſus, uno ictu in fronte percuſſum humi profligat, mox diſſecto ejus enſe jugulo, caput præſcidit. Palæſtini cæſum contemplati, terga protinus vertunt, quæ Victoriæ ſpes? ubi Exercitus robur, ubi propugnator unicus excidiſſet? *Hebræi* autem facto alacres, edito clamore, Caſtris erumpunt, & impetu in trepidos ruentes, ingenti ſtrage reſcindunt, ad ipſos *Gathi* muros perſecuti. Reverſi, direptis Hoſtium Tabernaculis, Davidem Goliathi caput præ ſe ferentem Abneri militiæ Duci offerunt, ad Regem deducendum.

XI. *Congratulantibus Victoriæ Iſraelitis, Saulis Davidi iraſcitur.*

Tam illuſtris Victoria, autori ſuo totius Populi Amorem comparavit, *Jonathæ* præſertim, qui tantam in Juvene virtutem admiratus, non potuit non benigno affectu complecti. Hinc eum pallio ac veſtibus ſuis indutum voluit, enſe baltheo circumcinctum, quò cuncta reddi Amicis communia teſtaretur. Mulieres quoque, honoris cauſa, cum tympanis cymbaliſque obviæ

obviæ Victoriam gratulantur, alternis sibi respondentes

Io triumphe: mille sunt Saulo *hostium,*
Cæsique decies mille Davidi *jacent.*

Cantione indignatus Rex, quòd Adolescenti decem interfectorum millia, sibi autem non nisi mille tribuerentur, casum inde suum, illiusque felicitatem interpretatus, suspectum habuit, non nisi inposterum malignis oculis intuitus. Adeo Principibus placere arduum est, sive officio feliciter fungaris, sive ab illo cesses. Nam *Sauli* animum adeo invidia acceperat, ut aliquanto post, atra bile correptus, Davidem citharæ nervos pellentem lancea bis peteret, parieti affixurus. Sed ille corporis flexu, ictum bis declinans, aula egressus, alio se recepit. Rex honoris specie, ut periculis exponeretur, militum Tribunum creat, negata autem Filia, quam Gigantis capite licitatus fuerat. Interim admonetur *Michalem* minorem natu Filiam, Davidis amore flagrare; an formæ merito commendati, an quòd sibi ex pacto regio ei conjugem deberi existimaret, incertum. Saulus ut promissum persolvere videretur, *Michalem* nova conditione despondet, si centum præputia ex Hostibus referret, hæc munerum nuptialium loco fore.

Con-

XII. *Michalem Uxorem David ducit, quam ducentis præputiis obtinuerat.*

Conditione accepta, nihil David cunctatus, Palæſtinos ſuis copiis aggreſſus, Regem ſperata cæde fruſtratus eſt. Nam propitium Numen hic, quemadmodum ubique expertus, ducentis cæſis, rem ex ſententia confecit. Ergo celebratis nuptiis, Virgo regia in Uxorem Victori data. Lancinante interim Invidia, *Sauli* odium gliſcebat, id malis inſitum, quos timent, averſari, & eos furore proſequi, à quibus ſe pari affectu impeti autumant. Itaque apud *Jonatham* filium, intimioreſque Amicos impigrè contendit, ut quem invitus Generum adſciverat, è medio tollerent. Sed *Jonathan* Davidi ab initio, neceſſitudine junctus, detecta Patris virulentia, receſſum ſuaſit, ſubtraheret ſe tantillum, donec furentis ira tepeſceret. Mox Davidis cauſam apud Regem agens, ut non moreretur, obtinuit; Paternæ authoritati intemeratam fidem ſimulationis incerto præferens. Eductus è latebris *David*, ac priſtinæ dignitati reſtitutus ad cytharam revertitur, Sauli rabiem modulamine deliniturus. Sed ut ſibi perverſi non conſtant, & ad tempus dumtaxat juſtitiam ſectantur, præſentem Rex non ferens, tertiò jaculo confodere conatur; ni fuga à lethali ictu ſe proripuiſſet.

XIII. A. M. 2944. A. Chr. 1060. *Aula egreſſus David apud Achiſium Regem dementiam ſimulat.*

Ergo ſe amplius Regi credere *David* veritus, ad Samuelem Prophetam evadit, à tot diſcriminum velut autore, conſilio ſublevandus. Satellitibus, qui latentem interciperent, à *Saulo* emiſſis, ad *Abimelechum* Pontificem ſe contulit, ubi fixum

erat eo tempore Tabernaculum, ex quo *Goliathi* enſe, qui poſt Ephodum aſſervabatur, aſſumpto, ad Palæſtinos profectus eſt; à quibus agnitus, Regi Achiſo ſiſtitur. Periculi, in quo verſabatur, conſcius, inſaniam ſimulat, ore ſaliva fœdè aſperſo, geſtibus ludicris, & corporis habitu ad œſtrum efficto. Iratus Rex, quòd mente captum ad ſe adduxiſſet, ejici imperat, conſultis, non autem amentibus ſibi opus eſſe teſtatus. Ergo Hoſtibus impunè ereptus, ad *Moabitas* gentem Saulo adverſam tranſit. Deus autem eum profano Populo gratiam debere non ferens, per *Gadum* Prophetam revocat. Davide in Judæam reverſo, Saulus in *Abimelechum* ira æſtuat, quòd viatico & armis perduellem (uti generum ſuum vocabat) juviſſet. Huic protinus accerſito, injici manus in eum imperat. *Doegus* Paſtorum regiorum præpoſitus, qui innocentem detulerat, cum nemo in Dei miniſtrum impetum facere auderet, Carnificis munere functus, Pontificem unà cum octoginta quinque Sacerdotibus, gladio extinxit. Unico ſalvo *Abiathare* Abimelechi filio, qui ad Davidem, erepto Ephodo, incolumis effugit.

XIV. *David à Saulo Palæſtinorum irruptione liberatur.*

A. M. 2945. A. Chr. 1059.

Interea David aſſertis priùs à Palæſtinorum ſervitio *Ceilanis*, in Judeæ deſertum profectus, Montem *Hachilam*, natura firmatum, cum ſexcentis militibus occupaverat, dum Saulus re cognitâ, illum eò perſecutus, Petræ latus præripit, loci anguſtias

gustias arrogare molitus. Sed *David* iis relictis, ad alterum montis latus delapsus, pervenerat quidem, sed undique militibus circumfusus. Non pugnandi, non evadendi locus erat, cùm præcipiti cursu Nuntius adest; *Palæstinos* in Judæam irrupisse vociferatus, nec nisi festinatione abductos captivos posse eripi. Nuntio Rex indignatus, quid opus facto hæsit; demum publicos Hostes, quàm privato litare odio satius ratus, opem suis ferre statuit. Ita periculo liberatus *David*, in solitudinem *Engeddi* se contulit.

XV. *David in spelunca latitans Sauli persequentis oram Chlamydis abscindit.*

Saulus ab Expeditione reversus, Desertum sibi notum petit, tribus armatorum millibus stipatus, lustratis Rupibus, montiumque jugis, quæ non nisi capreis pervia videbantur. Sed *David* montibus delapsus, se in profundo specu abdiderat, cuivis patenti, quo securiùs lateret. Hunc fortè *Saulus* ventri exonerando solus ingressus, à *David* deprehenditur, ad quem tacitè accedens, pallii fimbriam præscidit; Sodalibus iratis, quòd opportunitate usus, capitalem Hostem non interemisset. Sed debitum sibi Imperium usurpare distulit, quod Deo authore, sibi deberi nosceret. Tum Regem antro exeuntem, modico intervallo, David secutus, sua in eum officia memorat, ut pro ejus salute, vitam in discrimen sæpius adduxisset, in suas manus tradito peperciſſet, cui necem adferre potuerat. Ad hæc *Saulus*, culpa agnita, in fletum prorumpit, Filium vocat, Pietatem

ejus extollit, quòd ipſum malè machinantem beneficio affeciſſet. Quantum à ſeipſo ferociente ac veſano mutatus? Quis crederet adverſus Generum quicquam impoſterum moliturum? David tamen perſpecto Hominis ingenio, non ſe ampliùs Aulæ credere auſus, in Deſerto *Pharis* ſe continuit, ad quem oppreſſus quiſque velut ad commune refugium, Injuriarumque vindicem confluebat.

XVI.

A. M. 2947. A. Chr. 1057. *Samuel Propheta moritur.*

Ea tempeſtate, Samuel Propheta, deceſſit, anno vitæ ſeptuageſimo ſeptimo. Vir ad omnem bonitatem compoſitus. Uti æqui Judex, ita Judicum omnium æquiſſimus. Ab omni Avaritiæ ſuſpicione liber, ſanctè Rempublicam adminiſtravit. Populo gratus, Regi formidabilis. Tantum ejus integritati tributum, ut tota Hebræorum Gens *Ramæ* accerſita, extinctum deflevit, honorifico tumulo donavit. Nec vero diſſentaneum, ut quem Rex viventem tantopere timuerat, cultu mortuum proſequeretur.

XVII.

David Nabali victum neganti mortem minatus, Abigailis verbis placatur.

David in ſolitudine à Sauli invidia remotus, Legioni, quam ſecum habebat, alendæ intentus, decem milites ad *Nabalem* Maone ditiſſimum, ſed moribus agreſtem amandat, qui in ſervatarum ovium mercedem, eſcas poſceret. *Nabal* Nuntios dedignatus, cibos quidem paraſſe reſpondet, ſed non ignotis Eremi incolis, non Erronibus, qui Dominos fugerent. Convitia David non tulit, & in vindictam præceps, cum militum turba, ad *Nabalem* ca-

caſtigandum pergebat, cùm *Abigailis* Uxor, & ſpecie, & judicii vi inſignis, furenti occurrit, Aſinis panes ducentos, Oves quinque, duos Vini utres portantibus. Supplicum more proſtrata, Conjugis noxam remitteret, depoſcit. Quid enim ab eo ſani, qui ſtultitiam ipſo nomine præſeferret? Ejus ira indignum, invilem homunculum exacerbari. Ejus ſaltem meminiſſet, cujus opera Nabal eſſet à tanto flagitio revocatus.

XVIII. *Nabale defuncto, Abigailem in Uxorem David ducit.*

David mulieris prudentiam admiratus, muneribus acceptis, domum incolumem remiſit. Reverſa, ubi quæ ſibi contigerant, recitaſſet, maritus ita periculo perculſus eſt, ut tantum non in ſaxum rigens, poſt dies decem languore extinctus eſt. David *Jehovæ* de juſtitia gratulatus, Nuntios miſit, qui *Abigailem* jam conjugis jugo ſolutam Uxorem peterent. Illa ſe indignam præfata, quæ tanti Viri pedes ablueret, cùm famulitio tamen Nuntios ſecuta eſt, Uxoriſque loco habita, hunc honorem tum ob bonos mores, tum ob corporis venuſtatem conſecuta. Alteram Uxorem David huic ſuperinduxit *Abinoamam*, ex Jezeere oriundam. *Michale* jamdudum *Palti Laiſi* filio à Saulo elocata, quo Davidem dedecore moveret, ejuſque affinitatem horrere videretur.

XIX. *David à Ziphæis proditus haſtam & ſcyphum Saulo dormienti abſtulit.*

Paucis interjectis diebus, Saulus Davidem in proxima ſolitudine verſari à *Ziphæis* edoctus, eò ſe cum triplici lectiſſimorum militum turma contulit. David

Regis adventu per exploratores cognito, *Abiſaio* Sororis ſuæ filio, & *Abimelech Chettæo* comitatus, hoſtilia caſtra noctu penetrat. Omnibus altè dormientibus, Lanceam ad Regis caput humi defixam, unà cum lechyto aquali ſuſtulit. Mox egreſſus, Jordane trajecto, è montis vertice *Abnerem* Exercitus ducem alta voce compellat, malæ fidei milites arguens, quòd ſomno ſepulti, Regis curam neglexiſſent. Ubi ſpeculum Regium, inquit; ubi Aquæ ſcyphus? exitio certè digni, qui corporis ejus Cuſtodes ſopore ſalutem ipſius proderent. *Saulus* voce Davidem agnoſcens, ingratitudinem ſuam teſtatus, errorem damnat; abiret filius incolumis, longo ævo dignus, qui cùm Socerum ſibi inimicum in poteſtate haberet, per inſignem animi moderationem, vitæ ejus pepercisſet.

XX.

A. M. 2949.
A. Chr. 1055.
David in Palæſtinam profugus, Achiſæo fidem pollicetur.

David alibi quàm in Judæa tutius ſibi fore ratus, extra dementis Regis telum, in Palæſtinam confugit. *Achiſeus* Rex anſam redintegrandi cum Iſraelitis bellum nactus, conſcriptis copiis, Davidem quoque, in Judeæ confinio hærentem cum ſuis evocat, opportunum ulciſcendi tempus adeſſe præfatus. Inferret ingrato Regi ſigna, qui liberatorem Patriæ ojus, vitæ non deſiſteret inſidiari. *Saulis* horum gnarus, exercitum conflat, caſtra in monte *Gilboa* metatus. Ex eo conſpecta Inimicorum acie, terrore derepente horruit, neſcio quid mali præſagiens. Belli even-

eventum noſcendi avidus, Dominum conſulit, at illo ſilente, Artes ſecretas advocat. Mutatis enim veſtibus, fatidicam mulierem *Endone* convenit, quæ evocatis Samuelis manibus, brevi ſe ad tumulum devocandum intelligit, Exercitui pernicie-em imminere, atque ſe poſtero die Regno exuendum. Rex umbra territus, virium lapſu, humum corruit, nec niſi ægrè refocillatus in caſtra rediit.

XXI. *Amalecitæ qui Ziclagum incenderant à Davide intercipiuntur in fuga.*

Palæſtini luſtratis copiis, *Davidem* dubiæ fidei ſuſpectum ab acie removent, atque *Ziclagum*, honoris cauſa, tanquam præſidium remittunt: Davidis rebus Dei providentia conſulente. Nam *Amalecitæ*, occaſione Belli Judaici capta, Urbem diruerant, utraque ejus Uxore abducta, cæteriſque commilitonum Conjugibus ac liberis præda abactis. David animi impos, conſulto primùm per *Abiatharem* numine, aſſumptis Militum ſexcentis, hoſtium veſtigiis hæret; per herbam fuſos, genialiterque convivantes ſub veſperam aſſecutus, facilè inermes, & potationibus intentos obruit. Omnibus peditibus penè cæſis, non niſi quadringenti, incitatis Camelis evaſerunt. *David* ingenti præda potitus, iter remenſus, velut triumphator in Urbem rediit.

XXII. *Saulus cum filiis in prælio cæſus.*

Super his, conſerto inter Palæſtinos ac Iſraelitas prælio, Palæſtini ſuperiores, *Jonatham*, *Abinadabum* & *Melchiſuam* tres Sauli filios, poſt inſigne certamen ſternunt. Saulus ex vulnere equo delapſus,

perſpecto, in quo verſabatur, diſcrimine, ne vivus in Hoſtium poteſtatem veniret, gladio ſe trajecit. Palæſtini caſtra rimantes, agnito Regis Corpore, armis detractis præſcindunt, quo in Dagonis templo affixo, truncum ſimul cùm filiorum cadaveribus crucibus appoſuerunt. *Gabeſnenſes* autem rem indignam rati, tantos Viros exequiarum honore fraudari, armis inſtructi *Bethſanam* petunt, & detracta ex ejus mœnibus corpora, ne probro deinde afficerentur, flammis committunt, oſſibus ſub arbore conſpicua ſepulchro illatis. Sic periit tyrannus, Hebræorum Regum primus, à *Samuele* quidem inunctus, ſed à Deo quodammodo invito extortus. Impletis per Samuelis umbram minis, manu propria interit, judicio ſuo damnatus. Annis decem & octo, vivente Samuele, eo extincto, viginti regnavit.

XXIII. A. M. 2949. A. Chr. 1055. *Qui Saulum ſe interfeciſſe dixerat, à Davide occidi jubetur.*

David ab Amalecitarum cæde redux, prælii exitum ſollicitus expectabat, cùm nuntius adeſt, veſte diſſecta, caput cinere ſparſus, ingentem luctum præſeferens. Quid nuntij adferret interrogatus, acto in fugam exercitu, *Saulum* & *Jonathanem* occubuiſſe refert. Sibi cognita narrare. E monte Gilboa fugienti, Regem jam jam mortem ſibi lancea accerſentem occurriſſe, vulneribus autem debilem, cum ſibi manus inferre non poſſet, impenſè rogatum, brevem vitæ uſuram ſuſtuliſſe. In facti argumentum, Diadema, armillaſque aureas Davidi offerebat. Ille facinus abominatus,

minatus, Nuntium ad ſupplicium rapi imperat, quòd Jehovæ Chriſto animam extinguere auſus eſſet. Sic mors mendacio præmium fuit, & reverà interemptus eſt, qui neci Regem dediſſe finxerat.

XXIV. *David Hebrone in Regem ungitur.*

Saulo igitur ſublato, *David* ſexcentis triginta quinque annis, poſt Patriarchæ *Jacobi* vaticinium, Regno potitur. Deo conſulto, Hebronem Judeæ oppidum profectus, oleo ſacro illinitus, Rex nuncupatus eſt, tunc annum ætatis agens trigeſimum. Collaudata *Jabeſhenſium* fide, quòd defunctum Saulum à Palæſtinorum ludibrio vindicaſſent, fauſta illis omnia per legatos apprecatus, opem ſuam promiſit.

XXV. *Abnero Iſbo-ſethum ſubſtituente pugnatur.*

Imperii primordia *Abnerus* Saulinæ militiæ Dux turbavit, dum *Iſboſethum* ſolum ex Sauli filiis ſuperſtitem Regno deſtinat. Parent Iſraelitæ, Judæis dumtaxat exceptis. Nec David *Iſboſetho* Dominationem eripere conatur; Dei munus expectare malens, quam vi ſubducere. *Abnerus* Judæis iratus, quòd *Davidi* cervices ſubmiſiſſent, in Judæam cum electiſſimo milite irrumpit. Populanti, & omnia igne ac ferro vaſtanti *Joabus* à Davide miſſus occurrit, explicata ad lacum *Gibeonis* acie. Commiſſo prælio, *Abnerus* ſuccubuit, ſuis in fugam conjectis. *Aſael* Joabi frater, pedum pernicitate inſignis, rectà Abnerum inſecutus, dum vim fugienti inferre parat, ab eodem bis admonitus, ut perſequi deſineret, haſta tranſverberatus interimitur. Superveniens *Joabus*, interfecti

fecti fratris ira concitus, Abnerum uſque ad Solis occaſum perſecutus eſt. Trecentis & ſexaginta Hoſtium deſideratis.

XXVI. *Abnerus à Joabo poſt fœdus cum Davide initum occiditur.*

Isboſethus autem ignavam domi vitam agens, ſolius Abneri virtute inniti videbatur. Apud eum inſimulatus, quòd *Rispe* quondam Sauli Concubinæ conſuetudine uteretur, ob id objurgatus ita efferbuit, ut operam ac ſtudium ſuum *Isboſetho* objiciens, ſe ad Davidis partes tranſlaturum minaretur. Et ut ſermonem re firmaret, nuntiis imprimis rem agens, tum pactis conditionibus, ut *Michalem* Sauli filiam, quamvis alteri marito traditam ſecum adduceret, cum viginti fermè comitibus ad *Davidem* profectus eſt. A quo tum ſua, tum *Michalis* cauſa comiter acceptus, convivio per aliquot dies excipitur. Demum votorum compos, ad Iſraelitas concitandos, tradendumque Exercitum, Davide conſcio, abierat, cùm *Joabus*, devictis Hoſtibus præda onuſtus revertitur. Cognito Abnerum adfuiſſe, atque icto fœdere, ad Regni Negotia à Rege emiſſum, invidia amens infremuit: & Davidem increpare, & Abnerum calumniis aggredi auſus. Quid! Exploratorem magni duceret, capitalemque adverſarium vitæ ſuæ inſidiantem complecteretur? His dictis aula egreſſus, clam amandat, qui Abnerum, omiſſæ rei prætextu revocent. Parentem illico, & intrepidè redeuntem obviam habet *Joabus*, tum à comitibus abductum, velut ſecretius cùm eo collocuturus,

turus, educto mucrone per ilia trajicit. Vulgo jactatum, Abnerum ob *Aſaelis* necem periiſſe, ſed revera in Joabi æmulationem atrox ſcelus refundendum, dum anxiè veretur, ne ſibi Abnerus militiæ præfecturam præriperet.

XXVII. *David execratur factum: amarè Abneri mortem deflet.*

David audito ſcelere, acerbo dolore percitus, diris Homicidam devovet, ipſi, familiæque ejus Lepram, Podagram, Paralyſim, omniaque Morborum genera precatus, erectis deinde in cœlum luminibus, Deum teſtatur, ſe hujus noxæ expertem eſſe, & eò impenſius, quo immanis flagitii ſuſpicionem amoliretur, Exequias ſolemnes fieri imperat, quas ipſe cum Regni primoribus proſecutus eſt. Carmine etiam à ſe compoſito incidi ſaxum jubet, quòd ipſe primus ad ſepulchrum cecinit.

Heu! Abnere jaces: ſed non quo more ſceleſti;
Nulla manus religant vincula, nulla pedes.
Candida credulitas nocuit tibi; perfidioſa
Inſidiatorum proditione jaces.

Quò verum dolorem impenſiùs *David* teſtaretur, omni cibo, eo die, abſtinuit; Abneri etiam Amicis ſervatam ad extremum fidem probantibus.

XXVIII. A. M. 2956. A. Chr. 1048. *Baana & Rechabus ob interfectum Iſboſethum plectuntur.*

Abneri necem *Iſboſethi* mors propediem ſecuta: *Rechabus* enim & *Baana* militum Tribuni, rem ſe gratam Davidi facturos rati, ſi Sauli filiorum reliquum de medio tollerent,

tollerent, Frumentariorum veſte indutis *Iſboſethi* domum penetrantes, ſolum, ac ſomno gravem nacti obtruncant. Præciſum Caput, itinere tota nocte ſuſcepto, *Hebronem* deferunt. *David* viſo capite, præmii vice, mortem Tribunis interminatur, quod Virum innocuum, & in ædibus quietum interemiſſent, ergo ſatellites impetum facere juſſi, ambos enſe adimunt, præciſis manibus ac pedibus ad piſcinam ſuſpenſis. Ingrata Regibus Principum cædes, nec ferenda videbatur, quæ in exemplum adducta, cæteris damno eſſe poterat. *Iſboſethi* caput ſummo honore exceptum, in *Abneri* Ducis monumento conditum eſt.

XXIX. *Relicto Hebrone, David Hieroſolymis, Sionis arce capta, inhabitat.*

Saulo Rege, *Abnero* duce, *Iſboſetho* hærede extinctis, nihil *Davidis* Principatum morari videbatur. Nam *Mephiboſethus* Jonathanis filius, quamvis ex Regia ſtirpe, puer adhuc, ac pede brevis, velut imperio ineptus, à Dominatione arcebatur. Octavo igitur Regni anno, Hebræorum omnium conſenſu, Imperium nactus, ſancito cum eis fœdere, tertiò regali unguento perfunditur. Quoniam verò, tot regendis Populis *Hebron* minus opportuna videbatur, *Hieroſolymas* tranſmigrare placuit, Urbem in Benjamiticæ Tribus confiniis ſitam, dignam Rege ſedem. Fecialibus præmiſſis, qui deditionem expoſcerent, *Jebuſæi* Sionis arce, inhoſpitiſque ſaxis nixi, feciales primùm ludibrio affectos admonent, Urbem claudorum cæcorumque

rumque præſidio teneri, quos ni *David* tolleret, ſedibuſque amoliretur, nihil de ea metuere; quam tot ſeculis, ſpreti illi ab Hébræis Dii incolumem præſtitiſſent. Et certè magnæ operæ res videbatur, ob edita mœnia, inacceſſoſque undique aggeres. *David* tamen ad id audendum ſtimulis irritatus, Militum animos præmiis excitat, eum fore totius exercitus Ducem, qui per ſubjectam vallem in propugnaculum elapſus, orba luminibus Numina inde detraheret. *Joabus* retinendæ dignitatis cupidine accenſus, primus Arce conſcenſa, cæteris aditum patefecit. Rex occupatam Arcem habitavit, Imperiique caput conſtituit. Quam poſthac plurimis ædificiis auctam, nomine ſuo *Davidis Civitatem* deſignavit.

XXX. *Palæſtini bis in prælio à Davide proſtrati.*

Palæſtini, turbatis inter Iſraelitas rebus, diu armis abſtinuere. Nam cur Hoſtes ferro infeſtarent, qui ſuis ſe viribus atterebant? Cognito autem *Davidem* omnium votis Principatum obtinuiſſe, intermiſſum Bellum repetere moliuntur. Dii fictiles, tanquam Victoriæ ſponſores præferebantur, copiis in valle Rephaïorum explicatis. *David* oraculum ſciſcitatus, & à Deo impetum facere juſſus, Hoſtes facilè fudit fugavitque. Proſtrata jacebant Numina, quibus etſi pedes adeſſent, ad fugam tamen facultas deerat. Palæſtini victos ſe, Patriæque Diis flamma crematis indignati, Belli reliquias, novis agminibus additis, inſtaurant. *David* à Deo monitus, ne directa

directa in Hostem acie irrueret, sed in circuitum ducta, donec homines tanquam in arboribus discurrentes audiret, hoc enim veluti Tubæ sono excitatus, vim in inimicos faceret. David monitis obtemperans, Palæstinos secundis præliis repulsos superavit. Mox fugientium tergis hærens, ingentem illis cladem intulit.

XXXI. A. M. 2959. A. Chr. 1045. *Reducente Arcam David, Uzza occisus. Hinc apud Obed-Edomum relicta.*

Pace demum bello obtentâ, Religionis restituendæ, quæ Sauli temporibus penè extincta erat, *Davidis* studium fuit. Accommodo enim Hierosolymis loco, Divini fœderis arcam, ex *Kiriath-Jearæorum* oppido, in quo annis pene quinquaginta latuerat, traducere statuit. Quare accitis totius Regni primoribus, vas sacrum vehiculo impositum, jumentis trahitur, *Abii* Abinadabi filio viam prænonstrante. Cujus frater *Uzza*, dum iis titubantibus, arcam vacillare cerneret, manu oppositâ sublevare conatur, inopinata morte corripitur; Offenso Numine, quòd rei sacræ manum admovisset. *David* Divinam indignationem reveritus, ne rem fortè temerè suscepisset, Arcam Sionem deducere non est ausus. Memoriam subibat quinquaginta millium Hominum pernicies, quos Contempta Religio Orco demiserat. Igitur Vas Sacrum apud *Obed-Edomum* Levitam, notæ sanctitatis virum relinquere visum est, donec institutum à Deo devehendi ritum nosceret.

Sic

XXXII. *David Arcam Jerosolymas deducens ab Uxore irridetur.*

Sic Obed-Edomo, ob pignoris ſacri præſentiam Deus favit, ut in omnium ore felicitas ejus verſaretur, Rex piè invidus, hanc ſibi Proſperitatem conciliaturus, nobile Tabernaculum in *Sione* extruit, quo depoſitum ſervaretur: Quo peracto, coacto iterum univerſa Hebræorum gente, Levitas Arcam humeris imponere jubet, ſtridentibus Tubis, vocum cantu, tota vicinia obſtrepente. Dum Sacerdotes modulato carmine, Dei laudes cantunt, Rex Ephodo lineo cinctus, ad inſtrumentorum numeros totis viribus ſaltabat, nihil Regia Majeſtate indignum ratus, quo veneratiónem erga Jehovam patefaceret. Pompa ſolemnis ibat, Civitatiſque portas ingrediebatur, quum *Michal* Uxor, feneſtræ aſſidens, *Davidem* conſpicit tripudia ante Arcam facientem. Animum concuſſit rei inſolentia, à Rege alienum exiſtimans choros ducere. Quare peractis ceremoniis domum reverſo, ſaltationem Mulier exprobrat, quòd ſe morionem inſignem præſtitiſſet, Servis Ancilliſque illudendum. Senſit aculeum Rex, Siccine, inquit, Devotionis ludos damnas? Sic Pietatem ſpernis? Scito me non Tibi, non Ancillis, non mortalium cuiquam placere animum fuiſſe, ſed *Jehovæ* ſoli, qui me etſi vilem genitori tuo præpoſuit, & abjecta progenie tua, *Jeſſaii* filium non eſt dedignatus, qui Subjectis ejus præeſſet. Eſt Dominatio abjectionis meæ præmium, & quoniam infimum me exhibui, ſceptro potior.

An

An hoc Tibi moleſtum, Minorem experieris, ſi neceſſitas adfuerit. Non enim me Ancillarum ludibria terrent, quæ majoris me facient, ubi me ſaltatione Deum venerari noverint, & Regum maximo chorum agere. Non impune abiit Michalis convitium, Inſignis formæ mulier infœcunditatis probro damnata eſt.

XXXIII. A. M. 2960. A. Chr. 1044. *Templum quod David ædificare conſtituerat, Solomoni reſervatur.*

Rex Religioni propagandæ intentus, *Levitas* inſtituit, qui Divinis rebus, coram Arca operam darent. *Aſaphum* imprimis, Mox alios ei affinitate conjunctos, qui Temporum conſilia, reſque actas monumentis traderent. Sed longa quiete velut domi deſes, de extruenda Dei æde cogitat; Deus autem hac ſuper re per *Nathanem* prophetam conſultus, reſponſum dat, non Davidi, ſed filio ejus hanc gloriam reſervari, cujus ſemini ſolium perpetuum ac ſtabile erat pollicitus.

XXXIV. *David multarum gentium Victor.*

Ne autem otio Rex domi torperet, aliud in benigni Numinis honorem auſus, Palæſtinos antiquos Hebraici nominis Hoſtes invadit, unico prælio penitus contritos. Urbe *Gatho*, quæ Judæis potiſſimum adverſabatur, direpta, in *Moabitas* Bellum traducit, quibus etiam levi opera deletis, infimæ plebi dumtaxat parcitum eſt, quæ Agros coleret, tributumque quotannis conferret. *Syriam* ſubinde ingreſſus, totam uno prælio domuit; & impoſito Victis ſtipendio, magnam Auri, Argenti, ac Æris vim retulit. Hæc Hieroſolymas depor-

deportata, Deo tanquam Victoriarum authori velut trophæa eriguntur.

XXXV. *Quantum pietatis Jonathanis filio exhibuerit.*

Inter hæc *David* neceſſitudinis, quam cum *Jonathane* contraxerat, memor, ſciſcitatus num quis forte ex Amici genere ſupereſſet, cui Gratiam conferre poſſet, *Sibæ* Sauli quondam ſervi indicio, *Mephibo ſethus* Jonathanis filius, pede claudus adducitur, quem Vultu dimiſſo, & ſuis rebus diffidentem complexus David, bono animo eſſe jubet, cui benefacere Mens erat, non nocere. Itaque avitam cum omnibus prædiis domum haberet, menſæ Regiæ accumberet, nunquam conſpectu ejus amotus. Adoleſcenti gratias pro muneribus agenti, Sibam Villicum conſtituit, qui cum quindecim filiis, ac ſervis viginti, quos alebat, agros coleret, remiſſis Hieroſolymas reditibus annuis.

XXXVI. A. M. 2967. A. Chr. 1037. *Ammonitæ, qui Davidis legatos injuria affecerant, ſemel ac iterum profligantur.*

Uti domi, ſic foris Rex gratitudinem teſtatus eſt. *Nahaſo* enim Ammonitarum Rege defuncto, (is Davidem à Saulo fugatum hoſpitio receperat) legatos ad Filium miſit, qui fatum lugerent, Amicitiam ſubinde renovaturi. *Ammonitæ* peſſimè legationem interpretati, nuntios primò ludibrio habitis, contumeliam adjungunt; Barbarum media parte abraſa, & veſtibus natium tenus præciſis. Re nuntiata, Rex adeò exarſit, ut aſcitis confeſtim copiis ultionem moliretur. Injuriæ conſcii *Ammonitæ*, conductis in auxilium Syris, Belli vicem expectant: ſed priuſquam exercitum inſtruere commodè poſ-

sent; Rex *Joabum* Hostium tentamina occupare jubet; quod ut exequeretur, divisa acie, maximam ejus partem in Syros duxit, reliqua *Abisaio* fratri tradita, quæ *Ammonitas* propugnaret. Collatis manibus, Syri, quod ad Israelitas circumveniendos Ammonitæ conduxerant, non diu impetum sustinuere, sed subito pavore correpti, dum fugam parant, ingenti strage perimuntur. Id conspicati *Ammonitæ*, terga quoque vertunt, vicinis arcibus se tuituri. Tum *Joabus* Urbibus cingendis inassuetus, Hierosolymas redit. Quo cognito, Syrorum Rex, vocatis de novo ad arma militibus, castra *Helami* traduxit. Israelitæ pari eos facilitate fundunt, quadraginta millibus cæsis, curribus autem septingentis captis. Demum Syri viribus fracti, legatione ad Davidem facta, deditionem sui faciunt, nec multo post, Ammonitarum Gens ejusdem jugum æquo animo pertulit.

XXXVII. A. M. 2969. A. Chr. 1035. *Commisso Adulterio, David Homicidium adjungit.*

Rex igitur in otium solutus, Hierosolymis agebat, dum vergente jam die, somno experrectus, è Regiæ solario, *Bathsebam*, *Uriæ* centurionis uxorem, insignis speciei fœminam videt, se proluentem. Ejus amore subito correptus, cohibere se non potuit, quin accersitæ struprum inferret, Legis Dei oblitus. *Bathseba* domum reversa, ubi gravidam se experta est, Davidi nuntiat. Nihil tunc consultius visum, quàm *Uriam* castris evocare, qui Regiæ proli parentem se præstet. Sed cùm ille neque à Rege demissus, nec multo vino tinctus, ad voluptatem domesticam adigi potest,

poteſt, Rem *David* alio pacto aggrediendam ratus, *Joabum* litteris monet, ut *Uriam* tanquam Majeſtatis reum iniquo pugnæ loco, Hoſtibus opponeret, ubi à ſuis deſtitutus, *Ammonitarum* telis occumberet. Rex Uriæ mortem, efficto in mœrorem vultu accepit, errori vertens, quòd *Joabus* aperto Marte, citra Machinarum ſubſidia, Urbem aggreſſus eſſet. Cæterum dato brevi luctui temporis ſpatio, *Bathſebam* jam viduam in connubii fœdus aſſumpſit.

XXXVIII. A. M. 2970. A. Chr. 1034. *Ob peccatum multa Nathan Davidi minatur.*

Non tamen id impune: Nam ad Regem *Nathan* Propheta, à Deo miſſus, ſcelus, quod tectum exiſtimabat, prodit, opulenti Hominis parabola reconditum; qui cùm armentis gregibuſque abundaret, lautius Hoſpites excepturus, Pauperculo agnam, quæ illi unica, & maximè chara erat, abſtulit, gregibus ſuis intactis. Davide tale auſum damnante, *Vates* ex ejus ore, ſententiam contra ipſum extorſit, qui *Uriam* Ammonitis trucidandum objecerat, ut ejus uxore potiretur. At non ea diu impunè potiturus. His verbis conſternatus Rex, errore agnito, ſe in Deum deliquiſſe, cum gemitu fatetur. Afflictum *Nathan* conſpicatus, remiſſum eſſe ſcelus denuntiat, quoniam verò ſpreto Numine, ejus Hoſtibus Religionem calumniandi, copiam feciſſet, Filium ex furtivo concubitu editum, brevi extinctum iri, conſtuprandas ab aliis uxores, gladio, quo Uriam ſuſtulerat, ejus familiam jugiter infeſtante.

ſtante. David iratum Deum flexurus, ſe humi, mutatis veſtibus abjicit, omni cibo abſtemius. Ubi autem famulorum ſuſurris, infantem vita conceſſiſſe ſuſpicatus eſt, Terra aſſurgens, corpore uncto, regios ornatus aſſumpſit. Mox adorato in Tabernaculo Numine, extenuatum corpus cibo refecit, cætera pro more executus.

XXXIX. *Salomone nato David Ammonitarum Urbem capit.*

Poſt annum, filium alterum ex Bathſeba tulit, quem *Nathane* Propheta admonente, *Salomonem* nominavit, ei Imperium ſe relicturum, tanquam hæredi, fidem Bathſebæ obſtrinxit. *Joabo* in Rabba Ammonitarum urbe expugnanda, aquis fortè impedientibus, diutiùs hærente, eò David ingentes copias duxit. Qua capta, Regium diadema, talento grave Capiti impoſuit. Viris omnibus ſupplicio excruciatis, inſignem prædam nactus, Hieroſolymas tranſtulit. Quot ærumnas peperit Conſilii temeritas? Tota Ammonitarum gente, ob paucorum iracundiam, qui Davidis legationem ad contumeliam arripuerant, penè extincta.

XL. *Amnon ſororem ſtupro temerat.*

Interim ex variis Uxoribus complures liberos David ſuſceperat. Ex Ahinoama Jezreelitide *Amnonem*: ex Abigaile *Danielem*; Ex Maacha, Thalmaii Regis Gerſuri filia *Abſalomum*, & ſororem ejus *Thalmaram*: Ex Haggitha *Adoniam*: Ex Abitale *Sephatiam*: Ex Egla *Ithreamum*: Ex Bathſeba *Salomonem*. Filiorum natu maximus Amnon, Sororem Thamaram præſtantis formæ Virginem, improbo amore proſequebatur: Libidine amens, cùm nihil ſpei pudicam obtinendi effulgeret, aſtu rem aggreditur. Effecto morbo, à patre

tre *Thamaram* obtinet, quæ ſibi pulmentum paret, ſuoque colloquio infirmitatem moderetur. Remotis arbitris, ubi ſolam nactus eſt, Amorem profeſſus, ut ſui copiam faceret, allicit: ſed obluctanti, atque injuriam improperanti, Libidinis œſtro percitus, vi facta, ſtuprum infert. Scelere commiſſo, ubi ardor deferbuit, cupita voluptate offenſus, non minori odio conſtrupratam ſororem, quàm antehac, amore inſectatur. Nam ſuo conſpectu jam ſe præripere jubet, cujus conſpectu frui tantopere ambierat. Imo accerſito famulo, ut poſt emiſſam, fores obſeret, mandat. *Thamara* & ſtupro, & contemptu exacerbata, domo proſiliit, lacera veſte, impoſito capiti cinere, per mediam Urbem lamentata, ad *Abſalomi* fratris uterini ædes tendit. Ille factum ſuſpicatus, bono eſſe animo jubet, adfore aliquando ultionis tempus. Se interim vitiatam celaret, cùm in eo facinore paternæ familiæ dignitas ageretur. Nec ipſe Fratri crimen unquam objecit, quod citra Sororis probrum, fieri non poſſe cerneret. *David* etſi turpe Domui ſuæ dedecus inuſtum eſſe ſentiret, non tamen à Filio inceſtus pœnas exegit, ſummo Mortalium Judici caſtigandum relinquens.

XLI.

A. M. 2972. A. Chr. 1032. *Abſalomus fratrem Amnonem ob inceſtum cum Thamara ſorore occidit.*

Thamara interim domi tabeſcens, jugerat fratri temeratæ pudicitiæ monumentum. Biennio autem elapſo, vindictæ locum præbuit gregis tonſura, & ſolenne pro more convivium. Ad id Rex ab *Abſalomo*

ſalomo vocatus, menſæ onera cauſatus, venire abnuit, nec niſi importunis precibus, ut *Amnon* adeſſet, impetratum. Fratribus hilariuſcule epulantibus, *Abſalomus* famulos in Amnonem tunc vino gravatum irruere, ac vitam temulento eripere jubet, nihil metuerent, quos Authoris poteſtas ſecuros redderet. Sic inter Dapes ille interimitur, qui effræni amore arſerat, & licita voluptate non fruitur, qui illicitam ambierat. Pavor fratres cæteros occupat, qui ſibi metuentes, mulis correptis, Hieroſolymas verſus properant. Sed Fama iis velocior ad Regem pertulerat, totam familiam una clade extinctam. Hinc luctus, clamor, lacrymæ, veſtiumque diſſectio, donec Regia Soboles, paſſu præcipiti, aulam ingreſſa, ſe ſalvam exhibuit. Non tamen hic luctus finis: His fratrem, Rege trucidatum fœdè filium deplorantibus. *Abſalomus* fuga ſaluti conſulens, ad maternum Avum, *Geſſuri* Dynaſtam fugit, ubi tres annos moratus: haud dubius de patris gratia, quamprimum ira deflagraret.

XLII.

A. M. 2977. A. Chr. 1027. *Joabus Mulieris ſolertia Abſalomum ab exilio revocari curat.*

Nec *Abſalomi* animum ſuſpicio fefellit, quippe vix annis tribus tranſactis, *David* qui unius filii interitum defleverat, alterius exilio moveri cœpit. Quorſum tanta in Abſalomum ſævitia? In quid perpetuus pro *Amnonis* jactura dolor, ſi lachrymis revocari non poteſt? Quid! Uno flagitio ambos filios amittere in fatis eſt? *Joabus* perſpecto Regis animo, ſolertem fœminam allegat, quæ habitu lugubri Regem adorta,

ſe

ſe duorum filiorum fuiſſe Matrem dixit, qui inter ſe vexati, alter alterum interfeciſſet, Regem igitur precabatur, ut quoniam perempti Affines, ſuperſtitem ad cædem expoſcunt, quo hæreditate potiantur, ſaluti ejus proſpiceret, ne Senectutis ſolatio orbaretur. Ubi Regem ſibi propitium muliere experta eſt, perſonam exuta, *Abſalomum* populo Iſraelitico reſtitui poſtulat, quem Deus non morte multavit, ſed fugam largitus, quo evaderet. Regis animum cogitatio ſubit, hujus technæ *Joabum* eſſe Authorem, & id Anicula fatente, accito Joabo, annuere ſe dixit, optatum aſſecutus *Abſalomum*, tutò in aulam reduceret. Sed Hieroſolymis reverſus, intra privatos parietes ſe continere jubetur. Id enim principibus ſolemne, ne quam conferunt gratiam projicere videantur potiùs, quàm diſpenſare. Nam clementiam juſtitia temperant, ut cæteri metu in officio contineantur.

XLIII.

A. M. 2980. A. Chr. 1024. *Conciliato Patre, mox populo, Abſalomus, adverſus Patrem conjurat.*

Poſt bienne exilium, grave Abſalomo videbatur Hieroſolymis, ceu ergaſtulo morari. Accerſito igitur *Joabo*, de vitæ ſtatu queritur, quòd apud ſuos, & in paterna Civitate, extorris ageret. Nunquam genitorem, inquit, adire licebit? Subit adhuc patrati ſceleris memoria? Si ita, æquiori animo me à Carnifice tolli patiar, quàm à patris aſpectu diutius prohiberi. Hæc ubi per *Joabum* David excepit, affectu delinitus, Filium in curiam vocari jubet, & in genua provolutum Ulnis complectitur,

oſculo ſalutat. Ille non tam de Regis conſpectu, quàm de regno obtinendo ſollicitus, ingenti equitatu comparato, currus & aurigas inſtruit, quinquaginta Satellitibus, qui anteirent, armatis. Provectæ jam ætatis Rex, cùm remiſſius fortè publicis judiciis operam daret, primo manè, foribus, quæ ad judiciale forum patebant, *Abſalomus* adſtabat, quemque ex qua Tribu, & quo ex Oppido advenirent, percunctatus; Singulis opem pollicitus, geſtibus quoque adulabatur. Si quis transeuntem venerabatur, eundem *Abſalomus* in brachia fovens, oſculo dignabatur.

XLIV. *Abſalomus aſcito in concilium Achitophele, Rex ſalutatur.*

Sic dominandi cupidus, omnium Affectibus inſidiatus, incautum populum velut occultè devinciebat. Ne quid autem temerè aggrederetur, *Achitophelem* in conſiliis adhibet, aſtutum ingenio Virum, & à cujus ore, velut ab Oraculo populus pendebat. Eo quoque David uſus erat, priuſquam animi mobilitate, ad Filium ejus tranſiiſſet. Ejus monitis *Abſalomus*, Hebronem Religionis ſpecie, impetrata à patre venia, proficiſcitur, vota, quæ in exilio conceperat, ſoluturus. Sed revera ut *Davide* depulſo, Imperium nanciſceretur. Ducentos Civium principes ſecum Hieroſolymis adduxit, non tam ſceleris conſcios, quàm teſtes. Iis enim comitibus, majorem ſuis cœptis authoritatem conciliatum iri exiſtimabat. Nec mora, ſacrificio peracto, à Fœderatorum turba, Rex conſalutatur. Diſperſis ſubinde per omnes Tribus

Explo-

Exploratoribus, qui Tubarum clangore, *Abſalomum* Regem nuntiarent.

XLV.

Egreſſus Solyma David Huſaium remittit, qui Achitophelis conſilium diſſipet.

Conjuratione Hieroſolymas perlata, adeò David territus eſt, ut illic non diutius hærendum eſſe duceret, ne præceps *Abſalomus*, ſui cauſa, cunctantes opprimeret. Ergo tota multitudo (præter decem pellices ad ædium cuſtodiam relictas) extra Urbem effuſa, *Cedronem* fluvium pertranſierat, cùm prætorianæ cohortes, cum ſexcentis ex Galheníi ditione Advenis, qua feſtinatione poſſunt, profugo auxiliatum adveniunt. Adſunt cum *Arca* Levitici, de Dei voluntate, Regem certiorem facturi. Eam autem in Tabernaculum reduci David, voluit, Sacerdotibus ei in Civitate ſubſidio futuris ad detegenda Hoſtium molimina. Montem Olivetum *David* petiturus, funeſto more, capite velato, pedibus nudis gradiebatur, dum *Achitophelem* diſcit, in Abſalomi partes, mutatis ſtudiis, tranſiiſſe. Vaferrimi Hominis ſolertiam veritus, Deo ſupplicat, ut irritos ejus conatus redderet, alienata ab ejus conſiliis *Abſalomi* mente. In iis adhuc erat, cùm *Huſaius* conſilio inſignis, & inter Hebræos nobiliſſimus, ſciſſo amictu, & capite cineribus aſperſo, eveſtigio occurrit, Regi conſiliis opitulaturus. Hunc in Urbem ablegare viſum, qui partium ſtudium mentitus, operam ſuam *Abſalomo* promittat, ſed perpetuo *Achitopheli* adverſus, conſiliorum arcana, ſibi per Sacerdotum filios, prodat. Sic fore ut ſibi uſui, aliàs autem non niſi oneri futurus.

Regi

XLVI. A. M. 2981. A. Chr. 1023. *Shimeius audet Regem convitiis aggredi, quem ne comites castigent, Rex impedit.*

Regi tantillum progresso *Shimeius* Gerræ filius, Saulo cognatione conjunctus, obviam procedit, qui licet militibus stipatum, calumniis, maledictisque lacerare ausus est. Nam in montis latere incedens, tanquam loci opportunitate securus, sævum, impium, ac scelestum vocitans, saxis, ac cespitibus adoriebatur, jubens ut Saulino sanguine tinctus, Regionis finibus excederet. Comitibus ad indignationem concitatis, *Abishaius* ingenio fervidus, ulciscì injuriam voluit, sic inquit, vilissimus canis in Dominum latratum edit? Dabit illico nefarius pœnas. Impetum Rex prohibuit, quid si Deo authore, Deo jubente, *Shimeius* convicietur? Iniquum, quòd Benjaminita, & Sauli tribulis, probris me incesset, cùm & filius meus pietatis immemor, genitori perniciem moliatur? Sinite peccata mea improperio castigari; Deo cedere, vindictæ species est, qui cum lubitum fuerit, ærumnas meas miseratione dignabitur. Ergo neglecto convitiatore, cœptum iter emensi, ad *Jordanem* deferuntur, ubi nuntios expectare conventum erat.

XLVII. *Absalomo Hierosolymas ingredienti Husaius occurrit.*

Interim *Absalomus* velut triumphum agens, Hierosolymas, *Achitophele* comite, ingreditur. Adfuit & inter Salutantes *Husaius*, novo principi Regni diuturnitatem precatus, desertum Patrem causatus, quòd ita Deo visum sit, ut Regem novum veneraretur. Se quidem olim Patri fidelem operam præstitisse, eandem & ipsius nato præstare paratum, si id ei gratum vide-

videretur. *Abſalomus* nihil fraudis ſuſpicatus, Virum quem ſagacem longo uſu noverat, in Senatorum collegium cooptavit.

XLVIII. *Huſaius Achitophelis conſilium diſſipat.*

Inito poſtmodum Conſilio, quì interceptum vi Imperium retineretur, *Achitophelì* placuit, ut Concubinis, quas in Aula David reliquerat, *Abſalomus* congrederetur; exacerbatis hac contumelia animis, fore ut populus, præcluſa Reconciliationis ſpe, ipſi firmius adhæreat, armaque contra offenſum intrepidè capeſſat. Nihil moratur Ambitio, & impietati familiaris, non Dei leges, non Gentium jura, non fas curat. Pellicibus Regiis, populo ſpectante, quod vaticinatus Nathan fuerat, inceſtu pollutis, de Belli ratione conſulitur. Author fuit *Achitophel*, coacta electiſſimorum Militum turma, Davidem noctu opprimere, quem ſciret in vicina Eremo occultari, paucarum Copiarum Ducem. In id vir non minus bello ferox, quàm ſolers ingenio, operam ſuam pollicebatur. *Huſaius*, probè proſpiciens, in quod diſcrimen aſtuti Hominis Machinatio, eſſet Regem conjectura, ni id conſilio ſuo averteret; *Achitophelis* ſententiæ adverſari conſtituit. Notam omnibus Davidis fortitudinem prædicat, notas militum vires, quorum pauci ingentes Hoſtium cuneos ſæpe fuderunt. Sic bello exercitatos opprimi quis putet? Quid ſi Rex Dux præſtantiſſimus, valle occupata, aut poſt rupem deliteſcens, impetu facto, primam aciem noſtram obtundat, cæteris pedem referre coactis? Illis

animo

animo, noſtris pavore incuſſo, imperii ſpes brevi corruet. Igitur Regni vires primò colligerentur, quarum multitudine, ubicumque ſe David exhiberet, circumfunderetur. Nam quid contra tot copias, exigua Hominum manus? Quòd ſi intra alicujus Urbis muros ſe tueatur, vix militum ſingulis lapis ſufficiet, è propugnaculis eruendus. Miſſa Achitophelis ſententia, in *Huſaii* opinionem diſceſſum eſt.

XLIX. *Spreto conſilio ſuo Achitophel ſe ſuſpendit.*

Dum viri undique ad arma ſuſcitantur, David gravi periculo, *Huſaii* induſtria, ereptus, bello præparando tempus aſſequitur. Ne verò in aliud Abſalomus iret, veritus ne cum ſuis noctu opprimeretur, Jordane protinus tranſvecto, *Mahanaim* Urbem munitiſſimam petiit. Interea *Achitophel*, ſe ab Abſalomo, poſtpoſito ejus conſilio, neglectum indignatus, Domum reverſus, laqueò animæ viam clauſit. Dignum proditore ſtipendium, ut qui promiſſam Domino fidem violarat, guttur funè eliderer.

L. *Inter Davidis exercitum & Abſalomi pugna. Abſalomus quercu pendens, a Joabo transfoditur.*

Abſalomus demum ingenti exercitu concitato, Jordane amne trajecto, propè oppidum Gileaditis, caſtra poſuit, Amaſa ſobrino ſuo, tantæ multitudinis Ductore. *David* etſi viribus multo inferior, exercitum in tria agmina partitus, unum *Joabo*, alterum *Abiſhaio*, tertium *Ittaio* tradidit, procinctis copiis, Tribunos, centurioneſque monuit, ut juveni Abſalomo, ſi vinceretur, ſui Senis gratia parcerent. Prælio inito, præclara utrimque edita virtutis facinora. His ut Regem ſceptro redderent,

iſtis

Iſtis, ne ab eo Filius amoveretur, quidvis contemnentibus; donec Davidici, cæſis viginti prope millibus, cæteros ad fugam cogerent. Effuſos proſequebantur, cum *Abſalomus* vivus intercipi metuens, mula regia vectus, concitato curſu ferebatur, ubi ventilata cæſarie, quam perdecoram habebat, prominenti Arboris ramo illigatum, præteriens mula reliquit. *Joabus* de caſu edoctus, duce milite, eò loci properat, & cruenta dextra, tribus jaculis in cor adactis pendulum confodit. Per Cor enim trajicitur, quo ſceleſta conſilia fuerat contra Patrem machinatus. Detractum Arbore corpus, & in profundum hiatum projectum, Joabi armigeri, lapidibus congeſtis onerant, velut à mortuo parricidialis conatus pœnas exigentes. Perduellium Duce extincto, *Joabus* ſanguini parcendum ratus, receptui cecinit, ſuoſque à popularibus perſequendis revocat.

II. *Audita Abſalomi morte David præter modum lamentatur.*

Confecto intra paucas horas prælio, *Cuſhi* Æthiops à Joabo Manahain mittitur, læta omnia Regi nuntiaturus. Is Abſalomi morte comperta, animo lapſus, in lacrymas, ac queſtus effunditur, ne quid regiæ majeſtati lugendo decederet, editiora urbis petens, ita lamentabatur: *Fili mi Abſalome, mi Fili, mi Abſalome Fili,* cur mihi tecum, aut vice tui mortem oppetere non licuit? Tantam pietatem quis non in patre miretur, qui etiam pro parricida, morti occumbere exoptat, memor pietatis, offenſæ immemor. Exercitus intellecto Regis

gis dolore, quasi ab Hostibus fugiisset, clanculum in Urbem subrepit. Alto ubique silentio, nihil gaudii, ac si Absalomo Victoria, non mors contigisset. Cæterùm cùm gemere Rex non desineret, ad eum *Joabus* ingressus, objurgatione, ac minis mœrorem excutere satagit. Quid! Vicisse tuos grave est? inquit. An te periculo defunctum doles? Spes erat, ut Hostibus devictis, *Jehovæ* gratias, nobis beneficium rependeres. E diverso, quasi Salutem tuam cruentassent milites, pudore eos afficis: Filium desles, sed quem! incestu, parricidio, perduellione infamem. Adhuc lacrymas à te extorquet, equuleo dignus? Fortè eos, qui te odio persequuntur, diligendos ducis, odio autem habendos, qui fide obsequium testantur? Procul à te hæc in adversarios clementia, in Amicos sævitia. Te militibus vultu alacri exhibe; Aliàs Regem alterum creabimus nos, qui omnibus præmia æquiùs referet. *David* satius insolentiam pati, quàm contumeliis repellere ratus, subdito obsecutus, simulato dolore, se conspiciendum in porta præbuit, magis exporrecta fronte, quàm animo.

LII. *David Joabi verbis commotus, suos conspiratores conciliat.*

Dum hæc ultra Jordanem geruntur, *Israelitas* pudebat à Rege defecisse. Occurrebat invicti Ducis prudentia, qua gentem suam ab Hostibus, præsertim Palæstinis defendisset. Revocandum igitur existimabant, quem citra crimen, deserere non possent. Soli *Judæi*, torpere videbantur, fortè quòd

pro

pro *Abſalomo* ferventiores, patris indignationem verebantur. Non tergiverſationis cauſa Davidem latuit. Miſſis *Zadoco*, & *Abiathare* ſacerdotibus, gratiam pollicetur, utrò accederent, qui primi in Regem, eum elegerant, primi in Urbem reducendum comitarentur. Quò omnem diffidentiæ locum tolleret, *Amaſam* Abſalomici exercitus Ducem, pro cognato, pro Sororis filio agnovit: eundemque *Joabi* præfecturæ ſubſtituit. Id conſultò faciendum ratus, quo *Joabi* ferociam reprimeret, & Amaſæ omnibus grati, opera, populus ad officium faciliùs revocaretur. Hac Legatione illecti Judæi, reditu ei una voce decreto, de obſequio per nuntios, Regem certiorem faciunt.

LIII. *Shimeio veniam deprecanti ignoſcit David.*

Davidi Hieroſolymas reverſuro præſtò ſunt *Judæi*, ad alteram Jordanis ripam, in obſequium parati. His immixtus erat *Shimeius* conviciator, mille Benjaminitis ſecum adductis. In genua provoluto, & Regis iram deprecanti, *Abiſhaius* injecturus erat manus, ni Rex prohibuiſſet, non à cæde ſe Regnum auſpicari velle teſtatus, principis eſſe injurias condonare, non ulciſci.

LIV. *Joabus Amaſam, quem exercitui præfectum David conſtituerat, interficit.*

Judæi Davidem jam *Gilgalem* proſecuti, deduxerant, cùm ſupervenientes Iſraelitæ magno tumultu queruntur, quòd ipſis abſentibus, Regi occurrere ſola Judæa Tribus auſa ſit, cùm id de omnium conſenſu fieri debuiſſet. Factum *Judæi* tuebantur, aiebantque ſui juris eſſe, Tribulem ſuum, & cognatione devinctum, ferventioribus ſtudiis

ſtudiis proſequi. *Sheba* Bichri ex Benjaminitica tribu filius, Turbarum amans, Seditionis anſam nactus, clangente tuba, Iſraelitas in concionem vocatos, ad defectionem hortatus, quibus nihil cum *Davide* Jeſſaï filio intercederet. David Hieroſolymas deductus, pellicibus, quos ſtupraverat *Abſalomus* (iis enim non amplius Rex uſus eſt) in cuſtodiam datis, *Amaſam*, Joabo neglecto, jubet collectis copiis, Shebam incunctanter perſequi, ne forte intercepta Arce, aliud negotium perduellis faceſſat. Joabus, arrepta ſibi præfectura, amens, *Amaſæ* agmina contra *Shebam* ducenti occurrit, quem ſalutaturus, ut acceſſit, gladium è vagina delabi ex induſtria paſſus, mox reſumpto, ceu deoſculaturus, manu altera, barbam prehendens, latus improviſo ictu perfodit, Iliis per vulnus prorumpentibus. Sic recepto, quem geſſerat, principatu, ad proditorem debellandum perrexit. Audito autem in *Abela*, Urbe munitiſſima, civibus ad arma incitatis, occludi, eandem exercitu ſepſit. Vallo terra oppleto, ad mœnia diruenda accedentem mulier compellat, civitatiſque libertatem, *Shebæ* capite, ſtatim è muris dejiciendo paciſcitur. Quo facto, *Joabus* ſigno receptui dato, copias demiſit, incruenta victoria contentus.

LV.

A. M. 2983.
A. Chr. 1021.

Immiſſa propter Sauli peccatum fame, ejus Nepotes cruci affiguntur.

Jam triennis fames *Iſraelitas* afflixerat, quam à Deo emiſſa, mejus pertinacia teſtabatur. Davidi tanti mali cauſam, ac remedium ex oraculo ſciſcitanti, reſponſum eſt

eſt, id Sauli in Gibeonitas ſævitia contigiſſe, hancque ſuorum ſanguine eluendam. Accerſitis *Gibeonitis*, quæritur, quî commiſſum in eos ſcelus, expiari vellent; Reponunt, non ære, argento, aurove eſſe redimendum, cæde cædem delendam. Septem ipſis, ex Sauli ſanguinaria progenie traderentur, qui in *Gibea* ſuſpenſi, iratum numen placarent. Nihil moratus Rex, duos Sauli ex *Rizpa* pellice filios, & ſeptem ex *Meraba* Michalis ſorore, nepotes comprehenſos, cruci affigendos tradidit, qui tamdiu in monte pependerunt, donec imbre cœlitùs demiſſo, Terra ad priſtinam fœcunditatem rediiſſet. Tum repetitæ à *Jabeſentibus* Sauli & Jonathanis reliquiæ, ſepulturæ honorem adipiſcuntur, conditis propè ſuſpenſorum Corporum oſſibus.

LVI. *Palæſtini denuo victi jugo ſe ſubmittunt.*

Vicinorum Principum odia defeciſſe eo temporis videbantur, cùm *Palæſtini* nondum perfectè ſubacti, novum Bellum moliuntur. Davidem enim tot inteſtinis motibus obtritum facilè ſuperatum iri ſpondebant. Collatis ſignis, *Iſbibenobus* de Gigantum ſtirpe, Regem facie agnitum, & à ſuis remotum adortus, haud ægre interfecturum ſe ſperabat; ſed occurrens Abiſhaius, tantùm non ferientem occupans, trucidavit. Variis ſubinde prælis victi cæſique Palæſtini, jugum capeſſunt.

LVII. *David ob dinumeratum Populum caſtigandus, peſtem è tribus malis elegit.*

Igitur tumultu domi compoſito, Hoſtibuſque Bello domitis, *David* in ſumma pace Regnum incolebat; dum inertem &

faſtu intumeſcentem cupido inceſſit, Imperii vires metiri, Populumque in numerum redigere. Id *Joabus*, id cæteri Duces in mandatis habuere; qui Regionibus variis peragratis, ultra ſedecies centena Hominum millia repererunt, Fœminis, Peuris, Senibus prætermiſſis, aut etiam Adoleſcentibus, quibus nondum ætas militaris erat. Verùm, David errore agnito, pœnituit, & dolori incumbens, à Deo veniam precatur, quòd ex Subditorum multitudine potiùs, quàm ex ejus favore, Regni potentiam exiſtimaſſet. Dignam autem ſceleri pœnam haud avertere potuit. *Gaddus* Propheta, ad eum delegatus, Dei verbis arbitrium dat, ex trino malo alterum eligendi; triennem famem, triduanam peſtem, aut trium menſium ab inclementi Hoſte, fugam. David eligendi difficultate implicitus, cùm reſponſionem Vates urgeret, Peſtem aliis duobus prætulit. Nam animo volvens, quod nihil ſibi fame eſſet periculi, granariis undique frumento refertis: neque in fugam poſſe ſe verti ratus, quòd munitiſſima propugnacula, circumſtanteſque cohortes haberet, *Peſtem*, malum Regnantibus æquè ac Subditis commune, optavit.

I.VIII.
A. M. 2987.
A. Chr. 1017.
Septuaginta millibus lue peremptis, pelli ceſſationem David rogat.

Optione per Vatem, ad Deum delata, lues per omnes Hebræos graſſata, ſeptuaginta Virorum millia ademit. David Angelum Hieroſolymis nudo enſe imminentem contemplatus, ingenti timore con-

cuſſus

cussus est. Ergo sacco indutus, voluto humi corpore, Deum precatur, ut jam defunctis contentus, cæteris indulgeret. Reversus ad Regem *Gaddus*, placatum esse Jehovam denuntiat. Quare Ara in loco, in quo *Genium* conspexerat, extructa, victimas immolaret, velut reconciliati sibi Numinis monumentum.

LIX. *Davidem senio confectum Abisaga calefacit.*

David tot Dei beneficiorum memor, oppidò in extruendo ejus Templo intentus, lignum cedrinum, æs, ferrum comparat. Ne illud autem conderet, vetuit Deus, ob cædes commissas, & effusam humani Sanguinis copiam. Id *Solomoni* filio, tranquillo Regi, ac Pacifico reservandum. Hinc eum allocutus David, forti esse animo jubet, nihilque rerum humanarum pertimescere. Mox senio gravis, attritoque laboribus corpore, decubuit; cumque membris penè rigentibus, non Vestium lana, non lectorum plumis calefieret; de Medicorum consilio, *Abisaga* Sunamitis evocatur, egregiæ speciei puella, quæ vitali æstu debilem exsucci Senis animam retineret.

LX. *Adonia Regnum occupante, Bethseba Nathanis consilio, impetrat à Davide ungi Solomonem.*

Adonias post Absalomi discessum, natu maximus, Solomoni principatum tanquam sibi naturæ jure debitum, surripere aggreditur. Curru enim composito, pedibusque quinquaginta (Regium satellitium erat) qui sequerentur, institutis, se Populo conspiciendum exhibet. Mox *Joabo* Imperatore, & *Abiathare* Pontifice in consilium ascitis, conspirationem incipit. *Nathan*

than Propheta Bethſebam actorum admonet, ingeritque perniciem ab Adonia imminere, ni ſibi Filioque maturè conſulat, Regem èveſtigio adiret, præceptis ſuis inſtructa. Thalamum ingreſſa, poplite flexo, Regem affata, promiſſi memoriam refricat, à ſe Solomonem delectum, qui in Imperio ſuccederet; *Adoniam* autem dominandi libidine, ſceptrum arripuiſſe, ipſo inſcio, Populo vacillante, & ipſa cum Filio in certum vitæ diſcrimen, jam jam ruitura, ni confeſtim Principem à Deo Iſraeliticæ genti deſtinatum efferat. Hæc adhuc loquente, *Nathan* ex condicto interveniens, eadem apud Regem diſſerit. Quibus ille permotus, quod antea Numen teſtatus promiſerat, ratum habet. Abiret *Nathan*, & *Zadoco* Sacerdote, & *Benaia* prætoriæ cohortis præfecto comitibus, *Solomonem* mula regia vectum, ad Gihonem fontem deduceret, atque ibi oleo delinitum, in ſuo ſolio reponeret. Populus ad ſolemnitatem feſtinus, Benaia præeunte, alta voce inclamat, Vivat, vigeatque *Solomon* Rex, Deo ei facili, & Davidi Patri ſecundo, ac propitio.

LXI. *Adonias ad altare pro ſalute fugiens, à Solomone condonatur.*

Terruit *Adoniam* tubarum clangor, populique ad montem confluxus. Ubi ex *Jonathane* Abiatharis Filio, *Solomonem* Regem, Davidis juſſu inauguratum didicit, ſpe imperandi abjecta, de vita potiùs anxius, ad Religioſam Aram confugit, mortem à Solomone, promiſſo obſequio, deprecatus. Ille errori veniam conceſſit,

præ-

prædmonito, ut in posterum caveret, alterius novitatis reum pœnam manere.

LXII.

A. M. 2990.
A. Chr. 1014.
David datis Solomoni variis præceptis, moritur.

David morte imminente, novum Regem præceptis instructurus, Dei mandata ingerit, ad quæ præstanda teneretur. Imperium ei ista lege datum, ut Deum noscat, veneretur, & ex animo colat, quem nunquam defuturum sentiet, quamdiu ei fide integra obsequetur. Mox recensita in *Abnerum* & *Amasam* Duces Joabi perfidia, rogat ne Parricidam in sepulchrum impunè deferri sinat. *Barzillaii* autem liberorum benignitatem meminit, qui Absalomi iras fugientem, annona in Deserto cumulavit, in exercitus subsidium. Essent igitur ejus Convivæ, nec ingrato beneficium contulerint: Non *Shimei* virulenti conviciatoris oblivisciturus, cui etsi incolumitatis fidem dedisset, sceleris tamen pœnas penderet; adeo posteris Regibus exitialis. Post hæc, pauca de Templi structura locutus, quasi sopore abreptus, mortalitatem placidè exuit. Vitæ anno septuagesimo, Imperii quadragesimo, inter præclara pietatis Virtutisque documenta recensendus.

LXIII.

Adonias occiditur, cum Joabo, Shimeio. Abiathar Sacerdotio privatur.

Davidis funere magnificè soluto, Rerum Solomon pleno jure potitus, fraternam factionem, ne fortè recrudesceret, adimere statuit; ab ipso capite *Adonia* adorsus. Abishagam enim Davidis olim concubinam, in Uxorem deposcentem, quoniam talem attingere non nisi Regi dabatur, tanquam perduellem interfici

juſſit. *Abiathar* Sacerdotio exutus, in agrum ſuum relegatur. *Joabus* iis territus ad Dei aſylum confugit, ſed illuc miſſus lictor, Aram complexum, manibuſque amoventium obnitentem mactat. Dat quoque pœnas *Shimeius*, qui Regem Hieroſolymis abeuntem maledictis laceſſerat. Urbe enim egreſſo, quod ſe haud facturum ſanctè dejerarat, vis illata perjurum abſtulit. Sic conjurationis Authoribus medio exemptis, Regnum tranquillum obtinuit. Exercitus deinde Ducem *Benaiam*, *Zadocum* Pontificem Solomon conſtituit.

LXIV.
A. M. 2991.
A. Chr. 1013.
Solomon accepta in Uxorem filia Pharaonis, Templi ædificationem aggreditur.

Ut Imperii primordia, Regum finitimorum affinitate aſſereret, Ægyptii Regis filiam Uxorem duxit. Renovata priùs cum *Hirano* Tyriorum Rege amicitia; à quo Artifices Templo extruendo impetrati, facultate ei data, operæ ſtipendium pro lubitu decernere. Urbe mœnibus ſepta, magnificum ædificium aggreſſus eſt, delectis ad id triginta Iſraelitarum millibus, quorum quolibet menſe, decem millia per vices operabantur.

LXV.
Solomon ſapientiam in ſomniis petiit, quam in duarum meretricum lite oſtendit.

Solomoni Patris mandata piè exequenti, Dominus per ſomnum objicitur, facto quod vellet petendi arbitrio. Juvenis Rex, Dei erga ſe favorem profeſſus, quòd eum ampliſſimo Regno, vice Patris præfeciſſet, prudentiam, qua tantæ moli par redderetur, popoſcit. Delectatus Deus, quòd Aurum, Argentum, aliaſque Divitias præ Sapientia aſpernaretur, Petitioni opum

affluentiam, famæ ſplendorem, imo & Vitæ diuturnitatem addidit, ſi Paternis veſtigiis hærens, ejus præcepta obſervaret. Conceſſæ cœlitus Sapientiæ documentum, à ſomno excitatus, edidit. Duæ mulieres ſub eodem tecto hoſpitantes, pueros eodem tempore, in lucem effuderant, cumque earum altera, fœtum inter dormiendum oppreſſiſſet, alterius ſomno inſidiata, ſuo ſuppoſito, viventem ſuſtulit. Mater ſopore ſoluto, ſub diei ortum experrecta, natum repetit, negat altera, filiumque ſibi vendicat. Res ad Solomonem delata, Judicii difficilis videbatur, nam deficiente indicio, quî exſolvi poſſet? Solomon cœleſti ſapientia imbutus, infantem vivum per medium gladio diſcindi jubet; & utrique diſceptandi partem aſſignari. Tum germana parens, ubi feriendum Puerum videt, magno ejulatu, necem deprecatur, alteri, ſi lubet, addiceretur, ſuo ſe jure cedere, modò filius vivat, modò non diſcerpatur. Rex veram eſſe matrem ex affectu conjiciens, ei totum Puerum impertit. Alterius fœminæ malitiam deteſtatus, quæ cùm natum ſua ſocordia amiſiſſet, alienum ſurripere niteretur. Inſigne viſum eſt Regiæ ſolertiæ argumentum, quæ vicinarum Gentium ita admirationem concitavit, ut cum eo fœdus ambirent, imperata facere parati. Porrecta à *Gaza* Palæſtinorum, ad *Euphratem* uſque ac Ægyptii terminos, dominatu, pace perenni Iſraelitæ fruebantur, nihil moleſtum domi, nihil

foris grave, quod fœlicitatem turbaret.

LXVI. *Apparatus cibrum Solomonis.*

Tam cœleſte Ingenium dona cætera, prout pollicitus erat Dominus, ſequebantur. Opes immenſæ, Vitæ commoda, Rerum omnium copia. Nam quatuor Equilium præſepium millia habuit, in quorum ſingulis, equi decem, hordeo, ſtramineque alebantur. Mille & quadringenti curribus, duodecim millia Equitibus deputati. Sitarchi (quibus Azarias Nathanis filius præerat) tricenos ſimilæ coros, ſexagenos farinæ, decem boves ſaginatos domeſticos, paſcuales vicenos ſingulis diebus parabant, cum centenis pecudibus, præter Cervos, Damas, Aves, & lectiſſimos piſces.

LXVII. *Figura & fabrica templi quoad ejus partes.*

Tantarum Opum fiducia, Solomon operis magnifici Templum, anno Regni ſui quarto excitare aggreſſus, non niſi autem undecimo, ab eodem perfectum & inauguratum. *Porticibus amplis & latis cinctum, portis altis patebat, quarum ſingulæ ſingulos ventos ſpectantes, foribus auratis,* ſi Jolepho credimus, *claudebantur. Dici vix poteſt, ac vix etiam oculis credi, quam id mirandum fuerit. Vallibus enim expletis tam profundis, ut oculi ad proſpectum caligarent, & aggeſta ad quadragintos cubitos terra, eam aream vertici montis, ubi conſtructum erat Templum, coæquavit. Porticibus etiam cinxit duplicibus, quas è ſolido ſaxo columnæ ſuſtinebant, & laquearia tegebant expolito Cedro. Fores verò argenteas habebant.* Anni ſeptimi, ex quo extrui Templum cœpit,

cœpit, menſe ſeptimo, Domini ſacrarium, Sacerdotum humeris deportatum, ſub Cherubinorum alis conſtituitur. Demum Templo perfecto, ac innumeris Victimis dicato, *Solomon* ut Regnum ſibi tranquillum, pacem Populo ſempiternam concederet, Deum precatus, Regiam ſibi domum, mox Ægyptiacæ Uxori alteram condidit, quibus pares Sol non aſpexerat. Tum *Deus* illi per ſomnum adſtare viſus, admonet, ſe gratam habere domum, ejus nomini propriam, placuiſſe & preces, modo Patris pietatem æmulatus, præceptis traditis obſequeretur. Sin vero Divinorum beneficiorum immemor, cultum ejus negligeret, ſe hanc Domum quantumvis magnificam ſolo æquaturum, futuramque omnium Gentium ludibrium. Quod bis eveniſſe *Nabuchodonoſoris* & *Veſpaſiani* ira legimus.

LXVIII. A. M. 3001. A. Chr. 1003. *Claſſe in Ophirum miſſa, plurimum auri Solomon recipit.*

Multis Urbibus, ædificiiſque conſtructis, per totum Regnum *Solomon* illuſtris, navium utique claſſem, comparatis undique nauticæ artis peritis, inſtituit. *Ophirum* profecta, quadringenta ſupra centum auri talenta ad Regem detulit. Repetita ſingulis annis navigatione, lapides pretioſi inſuper, cum ingenti lignorum Thyinorum vi deferebantur. Nec minor ex Africa occidentali proventus, cùm ultra ingentem Auri, Argentique copiam, viles præ numero Simiæ, Pavones, Ebur redderentur. Adeo ut ex annuis reditibus 666. auri talenta

lenta obvenirent, præter Tributa ab Arabum Principibus paſſim exacta.

LXIX. *Regina ex Arabia ad Solomonem venit, ſapientiæ fama.*

Uti Sapientia, ſic & Opibus cæteros Mortalium *Solomon* prætergreſſus, Nominis fama, *Nicaulam* felicis Arabiæ Reginam excivit, ut gloriam ſpectaret, prudentiamque propoſitis enigmatibus experiretur. Tantam hoſpitam Rex magnifico apparatu exceptam, in cæteris quoque comiter habuit. Sic ut ſolutis omnibus, quos paraverat, nodis, Regina Sapientiæ theſauros, Domuum majeſtatem, Regiæ elegantiam, Menſarum apparatum, præfectorum diſciplinam admirata, pænè in ſtuporem correpta, exclamat, ter quaterque felices Servos, qui ipſi adſtantes, Divina Sapientia fruerentur. Se plura, quàm fama tulerat vidiſſe, ſe majora contemplatam. Hæc effata, ut animi ſenſum teſtaretur, muneribus principe dignis cumulat, centum viginti Auri talentis, Aromatum tanta vi, quantam unquam inter Iſraelitas viſa. Rex affectum ex donis emenſus, paribus, ſi non majoribus devinctam, cum elogio remiſit.

LXX. *Solomon alienigenis mulieribus junctus, ad ipſarum Idola convertitur.*

Sed quemadmodum Vitio opes ſuffragantur, & facilis, ab exuberante fortuna, in luxum delapſus. Solomon infamè laſcivus, voluptati totas habenas permiſit, factus fœminarum mancipium. Nam ultra ſeptingentas Uxores, & pellices trecentas, multas externæ originis duxit, *Sidonias, Tyrias, Ammonitidas, Idumæas*, in quas inſana libidine effundebatur. Sic

deſipere

deſipere incœpit, qui paulo antea Mortalium Sapientiſſimus habebatur. Sexagenarius enim, Uxorum gratia, Idolis, Jehova neglecto, cultum exhibet, & *Venerem* venereus honore proſequitur. Dei fracto fœdere, contemptiſque mandatis, Solomon à Deo admonitus, cùm non reſipiſceret, demum graviter objurgato, pœna denuntiatur, fore, ut Imperium filio majore ex parte ſubtractum, illius Servo concederetur. Æquum videbatur, ut qui ſe partitus, animi ſui portionem fœminis dederat, Dominationis pars, extraneo cederet.

LXXI.

Nec multò poſt, obiit inſanus ille Sapiens, Iſraeliticæ gentis honor, & dedecus, deliciis potiùs quàm laboribus confectus; anno imperii quadrageſimo, cum ſexageſimum nondum attigiſſet. Laſcivum enim præpropera Senectus invaſerat, inter tot conjugia tamen, ſterilis, unico duntaxat, de tot thalamis ſuſcepto Filio. An anima ejus inter Cœlites, an Stygem petierit, incertum, mitior placet ſententia, ne tot beneficia Deus incaſſum contuliſſe videatur. Nam ad ſe reverſus, quicquid Solis radiis illuſtratur, Vanitatis damnavit, ut verè dixerim, mundi felicitati neminem acriùs nuntium remiſiſſe, quàm qui eam maximam expertus fuerat.

A. M. 3029.
A. Chr. 975.
Moritur Solomon poſt 40. *imperii annos.*

LXXII.

Roboamus Solomoni ex Naama Ammonitide filius ſuccedit, annum agens quadrageſimum. Indictis Sicheme, Regi inaugurando comitiis, adfuit & *Jeroboamus*, Vir impiger, ac induſtria clarus. Ejus opera

Roboamus Juvenum conſilium ſecutus, patitur regni diviſionem.

pera *Solomon*, dum Sionis propugnaculum muniret, uſus, ſolertem cæteris operariis præfecerat. Sed ille dignitatis oblitus, populi animos à Rege avertere conabatur, Solomonis autem iram poſtmodum veritus, fuga elapſus, in Ægyptum pervenit. Ex qua, cognita Regis morte, in patriam reverſus, promiſſum, ſibi ab *Ahia* Shilonidite Propheta regnum exambit. Inſtituto *Roboamus* favit, dum à *Jeroboamo* populi nomine rogatus, ut laxatis oneribus à patre impoſitis, mitiùs Subditis dominaretur, repudiato Seniorum, qui id ſuadebant, conſilio, Juvenilem ſenatum auſcultans, preces rejicit, atrociora, quàm eouſque tulerant, minatus. Iſraelitæ reſponſo indignati, Davidicæ ſtirpis dominationem excutiunt, ſciſſo in partes imperio. *Judæis* ob ſanguinis cognationem cum Benjamitis, *Roboamum*; Aliis autem decem Tribus *Jeroboamum* Regem, ſequentibus.

LXXIII. *Bellum inter Judæos & Iſraelitas ortum ſiſtit p rophe-za.*

Hinc Bellum, & acris de principatu contentio. Nam *Roboamus* parato centum & octoginta millium exercitu, Iſraelitas reducere ad officium moliebatur, promovebantur acies, cùm *Shemaia* vates cladem avertit; ita Jehovæ viſum aſſerens, ut duo jam Regna fierent, ut poteſtatis decremento, Davidicæ familiæ arrogantia caſtigaretur. Ergo deducto ad alia ſtudio, *Roboamus* Ditionis ſuæ Urbes vallis, mœnibuſque cinxit, & congeſta armorum annonæque copia, illis Filios ſuos præfecit.

Jeroboa-

Jeroboamus autem veritus, ne ſubditi Hieroſolymas, ubi Domino ſacra facere conſueverant, pergentes, ad *Roboamum* deficerent, eorum animos Superſtitione occupare ſtatuit. Itaque binos Vitulos aureos, quales olim in deſerto Populus adoraverat, in utriſque Regni finibus conflavit. Sacerdotibus etiam adhibitis, non de Tribu Levi, ſed ex infima plebe aſſumptis. Iniquiſſimum certè poſteris Regibus documentum, qui omnes contempto *Solomonis* templo, quod Deus majeſtate ſua compleverat, pro lubitu, de Religione ſtatuerunt, introductis ſubinde fictilibus Diis, quibus ſe, ſuoſque viles effecerunt. LXXIV. *Jeroboamus Iſraelitarum Rex, vitulos adorandos erigit.*

Jeroboamus die ſolemni indicto, novam aram novo cultu conſecraturus, thus adolebat, cùm Judæus *Propheta* à Deo miſſus, Altari malum intentat, ex Davidica ſtirpe naſciturum aliquando puerum, *Joſiam* nomine, qui in eo Sacrificos litabit, quorum crematis Oſſibus, illico diſrumpendum iri, quò impiis conſtet, hæc *Jehovam* denunciaſſe. His verbis irritatus incredulus Rex, manu protenſa, fatidicum comprehendi jubet, ſupplicio traditurus; ſed ita brachium confeſtim exaruit, ut reducere manum non poſſet. Mox altari in partes deſciſſo, victimarum cinis diſſipatur; *Jeroboamus* prodigio perculſus, Vatem obteſtatur, ut membro vigorem precibus à Deo reſtitui impetret. Quo facto, Beneficum hortatur, ut hoſpitio ſuo utatur, ſanatæ dextræ pretium accepturus. Abnuit ille, vetitum ſibi LXXV. *Miſſus Propheta ad Jeroboamum, de altaris ſubverſione monet.*

ſibi à Deo cauſatus, ne quicquam eò in loco alimenti ſumeret. Sed poſtmodum à pſeudo-Propheta in itinere deceptus, apud quem diverſatus cœnaverat, à Leone correptus interficitur, illæſo, cui inſidebat Aſino, Cadavere etiam intacto. Ut inde cernere liceret, Leonem non fame ſtimulante, ſed divino quodam inſtinctu id feciſſe. Nam juxta corpus mortuum ſtabat, vi quâ peccatoris vitam priùs abſtulerat, Juſti cadaver poſtmodum tueretur. *Jeroboamus* nihilo prophetæ minis ſanctior, Dei cultum peſſimè temerat, de regno ſuo tantùm ſollicitus. Quod Dei iram adeo concitavit, ut Ditionem ejus ac progeniem, ex integro perderet.

LXXVI. *Rex Ægypti diripit domum Domini Hieroſolymis.*

Nec Roboamus æqui obſervantior, ubi munitis Urbibus, ſe adverſùs vires peregrinas ſecurum credidit. Nam licet triennio patris ſententiam de ſacris ſecutus, Sacerdotes, qui exulabant accerſerit, quibus victimas pro more offerret. Poſtquam verò *Iſraelitæ*, *Jeroboamo* prohibente, Urbem, Religionis cauſa, petere deſiere, à Religione avita defecit, Judæis paſſim idola erigentibus; arboribus quoque ſacratis, quæ ſub fronde ſacrificia exciperent. *Jehova* ira flagrans, evocato cum ingentibus copiis *Siſaco* Ægyptio, injuriam ulciſci voluit. Nam qui tanto Hoſti par foret, cui mille ducenti currus aderant, millia Equitum ſexaginta, peditum multitudo pene infinita? Captis igitur, quas adeo Roboamus munierat, Urbibus, Hieroſolymæ

cum

cum Templo diripiuntur. Ut posteris documento foret, Judæos talem semper Deum expertos, qualem ipsi seu fide, seu perfidia merebantur.

Roboamo vivis erepto, Abiamus filius succedit: Vir bello acer, sed paternis flagitiis infamis. In *Jeroboamum* pugnavit, sed eo eventu, ut cum legi Divinæ adhuc adhæresceret, quinquies centena millia ex Hostibus ceciderint. Quot uno prælio interemptos, vix ullæ Historiæ produnt. Victoriam *Abiamus* persecutus, *Jesanam* & *Ephrainam* Urbes in potestatem redegit. Non tamen illustri palmæ diu supervixit, nam post triennium vita functus, in Civitate Davidis, cum majoribus sepultus est. Nec diu post *Jeroboamus*, Deo invisus, extinguitur, posteritate ejus, gladio ultore, deleta. LXXVII. *Roboamo succedit Abiamus secundus Rex Judæorum.*

Post Abiamum, *Asa* filius ejus, Judæorum imperium adipiscitur, Avo fortior, patre melior. Nam in thronum evectus, *Lucis* succensis, Idolorum simulachra imminuere aggressus est, *Veneris* præsertim, & *Priapi*, quæ in Cedronem torrentem, abjecit; non Matrem Priapeiorum Antistitam, præ Divini cultus reverentia moratus. Eo animo Regnum nactus, decem annorum tranquillitate beavit, etiam permansura, ni *Arabes* de Judæa subigenda cogitassent. Ii siquidem centenis militum millibus, & trecentis curribus, eam perdere moliuntur. *Asa* Hostem, donec in viscera irrumperet, non expectandum ratus, in Judææ finibus propè LXXVIII. A. M. 3049. A. Chr. 955. *Abiamo succedit Asa tertius Rex Judææ.*

propè *Mareſam* oppidum, Copias duplo fermè inferiores, Divina ope implorata, opponit. *Arabes*, timore ſubito correpti, pedem referunt, & antequam impetus fieret, in fugam convertuntur. Judæi audaci niſu inſtant, & effuſis per varia loca Hoſtibus, *Gerarem* Urbeſque alias vaſtant, depopulantur. *Aſæ* Revertenti, *Azarias* Propheta obvius, Divinum favorem ingerit, quòd victor, ſpernendo potiùs quàm pugnando Æthiopes diffiaverit. Deum alacer coleret, nunquam ſuis non propitium, & qui exigua militum manu, contra ingentes copias, victoriam largitur.

LXXIX. *Aſa ob beneficium Deo gratus, fana cum Idolis deſtruit.*

Aſa beneficii memor, Idolorum fana demolitus, Religionem reſtituit, non ſuorum quidem chariſſimis gratificatus; Imo Maachæ Aviæ, quòd turpe ſimulachrum, in Saltu adorandum expoſuiſſet, Aulam interdixit, atque à dignitatis gradu amotam, in ordinem redegit. Ne quid gratitudinis deeſſet, Statua flammis tradita, ſpolia omnia, quæ ex Hoſtibus retulerat, in Templi ærarium tranſtulit. Hac, mente diurnum, ac fœlix imperium adeptus, ſeptem Reges, decem Tribuum, regnantes extinctoſque vidit. *Jeroboamum* anno regni ſui ſecundo, *Nadabum* Jeroboami filium tertio, *Baeſam* Nadabi interfectorem viceſimo ſexto, *Ellam* Baeſæ filium viceſimo ſeptimo, *Semrin* Ellæ, & mox ſuum percuſſorem uno eodemque octiduo.

Magna

Magna rerum tranquillitate, ſeptemdecim annorum ſpatio, *Aſa* uſus, cæteros ætatis ſuæ principes ſupergrediebatur, cùm Dei gratia excidit. *Baeſæ* enim Iſraelitarum Regis conamina veritus, qui Rama Urbe capta, aditum in Judæam occupare parabat, *Aſa* id prohibere conſtituens, Auro, quod in Templi ærario recondebatur, manum injecit, quo *Benhadum* Syriæ Damaſcenæ Regem, ſibi conciliaret, æmulique Regis molitiones fruſtraretur. Hinc ab *Hanano* propheta correptus, quòd *Benhadadi* viribus fretus, Deo aliàs in majoribus anguſtiis agnito, humana ſubſidia prætuliſſet; animi fiduciam non tulit, ſed injectis, vinculis petulantiam compeſcere auſus eſt. Adeo Reges carpere, etiam optimos periculoſum. Sed ab eo tempore, *Aſa* partim Bellorum ſævitia, partim corporis languore afflictus, didicit neminem impunè Dei monita contemnere. Nam duobus annis lectum nactus, podagra cruciatur, qui *Vatum* pedes nervis arctaverat. Cui ſublevando evocati Medici, cùm nihil proficerent, morbo demum confectus, animam exhalavit, poſtquam erratorum ſummam faſſus eſt. Ei enim tria peccata adſcribuntur: *Primum*, quòd Divina humanis auxilia poſthabendo, *Aſſyriorum* fœdus, ſacro auro pactus ſit. *Secundum*, quòd Prophetam indigno fœderi reluctantem, in compedes conjecerit. *Tertium*, quòd pedum dolore tortus, non ad Dominum, ſed ad Medicos confugerit. Magnificè

LXXX.
A. M. 3046.
A. Chr. 958.
In tribus Aſam deliquiſſe fertur.

nificè ſepultus eſt, quum annis quadraginta & uno regnaſſet.

LXXXI. *Baeſæ ſuccedit filius Ela, quem Samris occidit.*

Priuſquam *Baeſa* Iſraelita fato excederet, Dominatum *Elæ* filio reliquit, anno *Aſæ* vigeſimo ſexto. *Ela* autem, dum potationi nimium indulget, vino obruto, *Samris* curruum præfectus, temulento ſubeſſe dedignatus, vi illata, Vitam eripit. Vir, in Deum juxtà ac in Homines impius. Qui cùm audiiſſet exercitum, qui *Gilbetonem* Palæſtinorum obſidione cinxerat, ad *Elæ* ultionem adveniſſe', ſalute deſperata, ne in Hoſtium manus veniret, cremata Thirzæ Regia, ſe una flammis comburendum tradidit, Regno, quod invaſerat, poſt ſeptiduum, amiſſo.

LXXXII. A. M 3079. A. Chr. 925. *Samaria Civitas ædificata.*

Ela interfecto, ad Omrin Iſraeliticum, regnum devolutum eſt. Sed parte populi Thibnim Ginathi filium ei opponente, turbulenta fuere principatus initia. Rivali mortuo, montem à *Samaro* quodam duobus talentis emptum, magnifica Urbe exornavit, quam à priſtino loci Domino, *Samariam* appellavit, quæ deinceps Regni primaria, opibus & munimentis evaſit.

LXXXIII. A. M. 3050. A. Chr. 954. *Joſaphatus quartus Rex Judæorum.*

Aſam Judæorum Regem *Joſaphatus* filius excipit, anno ætatis vigeſimo quinto, patrem ſanctitate, Zelo, ac Virtute ſupergreſſus. Impoſito undique Urbibus præſidio, inſtaurandæ Religioni incubuit, nihil firmum in Ditione ſua ratus, ni objectis, quæ ſupererant, *Idolis*, Populum in vero Dei cultu erudiendum curaret. Hinc *Levitæ* Civitates, ejus juſſu, itinere aggreſſi

aggreſſi, legis Tabulas in omnium pectora tranſcribunt. Hinc *Judices* vultu, & enſe ſeveri, jus dicunt, & velut in Dei conſpectu judicarent, de aliis ſententias ferunt. Deus Zelo gratificaturus, pium Regem maximis opibus auctum, ad felicitatis faſtigium, quanta Mortalium ſors finit, evexit. Nam ei ultro *Arabes* Tributum pependere, Virtutis intuitu, armatorumque robur veriti, quorum ultra undecies centena & ſexaginta ſtationariorum militum millia conſtituerat.

Hujus Imperii tempore, *Achabus* Omri patris regnum ſuſceperat, non eo modò, ſed & præcedentibus Regibus, impietate deterior. *Jezabelem* Tyriorum, ac Sidoniorum Regis filiam, in matrimonium duxit, cujus inſtinctu, *Baali* Idolo aram lucoſque conſtituit. Adeo ut per totum Samariæ regnum, plus *Phœnicum* ſimulachris, quàm vero Numini, honoris tribueretur. Cui impietati ſe *Elias Theſbites* opponens, à Deo precibus obtinet, ut triennii, ac trimeſtri ſpatio, occluſum Cœlum non pluviam, non rorem, ni pro ejus arbitrio, ſuppeditaret. Quod ubi *Achabo* minacibus verbis edixit, foras prorumpens, ad *Cerethi* rivum, ex quo potum ſumeret, ſeceſſit; nam ei cibum Corvi cottidiemini ſtrabant. Areſcente, poſt annum, *Cerethi* torrente, *Sareptam* Sidoniorum, Dei monitu, petiit, apud mulierem viduam diverſatus, farinæ pugillo, & exiguo olei, illam ſeque pavit, cœleſti nutu, diebus ſingulis adoleſcente, quantum ad alimentum minuebatur.

LXXXIV.
A. M. 3086.
A. Chr. 918.
Achabus ſeptimus Rex Iſraelitarum Omris impii filius impius, ei ſe Elias opponit.

LXXXV. *Elias viduæ filium reſuſcitat. Dat de cœlo Ignem ad conſummationem holocauſti.*

Dum ſuſpenſis in æthere Aquis, loca omnia, Solis æſtu, ſterileſcunt, Viduæ mulieris filius, non fame, cui victum propheta præbebat, ſed morbo, intra matris ulnas extinguitur. Tum ejulatu ac querelis hoſpita, hoſpitem aggreſſa, factum improperat, quaſi ejus conſilio, aut ſaltem nutu, mors filio contigiſſet, unico imminentis Senectutis ſolamini. *Elias* invidiam non paſſus, delato in cubile ſuum cadavere, procubuit, & alternis incubans, & precatus, demum Mortuum ad vitam revocatum, Matri reſtituit. Tum etſi in omnibus vicinis gentibus, ad necem perquiſitus, ad *Achabum* Regem ſponte perrexit, & impietate damnata, quòd fictiles Deos coleret, populi ac Sacerdotum conventum poſtulat. Quo impetrato, periculum fieri placuit, ut ſi cujus impoſitam Aræ victimam, Ignis cœlitùs delapſus, conſumeret, verum foret unicumque Numen, quod Virtutem patraſſet. Conditione accepta, quadringenti & quinquaginta *Baalis* Sacerdotes, unà cum quadringentis Lucorum miniſtris, in monte *Carmelo* coeunt, magna vociferatione Deos ſuos precati, ut de cœlo ignem elicerent. Sed conſumptis in vanum *Baalitarum* invocationibus; *Elias* cæſum vitulum ligno impoſuit, ſacrario prius aqua oppleto, ne ſuſpicioni locus daretur, Ignem ſub altari abſcondi. Tum Jehova invocato, Ignis repentè cœlo dimiſſus, holocauſtum unà cum lapidibus, & aqua circumfuſa correptum, abſumpſit. Hoc miraculo Iſraelitæ

raelitæ projecto in humum corpore, *Jehovam* Deum verum agnoſcentes, hunc maximum, ac unicum Numen venerantur, cætera Idola execrati. Mox Elia jubente, ſacrilegi Sacerdotes comprehenſi, propè *Ciſſonis* torrentem jugulantur. Qua hoſtia, Deo ad tempus placato, Cœlum diu intermiſſos imbres reddidit.

LXXXVI. *Elias fugiens Jezabelem, Eliſæum ſecum in miniſterium aſſumit.*

Achabum inde Jezereelem reverſum prophetа proſecutus eſt. *Jeſabel* faſtuoſa mulier, nihilo tantis rerum miraculis ſanior, Deos ſuos teſtatur, *Eliam* poſtero die, interfectorum Sacerdotum manibus, ſanguine ſuo inferias redditurum. Qui territus, fuga ſibi conſulens, montem *Horebum* petit, ubi ſemel atque iterum ab Angelo, cibo potuque recreatus eſt, poſtquam quadraginta dierum iter jejunus confeciſſet. E ſpelunca, ubi diu latuerat, à Deo prodire juſſus, Iſraelitidem repetit, ubi *Eliſæum* Saphati filium, agros colentem inveniens, ſua injecta toga, Prophetarum numero adſcripſit. Ille Myſterio percepto, bobus relictis, vati ſe miniſtrum præbuit, impetrata priùs venia, parentes ſalutandi, antequam novo aratro manum admoveret.

LXXXVII. A. M. 3103. A. Chr. 901. *Syri Samariam obſidentes cæduntur à famulis principum provinciarum.*

Ea tempeſtate, Syrorum Rex *Benhadadus*, duobus & triginta Regulis, quos ſubegerat, in Belli auxilium aſcitis, Samariam Regni Metropolim, vi expugnaturus adit. *Achabo* viribus impari, belli conditiones offert, cùm omnia in ſua eſſent poteſtate, nihilominus, ſi aurum, argentum, Juvenum optimos, ac puellarum formoſiſſimas mit-

teret, fore ut cæteris parceret. Sed tam iniquis conditionibus, extrema quæque subire, satius videbatur. Minimum à desperatione populus aberat, cùm quidam Propheta superveniens, timorem abigit, Victoriam pollicitus, si Deo vero fideret. Ergo eo ad eruptionem solicitante, Acies ex famulis principum, qui provinciis præerant, instruitur. Facto in Hostes impetu, facilè priores exiguarum in Urbe virium conscii trucidantur, cæteris quidem arma capessentibus, sed adeo inertes, ut detrectare prælium viderentur. Quod ubi animadvertunt Israelitæ, auctis copiis, in Syros delati, facilè profligant. Longo intervallo persecuti, castris direptis, devectisque secum *Benhadadi* curribus, in Urbem reversi sunt. Exsultanti *Achabo*, Vates, qui Victoriam promiserat, fit obviam, admonetque adfuturum denuò, anno proximo, *Syrum*, in promptu copias haberet, barbarum excepturus.

LXXXVIII. A. M. 3104. A. Chr. 900. *Anno sequenti Syrus reversus, denuo cæditur.*

Nec abfuit à vaticinio fides: Nam *Syro* vertente anno, *Samariam* cum ingenti exercitu regressus, dum jacturam resarcire parat, nova afficitur. Consuluerant enim Proceres, ut vitatis montibus, in planitie præliaretur, potentem quidem in montibus Israeliticum Deum, in vallibus autem imbecillem. Utraque acies in mutuo conspectu, septem diebus quieta steterat, ultimo concursum, & acriter utrimque certatum est. Sed *Jehova* Israelitarum votis annuente, fusi fugatique Syrii, centum suorum millia desiderarunt. Nec benignius

nius de cæteris actum est, qui in Urbem proximam elapsi, murorum subitò corruentium labe, opprimuntur. *Benhadadus* famulorum ope, in subterraneo specu abditur, unica spe, in tanta calamitate erectus, victoris clementia. Nuntios igitur ad *Achabum* mittit, ciliciis indutos, capite (fontium apud Syros supplicandi mos) restibus cinctos, qui mortem deprecati, ejus misericordiam implorarent. Venia data, abductum ad se Regem, osculo excipit, & novo fœdere icto, indemni Regnum restituit; oblitus eripiendum ab Israelitici nominis hosti ferrum, quem Deus morte mulctaverat. Hinc ad eum propheta, à Deo legatus, neglectæ voluntatis Divinæ pœnam denuntiat, vitæ discrimen, totius populi ruinam. Rex velut nihili verba moratus, cum fremitu tamen furens, domum revertitur.

LXXXIX. A. M. 3105. A. Chr. 899. *Nabothus ob negatam Regi vineam falso accusatus, lapidatur.*

Cæterum *Achabus*, dum post Victoriam domi iners, hortorum cultui vacat, *Nabothus* Israelis civis, vineam in procinctu obtinebat, fundo regio contiguam, pluries rogatus, ut eam pretio distraheret, negantem, & patriam hæreditatem alteri cedere nefas existimantem, *Jezabel* Regina coram Judicibus sistit, tanquam majestatis reum. Quis regiæ accusationi obluctetur? Quis talem testem repudiet? Damnatus Nabothus, una cum Uxore ac liberis, lapidibus obruitur. Addicta fisco Regio vinea, potiturus Achabus pergebat, cùm *Elias* propheta properantem corri-

pit. Siccine Hominem interficis? Sic jure aliena possides? Scito, ut *Nabothi* Sanguinem lambere Canes, ita & tuum linctum iri. Nec immunem se à pœna, *Jezabel* putet, sub Urbis jam tuæ mœnibus, ejus carne, famelica hæc Animalia vescentur, omnesque posteri radicitus peribunt. His comminationibus, Rex torqueri visus est, furti ac Homicidii omnibus noti infamia. Ergo lugenti similis, vestes discerpit, cibo abstinet, & peccatum fassus, à se pœnam exigere videtur. Hac pietatis specie Deus contentus, supplicium ad tempus distulit, non autem abstulit.

CX.

A. M. 3107. A. Chr. 897. *Josaphatus & Achabus ad pugnam procedunt, vincuntur, occiso Achabo.*

Interim *Josaphatus* longa cum finitimis Regibus pace, Divitiis Rerumque omnium copia affluebat. Fœdere *Achabo* junctus, ob contractam, liberorum conjugio, affinitatem, magno comitatu, Samariam adit. Ubi Achabus hoc pacis pignore potentior, bellum denuò *Syris* inferre parat, fortè quòd quæ *Benhadadus* in captivitate promiserat, non præstitisset. De belli eventu *Michaia* Vates rogatus, primùm quadringentorum prophetarum, qui socios Reges ad profectionem incitarant, adulationem detestatus, Exercitui cladem, *Achabo* exitium præcinit. Is minas aspernatus, Vati vincula injici jubet, siti & fame, in ergastulo puniendo, donec è prælio Victor reverteretur. Piè contumax *Michaia* supplicium poposcit, si unquam domum ovans repeteret.

Achabus

Achabus ut *Michææ* vaticinium eluderet, priuſquam manum cum Hoſte conferret, amictu depoſito, plebeium induit. *Joſaphato* monito, ne ſui quicquam mentiretur, cui nihil diſcriminis, ex ornatu immineret. Commiſſo prælio, triginta & duo currus, prout à *Syro* imperatum fuerat, in *Joſaphatum*, quem ex veſte *Achabum* eſſe credebant, impetu feruntur. Joſaphatus tantæ vi impar, ſalutem fuga quærit. Curribus autem circumactis, dum undique premeretur, implorato Dei auxilio, factum eſt, ut Hieroſolymitorum Regem, quem perſequebantur, eſſe agnoſcerent. Ergo ab eo protinus averſi, dum *Achabum* veſtigant, quidam miles, in quem arcum dirigeret, ignarus, eum ſagitta intra Armorum commiſſuras transfixit. Mox acie ob dolorem delapſus, paulò poſt ex vulnere extinguitur. Ex curru, dum ad Samariæ piſcinam abluitur, cruor regius defluens, à canibus, quemadmodum vates prædixerat, lingitur. Sic occubuit, qui Tyrannum ab interitu ſervaverat, Inſontem autem Urbe cum ſuis ejectum, ad necem proſecutus eſt.

XCI. *Achabus in prælio occiſus, cujus ſanguinem Canes lingunt.*

Joſaphato Hieroſolymas revertenti, obvius *Jehu* prophéta Hanani filius, crimen improperat, quòd *Achabo*, inviſo Jehovæ hoſti, opem tuliſſet. Admonitus Vir pius, facilè reſipuit, & Virtutis ardorem teſtaturus, totam Ditionem ſuam obiit, deſignatis oppidatim Judicibus, *Levitas* ac Sacerdotes, qui templorum ſacris præeſſent, conſtituit.

XCII. *Joſaphatus tubarum ſonitu victoriam de Hoſtibus refert.*

conſtituit. Iis intento, nuntiatur *Moabitas, Ammonitas, Syros*, ac *Idumæos* cum ingenti exercitu, adeſſe, jam jam Judæam penetraturos. Indicto Jejunio, in Deo præſidium ſtatuit. Prodigio affine, ut de Hoſtibus victoriam reportarit. Nam dum Muſici in Copiarum fronte, cantibus ac inſtrumentis Dei laudes celebrant, inter ſe commiſſi Barbari præliantur, Ammonitæ in Idumæos, Syri in Moabitas, ſocii in ſocios arma vertunt. Sic furore in ſeſe actis Hoſtibus, *Judæi* incruentam victoriam tulere. Incolumes, pretioſis ſpoliis onuſti, quarto die, tubis præcinentibus Hieroſolymas revertuntur, triumphatoribus ſimiles.

XCIII. *Claſſis perit, quæ Deo inconſulto inſtructa fuerat.*

Claſſe decem Navium inſtructa. *Joſaphatus* Ophirum, inquirendo Auro, cogitat, quòd cùm idem Ochozias Achabi filius, per id tempus moliretur, Joſaphatum ſolicitat, ut in ejus expeditionis ſocietatem admitteretur. Ille propheticæ objurgationis memor, pactum imprimis reſpuit. Demum importunis *Ochoziæ* precibus evictus, Navibus communi ſumptu paratis, Socium admiſit. Utrique Deus indignatus, per prophetam denuntiat, irritum fore opus, quod eo averſo eſſent aggreſſi. Enimverò Claſſis in ipſo portu, tempeſtatibus jactata, Naufragium fecit.

XCIV. *Achabo ſuccedens Ochozias octavus Rex Iſraelitarum brevi moritur.*

Ergo domi relictus *Ochozias*, Moabitas, qui defecerant, dum ad obſequium reducere impenſè ſatagit, contigit ut per cœnaculi

naculi clathrum prolapſus, contuſo corpore laboraret. De ſalute anxius, ad *Baalzebulum* Ecronitarum numen, de ea ſciſcitaturos mittit. Elias, Deo monente, nuntiis occurrens, ſic ad Idolum pergitis, inquit, ceu ab Iſraelitis abeſſet Deus? Ex me, *Jehova* decernente, diſcite, non è tubili, in quo recubat, Regem aſſurrecturum, ſed eo attritum iri morbo, dandumque ſepulchro. His dictis, præceps abiit, in montem vicinum delapſus. Reverſi ad Regem nuntii, audita referunt. *Ochoziae* Eliam ex habitu, pelliceoque cingulo, quod deſcribebant, ſuſpicatus, Centurionem cum ſua cohorte ilico amandat, qui prophetam, ad ſe etiam reluctantem adduceret. Is in montis cacumine repertum evocat, Regemque convenire jubet. Vir Dei, deductis è Cœlo flammis, omnes una morte extinxit. Clade ad *Ochoziam* delata, Dux alius, ingraveſcente morbo, mittitur, qui alterius damno cautior, ſupplex vindictam deprecatus, comitem humanioribus verbis obtinuit, ſed mali prænuntium. Nam annuntiata, ut priùs, neceſſitate ultima. Rex improbis decedens, Jehoramo fratri ſuccedendi locum fecit.

XCV.

A. M. 3108. A. Chr. 896. *Elias in cœlum raptus, vim ſuam Eliſæo impertit.*

Pauco tempore interjecto, *Elias* ad Jordanem profectus, tunica obvolutus, percuſſas Aquas ita partitus eſt, ut tranſitum in ſicco præberent. Brevi in altum diſceſſurus, *Eliſæum*, quid optaret, petere juſſit. Ille parato jamdudum animo, ſpiritum ſuum in ſe duplicem fieri poposcit;

quo

quo, ejus Hæres ritè inſtitueretur, ac tam inſigne munus dignè perageret. Id Elias miniſtro pollicitus eſt, ſi eum evolantem cerneret. Vix hæc fatus erat, cùm præſtò Equi, curruſque ignei, turbine abreptum in Cœlum evehunt; *Eliſæus* quamdiu potuit, ſublimem proſecutus, cùm oculorum acies deficeret, ſublata toga, quæ ceciderat, ad flumen reverſus eſt. Quo, Eliani pallii percuſſu, arefacto, ſe in Judæam contulit. *Herichunte* agens, querentibus de fonte, qui unicus in urbe erat, civibus, quòd fœminis noxius, partum acceleraret, Sale novo ſcaturigini injecto, Aquis medetur, fontique ſalubritatem, paucis verbis conciliat. Mox *Bethelem* profectus, illudentes pueros, ipſique calvitiem objicientes, evocatis è nemore proximo Urſis, diſcerpendos tradidit.

XCVI. A. M. 3108. A. Chr. 896. *Jehoramus Iſraelitarum Rex, cum Joſaphato, aquam, mox victoriam contra Moabitas impetrat.*

Jamdudum *Moabitæ*, prout priùs inſinuatum eſt, à fide defecerant, vectigal annuum, quod ducentorum millium pecudum erat, negare auſi; *Jehoramus* Exercitum recenſet, & *Joſaphato*, Idumæoque Regibus, in militia ſocietatem accitis, in Moabitidem proficiſcitur. Per *Idumæa* deſerta, quò incautos ſecuriùs adorirentur, iter inſtituere viſum eſt. Longius progredientibus Aqua deficit, & inſigniter ſiti laboratum. Cumque pedem referre integrum non eſſet, *Eliſæus*, Joſaphato ſuggerente, accerſitur, qui *Jehoramo* primùm acribus verbis increpato, quòd peregrina Numina coleret, immenſam Aquarum vim

vim tribus Exercitibus, ſed Judæi Regis gratia, promiſit. Lacunas igitur in valle effoderent, quæ occultis aquis turgentes, potum ſuppediarent. Beneficio Beneficium cumulaturus, vincendos *Moabitas* enuntiat, quibus ſuperatis, munitas eorum Urbes perdere jubet, Arbores excindere, Agris fertilioribus ſaxo obrutis. Hoſtilis molitionis gnari *Moabitæ*, ad ſe venientes, in finibus opperiebantur: ubi Solis matutini radiis, Aquam in Torrentis alveo, quem arefactum noverant, rubeſcentem conſpexere, Inimicorum, quòd in ſeſe tela vertiſſent, ſanguinem eſſe rati, ad prædam præcipites feruntur. Sed prælio excepti, ac facilè in fugam abacti, magna ſtrage cæduntur. Poſt diruptas Civitates, avulſas Arbores, Mœniaque, prout Deus mandaverat, ubique ſolo æquata, Regem ipſum intra *Cir-haraſethæ* muros compulſum, funditoribus aggrediuntur. Is in deſperationem actus, Filium ſuum primogenitum, immanibus Diis placandis, hoſtili exercitu ſpectante, in mœnibus, ſacrum immolat. Factum Iſraelitæ execrati, ne tanti ſceleris authores haberentur, obſidione ſoluta, diſceſſere.

XCVII. *Eliſæus oleum pauperculæ viduæ impetrat. Alterius filium mortuum ſuſcitat.*

Eo ſe quoque proripientem *Eliſæum* mulier vidua, quondam Vatis uxor, obviam habuit, de rei domeſticæ anguſtiis plurimum queſta, ſuam eſſe impræſentiarum ſortem, ut ære alieno oppreſſæ, immaniſſimi Creditores carcerem, filiis ſuis ſervitutem minentur, ni miſeratus, calamitatem

mitatem levaret. Prophetæ quid domi haberet ſciſcitanti, nihil ſibi ſuiſque ſupereſſe reſpondit, præter unam olei lecythum: Ille inania vaſa quotquot poterat, à vicinis mutuari jubet, quibus ilico olei liquore oppletis, eo vendito, debita ſolveret, liberoſque de reliquo aleret. Hoſpitæ, apud quam Sunami, in *Iſſacharis* tribu oppidi ſæpius Propheta divertebat, filium à Deo obtinet; Eundem mox letho datum è monte *Carmeli* accerſitus Vitæ reſtituit, dum nudus nudo pueri cadaver incubuit, ſic ut

Cum pede pes junctus, totoque ita corpore pronus,
Et digitos digitis, & frontem fronte premebat.

Tum puer ſepties ſternuens, oculis apertis, indubiæ vitæ ſigna edidit. Deinde de fame, per ſeptem annos graſſatura, admonitam reliquit.

XCVIII. *Eliſæus farina pulmento infuſa, amaritudinem aufert & paucis panibus multos ſatiat.*

Eliſæus ubique Miraculis illuſtris, famam ſuam indies propagat. Famulo pultem, *colocynthide* per ignorantiam injecta, lethalem comedendum exhibente, exiguo farinæ adhibito, inſalubri *herbæ* venenum ſuſtulit. Fame premente, panibus hordei cujuſdam Viri primitiis, ingentem Hominum multitudinem exſaturavit. *Securim*, in Jordanem delapſam, injecto poſt eam manubrio, ad aſcendendum cogit. Excito

inter

inter *Syros*, & *Iſraelitas*, Bello, omnia Benhadadi conſilia Jehoramo prodidit.

IC. *Regis Syriæ milites ab Eliſæo excæcati ducuntur Samariam.*

Syrus caſſas machinationes, ſtratagemataque ſua illudi indignatus, ubi horum proditorem, Eliſæum eſſe cognovit, illico milites amandat, qui ad ſe captum adducant, morte mulctandum. Vates *Dathane*, ubi agebat, armatis copiis circumſeptus, Hoſtes urbem ingreſſos, primùm tenebris offuſcat. Mox ſe illis, quem quærebant, Prophetam, pollicitus, ſi præeuntem ſequerentur, credulos in mediam Samariam deducit. Ubi adverſariorum turmis circumcluſi, deleri facilè potuiſſent, ni ferrum Vates avertiſſet. Solùm in Hoſtes bello victos ſæviendum eſſe, iis autem parcendum, qui ignari, & Divina Virtute, Hoſtium manibus traderentur. Ergo dimiſſos, adeo quod ſubierant periculum, terruit, ut *Iſraelitidem* impoſterum non auſi ſint turmatim invadere.

C. *Prædicit Eliſæus Samariæ frumenti abundantiam.*

Nec tamen *Benhadadus* hac erga ſuos Clementia delinitus, *Samariam* ingenti Armatorum ſtrepitu circumdat, Urbis expugnationem, non tam Machinarum vi, quam fame aggreſſus; omni enim aditu præcluſo, eam ad tantam Rerum inopiam redegit, ut *Aſini* caput octogenis ſiclis, columbarum ingluvies, quinis veniret. *Jehoramo* mœnia obeunti, adeſt in occurſu mulier, querula voce fidem implorans. Luctus cauſam ſciſcitanti, ſe cum vicina pactam fuiſſe ait, ut ſuo jugulato prius filio, quo ambæ carnibus ejus veſcerentur,

ejus

ejus filius, die postero, comedendus præberetur, fœdifragam autem animo excidisse, Filio suo, ne discerpatur, furtim subducto. Rei sævitiam Rex detestatus, dissectis in doloris signum vestibus, extrema *Elisæo* minatur, quòd miseris non succurreret. Miles confestim emissus, qui excogitatum facinus exequeretur, Vatem domi sedentem, & Populi primoribus stipatum reperit; quibus Hominem cohibere jussis, Regi mox intervenienti, magnam Rerum omnium copiam, die crastino, pollicetur, sic ut satum similæ uno siclo, duo hordei sata, non amplius venirent. Id mirum prodigii genus cunctis videbatur, cùm Syri panico terrore consternati, sibi Equorum, Curruum Armatorum strepitum audire visi, soluta obsidione aufugiunt; commeatu, divitiisque post se relictis. Quibus ab obsessis direptis, ex arctissima annona, frumentum in Samariæ porta allatum, eo quo prædixerat Vates pretio venditum est.

CI. *Defunctus Josaphatus Joramum quintum Regem Judæorum successorem reliquit.*

Anno elapso, *Josaphatus* Judæorum Rex moritur, anno Imperii supra vigesimum quinto, fame tunc, quam Elias enuntiarat, Palæstinam terram urgente. Vir fortitudine insignis, & religiosis Virtutibus meritò clarus. Regnum *Joramus*, natu filiorum maximus, tenuit, quod ut integrum vendicaret, fratres, qui numero sex erant, una clade de medio sustulit; Atavo certè quam Patri similior, sanguinem sitit, quem veretur. *Athaliam* Achabi

chabi & Jezabelis filiam in matrimonio habuit, impietatis magiſtram. Ejus exemplo, ſpretis majorum inſtitutis, vitulinam Religionem amplexus eſt. Imo quod furioſi animi fuit, peregrinos ritus Divinis Ceremoniis præferens, populum ad ſacra cum Dæmonibus adulteria adegit.

CII.

Joramus ob impietatem variè à Deo caſtigatur.

A. M. 3115. A. Chr. 889.

Tot ſceleribus Rex fœdatus à Deo abjicitur variis malis excruciandus. *Idumæi* enim, qui à *Davide* ſubacti, tamdiu Judaico imperio paruerant, excuſſo jugo, alium ſibi Regem præripiunt. *Libna* munitiſſima Judææ civitas, defectionem imitata eſt, tractis ſecum amplis Urbibus, quas in ditionem ſuam reducere, nequidem armato milite potuit. Demum *Arabes* in Judæam effuſi, campeſtrem regionem deprædati, Regiam ſubinde diripiunt, captis *Jorami* Uxoribus, liberiſque abactis, mox trucidatis, quorum, quia Patris filios occiderat, indignus videbatur. Ex clade ſolus *Ochozias* natu minimus, & reliquum Davidici Regni ſemen, fuga ſervatus. Sed iis omnibus, nihil ad mentis ſanitatem proficientibus, acerbæ morti deſtinatur. Biennio enim Viſcerum dolore correptus (quemadmodum ex *Eliæ* Epiſtola didicerat) inteſtinis putreſcentibus Animam pone regeſſit. Anno à Patris obitu octavo. *Hieroſolymis* quidem ſepultus, ſed neque majorum tumulo, nec Regio funere, populo in id adverſo, exornatus.

CIII. A. M. 3119. *Ochozias ſextus Rex Judææ, Impii patris impius filius.*

Huic Ochozias, Fratribus ſuperſtes ſuccedit, à Hieroſolymitanis Civibus in patris ſolium evectus. Sed iniquus iniqui patris filius, ad *Athaliæ* matris exempla deflexit, quæ priùs genitorem vana perſuaſione deceperat. Sic eo brevi quo regnavit ſpatio, in Idololatriam omneque vitium plenis velis ruit. Adeo exitioſum Homines ab improbis parentibus flagitia edoceri.

CIV. *Eliſæus Naemanum leproſum ſeptena in Jordane lotione mundat à lepra.*

Ochozia dominante, *Naemanus* Syrorum Dux, fortiſſimus Vir, ac ideo inter paucos Regi charus, ad *Eliſæum* à lepra ſanandus, Iſraelitæ cujuſdam puellæ impulſu, venit. Diu ad Vatis Januam præſtolanti, à *Gehazi* famulo denuntiatur, ut corpus ſepties in Jordane abluat, id fore infirmitati remedio. Ægrè tulit Aulicus, quòd ſe oculis dignum Vates non putaret, nihilominus Servorum ſuaſu, fluvium petit, ex quo lepra levatus, ad *Eliſæum* cum toto comitatu revertitur, largis muneribus merita repoſiturus. Negavit etiam juratus propheta, ſe quicquam ex oblatis accepturum, atque paucis ſalutatum dimiſit. Inſecutus Syrum *Eliſæi* famulus, ex decem Talentis, quæ dono obtulerat, unum ſibi cum duobus veſtimentis concedi popoſcit. Quo impetrato, domum reverſus, factum inficianti Lepram, qua Syrum purgaverat, avaro & mendaci, quaſi permutatione facta, *Eliſæus* inflixit.

Interea

CV.

Benhadadus Syrorum Rex ab Hazaele, ſpe imperii, ſtragula ſuffocatus.

Interea temporis *Benhadadus* quaſſato corpore, Damaſci laborans, *Eliſæum*, qui eò ſe paucis ante diebus contulerat, per *Hazaelem* Aulicum de ſanitate conſulit, quem ubi propheta, de impendente Regis fato admonuit, fixis eum luminibus intuitus, in gemitus & lachrymas effunditur. Fletus cauſam percunctanti aulico, affectu motus, Tu, Tu, inquit, ipſe me ad lachrymas cogis, cùm quæ Popularibus meis allaturus es mala, mente revolvo. Tu flammis *Iſraelitarum* corrupturus es Urbes, Tu ferro juvenes humi allíſos, imo diſcerpto Matrum utero, immaturos infantes trucidabis. Hazaele reponente, unde illi iis peragendis vires? Sibi cœlitùs præmonſtratum ait, eum brevi Regem fore atque Syriæ populo dominaturum. *Hazael* ſpe imperii concepta, ne ſerius adveniret, ad *Benhadadum* continuò reverſus, ſtragula humore aſperſa, vegetam adhuc Regis animam extinxit.

CVI.

A. M. 3120, A. Chr. 884. *Jehus Rex Iſraelitarum eligitur, ad Achabi ſcelerum ultionem.*

Dum iſta aguntur, Eliſæus Prophetarum, quibus præerat, aliquem *Ramothas* in Gileade ablegat, qui *Jehu* militiæ Ducem, Iſraelitico principatui inungeret. Ille in Tribunorum conſeſſu, res belli cas agitabat. A cœtu ſubductum Vates oleo perfundit: Te, inquit, Regem inungo, ut *Achabi* ſcelera ulciſcaris, atque de Jezabelis impietate pœnas exigas; continuò à Ducibus ſubſtratis veſtibus, in ſolium evectus, ubi eos paucis compellavit, expeditis copiis, *Ramothis* proruit, dire-

cto versus *Jezreelem* itinere. *Jehoramum* obviam prodeuntem, ac mox mali suspicione, se avertentem, adducto totis viribus arcu, sagitta interficit, projecto in agrum Nabothi corpore. Nec in *Ochoziam* Judæorum Regem, qui cognatum comitatus fuerat, mitior: Nam per hortensis domus viam, elabentem assecutus, sagitta ictum sauciat, qui curru relicto, veloci equo *Migiddunem* delatus, paulo post ex vulnere moritur. *Jezreelem* subinde ingressus, *Jezabelem* Jehorami Matrem, Ochoziæ aviam, quæ veneficiis, præstigiisque totam terram corruperat, comptam è fenestra deturbari imperat. In quam ab Equis priùs calcatam, irruentes Canes, prout ab *Elia* prænonitum fuerat, prædam devorant, & edunt. Hæc sors Mortalium, hæc offensi numinis merces, Illa, cujus imperio tot Hominum millia obsequebantur, equorum ungulis conculcatur animalium visceribus conditur.

Quæ cecidit, stabili non erat illa gradu.

CVII.

Jehus 70. Achabi filios, & 40. cognatos totamque ejus progeniem delet.

Missi à Jehu, qui Jezabelis cadaver tollerent, nihil præter calvariam, pedum manuumque extrema, quòd sepulturæ traderent, invenerunt. Nec hic sævire desitum est; septuaginta Achabi Filii, qui Samariæ educabantur, in Divinæ vindictæ appendicem de medio tolluntur, capitibus per Urbis Cives amputatis. Ad quam cùm Jehu postmodum tenderet, obvios quadraginta *Ochoziæ* cognatos, tanquam ejus-

ejuſdem ſanguinis & perfidiæ participes neci dedit. *Achabi* ſtirpe radicitùs deleta, in *Baalis* ſacerdotes animadvertere ſtatuit, hanc technam fabricatus; Cultum in Numen ſimulans, conventum indicit, Sacrificis ac Populo communem, pœna etiam non obſequentibus infligenda. Ubi Baalitæ Dei ſui ædem ingreſſi, ac ſacris veſtibus induti Res Divinis peregêre, militibus immiſſis Univerſi trucidantur. Mox ligneo Idolo cremato, ſaxea ſtatua in fruſta diſpergitur. Nec fano parcitum eſt, nam funditùs dirutum in latrinam abiit. Ita expiatum ab impiorum fœcibus Regnum, hæredes ad quartam uſque generationem, Deo ita promittente, tranſmiſit.

CVIII. *Sed poſtmodum in Idololatriam lapſus, miſerè interiit.*

Sed ut nihil eſt omni ex parte beatum, *Jehu* Majorum incantamentis deluſus, poſtquam *Baalem* ſuſtulit, Vitulos poſtea, imperio ſtabiliendo, adorare non erubuit. Deo Regi irato, *Hazael* Jordane traducto, Regionem ejus invadit, oppidis rapina undique vaſtatis. Nec diu ipſe impunè abiit, qui Ventris torminibus excarnificatus, nefandi cultus pœnas luit. Poſtquam annis viginti & octo Regnum Iſraeliticum adeptus eſt.

CIX. A. M. 3126. A. Chr. 878. *Othalia, regio ſemine præter Joam extincto, Regnum uſurpat, ſed Jojade præcipiente occiditur.*

Othalia Jehorami Judæi vidua filii Ochoziæ nece, Generiſque ſui pernicie comperta, adeo efferbuit, ut omnem iram in Davidis poſteros evomeret. Prærepto enim vi Judæorum imperio, ita graſſata eſt, ut perquiſitos diligenter filii ſui liberos ferro auferret, neminem ſupereſſe rata, cui parricidiorum ſupplicia penderet. Verum

Jojadas pontifex, Uxoris nepotem *Joam* (Jehoſebam enim *Ochoziæ* ſororem duxerat) immani Aviæ ſubductum in templo educavit, donec paratis viribus, Regnum hæredi vindicare opportunum videretur. Poſt ſeptennium aſcitis primariis Ducibus, Levitiſque apparere juſſis, *Joam* in Templi medium productum Oleo ſacro imbuit, mox diademate impoſito, ac lege pro more tradita, Populus ingenti clamore Ochoziæ filium, Regem ſuum agnoſcit, ſalutat. Idque alacriùs, quòd *Othaliæ* barbariem oſus, Davidicum ſucceſſorem expoſcebat. Tubarum ſtrepitu ad Regiam delato, *Othalia* proruit, & malè ſibi conſcia, Templum, ut Popularem motum coerceret, penetrat. Viſo autem Rege novo, & ad columnam, pro vetere conſuetudine, conſiſtente, proditam ſe exclamans, in fugam confeſtim avertit. Milites *Jojadæ* juſſu, eam perſecuti, extra Templi limites comprehenſam occidunt. Fine Reginæ cognito, cum Deo Populi fœdus inſtauratur, *Idola* humi proſternuntur, & *Mattane* Baalis ſacrifico, ante ejus aram, ceu victima mactato, ſtatuæ confringuntur. Mox è Templo in aulam Rex perductus, in Regio ſolo evehitur.

CX. *Joachas Undecimus Iſraelitarum Rex, ob peccata à Rege Syriæ affligitur.*

At in parte decem Tribuum *Joachas* Jehu filius dominabatur, ſed propter vitulinam impietatem, quam à Patre hauſerat, à Deo inviſus, *Syris* prædæ fuit. Nam Iſraelitæ ſæpe devicti, Urbibus ſuis pelluntur, adeo ut ex immenſa Bellatorum multi-

multitudine, vix quinquaginta Equites, qui decem peditum millia tuerentur, in promptu haberent. Reliquos diverſis certaminibus Hoſtilis furor abſtulerat. Tot malis *Joachas* afflictus, ad Dei Miſericordiam confugit, qui depulſis Hoſtibus, miſero priſtinum ſtatum reſtituit. Annis ſeptemdecim Iſraelitis præfuit, *Joæ* filio Principatu relicto, quem decimo quinto imperii, in Regni bellique ſocium adſciverat.

CXI.

Joas autem Judæus, etſi nondum imperio maturus, digna tamen laude egit, quamdiu *Jojada* præceptore uſus eſt, nam calcatis initio Idolorum altaribus, Templum magnis ſumptibus exornatum, priſtino nitori reſtituit. Comperta autem Sacerdotum in nummo colligendo pigritie, *tiſtam* præ Templi foribus poni juſſit, in quo Judæi edicto acciti, pecuniam viritim conjiciebant. Quæ cottidie à deſignatis Quæſtoribus ſublata Fabris, Opificibuſque impertiebatur. Sic Templum à *Jehoramo* & *Athalia* neglectum, publicis ſumptibus priori integritati redditum eſt. Sed qui Dei Ædem tantopere curarat, primus deſtituit. Nam poſtquam Jojadas Pontifex centum & triginta annorum ſeniculus, diem extremum clauſiſſet, *Joas* ſui juris factus, magnatum adulatione, ad majorum volutabrum reverſus, Deos, lucis exſtructis, colere cœpit. *Hazael* Damaſcenus tunc cum Iſraelitis bellum gerebat, Orientalem plagam depopulatus, confines Judæos armis quoque infeſtare ſtatuit.

A. M. 3147.
A. Chr. 857.

Joas gazophylacii pecuniam ad ſarta tecta Templi inſtauranda expendit.

Gatho Urbe capta, motus è Palæstina exercitus Hierosolymas versus tendebat. Malum aversurus *Joas*, profanis manibus sacro ærario injectis, thesaurum omnem, quo pacem redimeret, ablatum, Victori in prædam tradidit.

CXII.
A. M. 3165.
A. Chr. 839.
Joas occiso Zacharia vate, à servis suis occiditur.

Zacharias Jojadæ filius à Deo mittitur, qui Regem officii admoneat, mineturque desertum ab eo iri, quem turpiter deseruerat. Rex monitorem, quòd impietatem publicè argueret, non tulit; sed commotum Populum jubet, in ipso Templi Atrio, Dei nuntium, audaciùs lapidum cultus exprobrantem saxis obruere. Ita interemptus est Propheta, cujus Patri & vitam & Regnum debebat. Deus sceleris memor, illud post annum ulciscitur. Regressi tunc ad prædam *Syrii*, interfectis primùm Defectionis authoribus, captum *Joam* Damascum abducunt, quem ut majus redemptionis pretium exprimerent, cum ludibrio cruciant. Nec multo pòst, proprii famuli, Populo ob *Zachariæ* cædem invisum, cùm in cubili jaceret, aggressi trucidarunt, Anno imperii quadragesimo. Indignus Populo visus, qui Regiis monumentis inferretur.

CXIII.
Mortui Elisæi sepulchro injectus mortuus suscitatur.

Joaso Joachazi filio apud Israelitidas regnante, Elisæus Samaritanus Vates, & sexaginta annorum spatio, totius Orientis Oraculum, demum conticuit. Decumbentem cùm Rex inviseret, ei tribus sagittis humum percutere jusso, triplicem de Syris victoriam promittit. Dein spirare desiit, annis centum expletis; Qui

cùm

cùm mira in vita perfeciſſet, nec mortuus à portentis abſtinuit. Nam abjectum à Moabitis, præ feſtinatione, in ejus Sepulchrum hominis mortui cadaver, oſſium Prophetæ contactu reviviſcit. Hoc miraculo velut oſtendente Deo, mortuos *Iſraelitas* quondam luci reſtitutos iri, atque cæteros Homines ex Chriſto mortuo, in vitam aliam reverſuros. *Hazael* demum Tyrannus, è vivis ereptus Regnum *Benhadado* filio reliquit, quo tribus præliis poſtmodum, quemadmodum Eliſæus prædixerat, devicto, captas ab Hazaele Urbes *Joaſhus* recepit.

CXIV.

Amaſias octavus Rex Judæorum, Idumæos prælio vicit.

Joa, qui Zachariam Parricidio delevérat, perempto; *Amaſias* ejus filius duarum Tribuum regnum ſuſcepit, annos natus viginti quinque. Prima illi cura fuit, Patris percuſſores, ejuſque cædis conſcios vivis eximere. Illorum autem liberis ignovit, perennes eſſe debere amicitias gnarus, & Reorum odia morte extingui. Paratis Copiis, trecenta Hominum millia in *Idumæos*, qui quinquaginta abhinc annis defecerant, agit, centum millibus ex Samariæ Regione in auxilium accitis, veritus ne longa pugnandi deſuetudine, ſui Hoſtium impetui impares eſſent. Sed per Prophetam quendam admonitus, ne Idololatris Iſraelitis uteretur, exoſos Deo milites exautorat, non habita ratione centum talentorum, quibus eos conduxerat. Superſtitioſis igitur militibus dimiſſis, *Idumæos* in Valle ſalis aggreſſus, illuſtri Victoria potitur,

A. M. 3165. deſinente.

tur. Nam decem millibus cæsis, totidem captos de rupe præcipitat. Mox *Selam* obsidione cingit, & vi expugnatæ *Jocthelis* nomen imponit.

CXV. *Amasias Israelitarum Regem ad bellum provocans, ab eo capitur.*

Quod exitium, quum Deorum Sacerdotes, Cultorum nequitiæ acceptum referrent, à quibus contemptui essent habiti: Mendacio delusus *Amasias*, eos inter Devictorum spolia abduxit, ut reverentiùs culti, ei prosperitatis authores fierent. Hinc *Jehovæ*, qui ei Victoriam concesserat, immemor, Idola altari imposita veneran non erubuit. Deus contumelia irritatus, *Amasiam*, misso Propheta, redarguit, quòd Victori victa sibi Numina fecisset, cumque increpando nihil proficeret, recenti *Amasiæ* damno, eruditi imbecilliores esse Idumæorum Deos, quàm ut cultorem suum à calamitate tueri queant. Sed *Amasias* rebus prosperis amens, Joasum Israelitarum Regem, pacis amantem, nullaque injuria lacessentem, ad bellum ultro provocat. Collatis signis prope *Bethsemen* oppidum pugnatum est, obsistente *Amaziæ* fato. Nam suis in fugam actis, superatus ab Hoste capitur, mortem interminante, ni Davidis Civitas dederetur. Ergo captæ sunt & Hierosolymæ, muri diruti, Templum profanatum, nec nisi obsidibus datis, Rex Samariam reversus est. Paulo post autem extinctus, non nisi exiguum de sacris spoliis fructum retulit. Credendi Suspicionem præbens, Dei potius in *Amasiam* odio, quàm erga se gratia, superiores

in

in Bello partes tuliſſe. Uno & quadraginta annis rerum potitus, Sceptrum cum opibus, *Jeroboamo* hæredi tradidit. *Amaſias* verò quindecim quidem annis illi ſuperſtes, ſed non imperio. Nam poſt acceptam cladem vixit potius, quàm præfuit, donec conjuratione ſuorum facta, trucidatus eſt. Patri quemadmodum in ſceleribus, ſic in morte ſimilis.

CXVI.

A. M. 3194.
A. Chr. 810.
Ozias nonus Judæorum Rex præclarè multa geſſit.

Nihilominus *Ozias* Paternum Regnum annos natus ſedecim adipiſcitur, magnæ ſpei adoleſcens, & imperio dignus, quamdiu Deum coluit, ejuſque præceptis obſecutus eſt. Sed verendum, ne bonorum affluentia, proſperum Rerum curſum turbaverit. *Zachariæ* Vatis conſilio imprimis uſus, Deum ſibi propitium adſcivit, à quo bonis omnibus locupletatus eſt. Duces habuit bis mille ſexcentos præſtanti robore, & arte militari inſignes. Iis trecenta ac ſeptuaginta gregariorum militum millia ſuberant, quibus omnium generum arma comparaverat. Horum virtute *Elothum* ad Erythræum mare ſuo imperio adjecit. Mox pari ſucceſſu *Gathum*, *Azotum* & *Jabneüm* expugnatas, mœnibus nudavit. Tum Arabes & Ammonitas variis prœliis ſubigendo, ita ſe celebrem reddidit, ut Ægyptum nominis ſui terrore concuteret. Poſt tot Victorias Solymam reverſus, Urbis mœnia vetuſtate, aut hoſtili impetu delapſa reſtitui curavit, machinis ad Turres adjectis, quibus obſeſſi ſeu tela ejacularentur, ſeu ſaxa contorquerent. Tot

rebus

rebus providendis ſolers, Ruri opus facere haud dedignatus eſt; nam Vineæ ſatoribus in Montibus inſtitutis, Armenta gregeſque alebat, non minus rei pecuariæ, quàm hortenſi addictus.

CXVII.
A. M. 3246.
A. Chr. 758.
Lepra Ozias corripitur dum ſacerdotis officium uſurpat.

Fœlix *Ozias*, ni Avi Patriſque initia aſpernatus, dum Deo ſacra facit, illicita præſumeret. Non ſceptro enim regio contentus, jus ſibi ſacerdotale arrogat, & profanus ſacro thure adolere præſumit. Hinc acerba cum *Zacharia* Pontifice, reliquoque Sacrificorum cœtu contentio, iis aſſerentibus non libamen Regi eſſe proprium, Sacra Sacratis competere, & à diademate mitram dirimi. Admonitus tamen Rex ab incœpto non deſtitit, ſed correpta acerra, thus erat Igni injecturus, cùm ſubita Lepræ illuvies, pervicacem corripit, momento ſerpente per totum corpus prurigine. Mali turpitudine confuſus, ſponte Templo egreditur, qui illud audaciori niſu temeraverat. Nec ſe in Regiam recipere auſus, ſed *Jothamo* filio, ad Reipublicæ adminiſtrationem admoto, in privatas ædes conjectus miſerè vixit, Hominum contubernio prohibitus. Demum morbo conſumptus, è vita migravit, qui diu ante Vivis migraverat, anno Regni quinquageſimo ſecundo. Regum Sepulchro interdictus, in Agro conditur, quem coluerat.

CXVIII.
Jeroboamus ſic & ejus ſucceſſores ob impietatem caſtigati.

Jeroboamus ſecundus *Joaſho* genitus, ad ſummum potentiæ Regnum Iſraeliticum deduxerat: Ni avitam ſuperſtitionem complexus,

plexus, Dei iram, mox vindictam aſciviſſet. Ne imparatus autem ſcelerum pœnas penderet, ei *Amoſus* vir agreſtis, ſed à Deo ad vaticinandum vocatus, ſiſtitur, intrepidè pronuntians, futurum ei pro Uxore ſcortum, tinctum iri liberorum ejus ſanguine humum, Ipſi verò in profana tellure moriendum, Patria capta, abductis aliò Subditis. Pecuario Vati fides non defuit. Etenim poſt unum & quadrageſimum annum, cùm ab impietate non recederet, exempta ferro anima, medio exceſſit. Nemine ex ejus proſapia relicto, qui Rempublicam adminiſtraret. Succeſſit quidem Zacharias filius, ſed eo poſt duos menſes ſublato, *Jehu* Poſteritas penitus evanuit, quarta nimirum generatione, ultra quam, abſumptum iri ſucceſſorem Deus promiſerat. Non tamen novi Regis interfector inultus abiit: *Menahemus* enim Regiarum Copiarum Dux, Parricidam perſecutus, *Samariæ* repertum, uno tantum menſe, Regno potitum interfecit. Qui imperium aſſecutus, in *Tiphſacum*, omnemque Urbis dominium ita ſævit, ut omnibus incolis deletis, infantes ex dilaniato Matrum utero correptas miſerè confoderet. Mox ille ultorem Deum viciſſim experitur; nam *Phul* Aſſyriorum Rex, Meſopotamia & Syria cum exercitu peragratis, Samariæ fines præruperat, in Iſraelitidem impetum facturus, quod *Menachemum* in tantas auguſtias redegit, ut invadenti occurrere, milleque talenta

polliceri

polliceri cogeretur, modo partis frui sineret, precariò ditionem tenere contentus.

CXIX. *Jonas Propheta post multa vaticinia ad Ninivitas mittitur.*

Hac ætate, Jonam Zebulonitam Vatem vixisse referunt. Quo Victorias pronuntiante, *Jeroboamus* secundus Aciem Syris fortiter inferens, palmam retulit, ac iterato certamine, *Damascum*, *Ematham*, aliaque oppida, quæ olim *Syrii* Samariæ dominationi eripuerant, recuperavit. Propheta ad *Ninivitas* à Deo delegatus, Urbi potentissimæ excidium nuntiaturus, ni intra dies quadraginta, à pudendis sceleribus resipiscerent; seu periculum à contumacibus veritus, seu dedecus mente volvens, si pœna, qua incolas minaretur, à Deo remitteretur, spreto obsequio, Navem *Joppæ* conscendit, *Tharsos* diversa regione petiturus. Verùm, fugitivum Mancipium nec ferre navis, nec transvehere pelagus ausus est: Velis siquidem vento commissis, orta procella adeo invaluit, ut nautæ post projectas merces, nescio quid mali suspicati, tempestatis causam explorant. Missa sors in *Jonam* cecidit. Unde esset, quâ Arte uteretur, & quo flagitio Deos exasperasset, rogatus, se Hebræum esse respondet, Cœli ac Terrarum Dei cultorem, sed ejus præcepti contemptorem; Præcipitem illico turbato mari darent, si placatum optarent. Projectus ab horrido visu monstro excipitur, in cujus utero tanquam in carcere triduum egit, sepultus magis, quàm mortuus. Fugitivum enim

enim procella invenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, Bellua includit, & quia Opifici ſuo auſcultare nititur, ad locum, quo miſſus fuerat, ſuo Reus carcere portatur.

CXX. *Ejectus in littus Jonas pœnitentiam Aſſyriis enuntiat.*

Enimvero *Jonas* poſt triduum littoribus injectus, *Ninivem*, quam tantopere abhorruerat, alacri animo ingreditur, poſt quadraginta dies perituram clamitans. *Aſſyriorum* Rex, minis territus, Regio ornatu abjecto, ſaccum induit, tum edicto publicè Jejunio, populus univerſus, quin & recens nati, cibo & potu abſtinere jubentur. *Jumenta* itidem & varii generis Animantia, fame ac ſiti cruciata, luctus ſpeciem cum Civibus præſeferebant. Præteritorum dolore, vitæque melioris propoſito placatum Numen, iracundiam remiſit. Vati apud Deum conquerenti, quod minas non præſtitiſſet, paucis repoſitum eſt, clementem eſſe Deum, cui iis miſereri peculiare eſt, qui peccata deteſtati, correctiorem vitam pollicentur.

CXXI. *Arbacis conjuratio contra Sardanapalum.*

Vacuum Patris deceſſu imperium *Sardanapalus*, Aſſyriorum Rex ultimus occupat, omni Libidinis genere infamis. Nam corporis cultu, oris fuco, lanificii opere, adeo muliebrem mollitiem affectavit, ut Majores etſi ignaviſſimos, ſocordia ac voluptate ſuperaret. Ad hunc videndum cum *Arbaces*, militiæ apud Medos præfectus (id nemini antehac conceſſum) tumida ambitione obtinuiſſet, purpuram colo nentem reperit, amictu muliebri, quum corporis mollitie, & Oculorum laſcivia

cæteras

cæteras fœminas antecelleret, inter Virgines dividentem. Dux ſpectaculo iratus, ad ſocios reverſus, de *Sardanapali* inertia, ac mollitie conqueritur, indignum ratus, quòd tot Viri Bello inclyti, lanam tractanti parerent. Conjuratione inita, de Rege agitur, accitis in ſocietatem *Medis*, *Arabibus*, *Babyloniis*, qui quadrincentis Armatorum millibus Aſſyriam ingreſſi, montana à *Nino* ſeptuaginta duntaxat ſtadiis diſtantia præripiunt.

CXXII. *Sardanapalus ſe cum omnibus charis ſuis flammis dat.*

Sardanapalus de Conjuratione præmonitus, collectas ſubitò copias in aciem producit, quas perduellibus opponeret; ſed illis triplici prælio fuſis, Urbem regreditur, & parum de *Bactrianis*, qui in auxilium venerant, ſollicitus, immolata Aſſyriæ Diis victima, vino & epulis indulſit. Victi, & caſtris exuti confœderati Duces, Domum profecturi erant, cum Exploratores nuntiant *Bactrianorum* agmina adeſſe, & ad Regem properare, iis occurrendum *Arbaces* cenſuit, quibus ad ſocietatem perſuaſione, aut vi illectis, facilem de Rege Victoriam reportarent. Ubi primo Duces, mox & milites, libertatis ſpe, in Rebellium caſtra tranſivere, impetu facto, Urbem vino ſomnoque ſepultam aggrediuntur, favente *Lyco* flumine, qui dejectis ad viginti ſtadia mœnibus, latiſſimum Hoſtibus aditum præbuerat. Expergefactus Rex, & ex impendenti diſcrimine in deſperationem actus, ingentem pyram in Regia exſtrui juſſit, in qua ingeſtis multis aur

auri Talentis, una cum pretioſa ſupellectile, Uxorum quoque ac Eunuchorum gregibus ſeipſum incendio conſumpſit, poſtquam annis viginti regnum tenuiſſet. In Anchialæ Vicinia hi verſus ejus ſepulchro inſcripti memorantur.

Cum te mortalem noſcas, præſentibus exple
Deliciis animum: poſt mortem nulla voluptas.
Jam cinis ipſe levis, Nini Rex maximus olim,
Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit, at illa jacent multa, & præclara relicta.
Regula vivendi ſapiens mortalibus hæc ſit.

CXXIII. Vita defuncto apud Judæos Ozia, *Jothamus* qui patre lepra infecto, Regni gubernaculum ſuſceperat, regium nomen ſortitus eſt, annos natos viginti quinque. Genitori Religione æmulus, ſed eo innocentior, quòd tumore dimiſſo, ſacrarum Rerum contactu abſtinuerit. Magnificentia illuſtris, & in acie non tam ferox, quàm ſtrenuus. *Ammonitarum*, quos Bello domuerat, jugum ampliavit, ut ultra centena Argenti Talenta, quæ annuatim ſolvebant, decies mille Tritici coros, tandumdemque hordei, tribus ſimul annis penderent. Conditas in *Judeæ* montibus Civitates Turribus inſtru-

A. M. 3194. A. Chr. 810. *Oziæ defuncto ſuccedit Jothamus decimus Judeorum Rex.*

xit, poſtquam Templum, porta ſexaginta cubitorum ſublimi, exornaſſet, quam *ſpecioſam* vocatam Æris & Auri ornatu, eo nomine dignam effecit. Omnia læto omine auſpicatus, ni ſuis blandior, lucos ac colles, in quibus vana Numina venerabantur, toleraſſet. Hinc à Deo derelictus, dum *Pecam* Iſraelitarum, & Reſin Syriorum Reges, Judææ fines depopulantur, terrore victus, exanimatus eſt, cùm vix ad quadrageſimum & unum annum perveniſſet.

CXXVI. A. M. 3246. A. Chr. 758. *Jothamo ſuccedit Achaſus undecimus Rex Judæorum.*

Achaſus in Jothami locum ſufficitur, viginti annorum juvenis, ſed peſſima indole, à patre degener, *Achabo* ſimilis, verbo, impietatis & ſævitiæ portentum. Experturus Deus, an beneficiis allectus, ad frugem meliorem adduci poſſet, *Eſaiam* Prophetam deſtinat, qui impium ſpe indubitata firmet, ab Urbis mœnibus detrudendos eſſe inimicos Reges, ſi in animum induceret, *Jehovam* ſummum colere. Quod paucis poſt diebus, ut factum Rex vidiſſet, quaſi omni periculo defunctus, præceps ingenium prodit. Non excelſis modò reverentiam exhibuit, ſed ſaxeos dæmonas erigendo, dum Numen multiplex facit, nullum Deum facere molitur. Imo aſſumpta *Jeroboami* Religione, thus æneo *Baalis* ſimulachro adolet, & Filiorum parricida, quoſdam eorum Idolo cremato, alios nefandis piaculis pollutos delet.

CXXVII. A M. 3263. *Achaſus ob ſcelera caſtigandus Rezini traditur.*

Deo inviſus Idololatra, ſolius *Rezini* viribus ſubigendus deſtituitur, qui unitis antea cum *Pecha* copiis ſuperari non potuit. Nam

Nam ille opima præda potitus, ingentem Captivorum multitudinem abegit: Mox interceptam ab *Azaria Elothum* Syris poſſidendam reſtituit. Nec hic Divinæ ultionis meta, major à Pecca Samariæ Rege clades manet, qui commiſſis cum *Acheſo* ſignis, centum & viginti millia occidit, centum millibus jam in ſervitutem adigendis, ni miſeros *Obedus* vates, gravi oratione Victorum manibus eripuiſſet. Fratribus parcerent, quorum Principi Deus iraſcebatur, mente voluerent, ſua & ipſis non deeſſe peccata, futurumque, ut eorum Deus memor, vicem reponat. Eſſent fratribus propitii, qui Deum propitium præſtolabantur. Prævaluit Vates; Captivi redduntur, & unà cum ſpoliis, ad ſuos *Herichuntem* uſque, reducuntur.

CXXVI.

Implorato Aſſyriorum auxilio, Deos Achaſus in eorum gratiam veneratur.

Nihilo Achaſus accepta clade melior factus, aliis malis urgendus erat. *Idumæi* & *Palæſtini* Judæam ingreſſi, Urbes corripiunt, & abactis indigenis, novos incolas aſſignant. *Achaſus* ut ſuis ſe gravem, & propinquis Regibus inviſum ſenſit, *Aſſyriorum* Regem in auxilium adſciſcit, armis potentem, & Hoſtibus ſuis adverſum. Ergò ærarium, ſeu ſacrum, ſeu profanum Aſſyrio profundit, ut ſuppetias ferat, Rezinemque Bello adoriatur. Ille occaſione capta, ſervitutem exigit, & ut ſe ſubditum, annuo tributo, agnoſcat, extorquet. Rex tot malis attritus, nihil de impietate remittit, ſed potius deterior, Deos peregrinos novo cultus genere veneratur.

Fractis ſacri Miniſterii vaſis, Templum claudit, quaſi obſerato ac ſpoliato Numine, Victor exiſteret. *Aſſyrius* interim ſervitii pactione incitatus, cum ingentibus copiis, Syriam penetrat, & direpta *Damaſco*, Regeque in vincula conjecto, abactum populum in *Kirum* tranſtulit. Nec æquior *Peceæ* Iſraelitarum Regi fortuna, qui Galilæa univerſa, & Galaatide exutus, Regnum amiſit. Qui à ſuis poſtmodum contemptui habitus, ab Hoſea Eliæ filio, per inſidias immaniter trucidatur.

CXXVII. *Achaſus brevi moritur, a ſepulchris Regum amotus.*

Achaſus Damaſcum, ut Aſſyrio victoriam gratularetur, profectus, adeo Deorum aræ aſpectu illic delectatus eſt ut tranſmiſſa ad *Uriam* Sacerdotem formula, ſimilem Hieroſolymis exhibere præceperit. In qua reverſus, ſacra fecit, & Æneo Solomonis Altari, ne fano ſuo interponeretur, aliorſum tranſlato. Sed ille, qui tantum malorum ſibi, populoque conſciverat, quidni & impietate mortem acceleraret? Nam poſt ſedecim dominationis annos, Vitæ treginta ſex, regno & vita exemptus eſt, indignus à ſuis habitus, qui Regum cineribus immiſceretur. Quis injuſto juſta faciat?

CXXVIII. A. M. 3277. A. Chr. 727. *Ezechias duodecimus Rex Judæorum Achaſi impii patris pius filius.*

Vanam Achaſi ſuperſtitionem *Ezechias*, inſigni pietate aliquatenus rependit, Filius patri, ingenio diſſimilis, & ex peſſimo optimus. Quis non miretur ex corrupto trunco, Ramum integrum profluere? Quintum ſupra vigeſimum annum natus, principatum iniit, unicus poſt tot Reges qui

qui *Davidem* virtute imitaretur. Sub Regni initium, coactos Levitas ad Dei cultum exhortatus, multis deſſeruit, Deum, non ob aliud, in Patres ſuos ſæviiſſe, quàm quòd, ſpreta ejus *æde*, Lampades extinxiſſent, & odoriferum Thus aſpernati, holocauſta prohibuiſſent. Sedulò igitur curarent, ut fœdere renovato, offenſum ſibi *Deum* conciliarent: quod obtineri non poſſet, niſi abrogatis Patris inſtitutis, Templo ſacra reſtituerent. Sacerdotes *Ezechiæ* monitis, Templi fores aperiunt, & ejectis inde ſordibus, mox in *Kidronem* fluvium abjectis, Victimas, prout Divinis legibus præſcriptum fuerat, immittunt. Converſis, hoc pacto ad veram Religionem, animis, Rex per Veredarios, tam ſuæ, quàm *Samariæ* ditionis incolas, ad Paſchales ferias evocat, tamdiu impiorum Regum incuria omiſſas. Etſi plerique ludibrio nuntios exciperent; multi autem Deum, Regis nomine, Hieroſolymas vocantem ſecuti, *Azimorum* feſtum ſolemne egerunt. Sic ut frequentiſſimo conventu dies ſacri, publica lætitia exacti, legitimam Religionem poſt longum intervallum redintegrarunt.

CXXIX.

Ceremoniis peractis, *Iſraelitæ* quò zelum teſtarentur, aras & excelſa per univerſam Judæam ſubvertunt, ſtatuas effringunt, luciſque flammas admovent. Nec domum reverſi, donec ſculptilia apud *Benjamitas*, & *Ephraimitas* in honore, in Cedronem diſſipaſſent. *Ezechias* autem æneum Serpentem, Hebræis quidem aliquando ſalu-

A. M. 3273. *Reſtitutis antiquis Ceremoniis, Ezechias Serpentem æneum confringit.*

brem, jam autem virulentum dejecit. Mox *Levitis* Sacerdotibuſque, per vices, conſtitutis, omnium fructuum decimas aſſignat. Judæis etiam Boum Oviumque primitias ultro offerentibus.

CXXVII. A M 3291. A. Chr. 713. *Rex Aſſyriorum expugnatis civitatibus Judææ, Hieroſolymas obſidet.*

Non minori ſolertia Rex, qua Divinum cultum provexerat, rem bellicam adminiſtravit. *Palæſtinos* enim bis prælio victos, ad *Gazam* uſque domuit, ſecundiſque rebus uſus eſt, donec Regni tranquillitatem *Sannacheribus* Salmanaſſaris Aſſyriorum Regis filius, perturbaſſet. Is enim inſtructiſſimo exercitu, inopinantem adorſus, populatis latè agris, plurima ex munitioribus Oppida expugnat, extrema per Legatos minatus, ni impoſitum *Achaſio* patri tributum, quod detrectare videbatur, continuò ſolveret. *Ezechias* viribus impar, cum Aſſyrio prælium miſcere non auſus, imperata facturum ſe, Vectigalque ſoluturum pollicetur, modò finibus ſuis diſcederet. Non tamen pacem, quamvis ter centenis talentis redemptam, diu obtinuit. *Sennacheribus* enim, Ægypto & Arabia reverſus, celerem de imbecilli, & pecunia exhauſto Principe victoriam ſibi pollicitus, formidoloſum exercitum *Solymæ* mœnibus admovet. Duces Portis inſultant, minacibus verbis velitati. Ad colloquium Urbe emiſſis, & Urbem dedere recuſantibus, *Rabakes* inſultat, in vanum Ezechiam Deo fidem habere, cujus nutu, Aſſyriorum Rex, arma in Judæos ſumpſiſſet. An infirmæ Gentis Deus, Aſſyrio-

rum

rum Numine ſuperior, cui *Hamatæ*, *Arpadis*, *Sepharraimorum*, *Hinæ* atque *Ivæ* Dii ceſſerunt?

Hæc à Legatis Rex excipiens, dolore percitus, quòd in *Jehovam* ita protervè Dux debaccharetur, ſciſſis veſtibus, cilicio indutus, ſe ad Templum confert, Deo querelas expoſiturus. Miſſis interim ad *Eſaiam* Vatem, qui Dei conſulta noſcerent: Reſponſum eſt, nihil ab *Aſſyriis* metuendum, quibus Deus perniciem moliretur. Hæc Vaticinante Propheta, en rumor ad *Sannacharibum* pervenit, *Thirhacam* Æthiopum & Ægypti Regem adeſſe, acceptas ab eo injurias, ut ulciſcatur, properantem. Fremens Rex, ac clamitans Victoriam ſibi eripi, Literas ad *Ezechiam* dat, pari verborum jactantia, & gravibus in Deum contumeliis refertas. Sed nihilo iis dejectior *Ezechias*, Deum obſecrat, ne tantam peſſimi viri inſolentiam, inultam permitteret. Æquis precibus annuens Deus, *Angeli* opera, centum octoginta Aſſyriorum millia contrucidavit: Nocturnæ cladis ſpectaculo, concitus *Sannacharibus*, quanta potuit feſtinatione, *Ninivem* confugit, non tam de ignominia, quàm de ſalute propria exultans. At brevi temporis lætus ſpatio. Nam ejus Filii, dum *Niſrochi* ſimulachro ſacra facit, in Templo deprehenſum, multis vulneribus confodiunt. Qui *Eſarhaddonem* fratrem, qui in Regno ſucceſſit, veriti, in Armeniam majorem, Aſſyriæ conterminam aufugerunt.

CXXXI. A. M. 3294. A. Chr. 710. *Sannacharibi inſolentiam Deus* 185000. *ſuorum morte, una nocte punit.*

CXXXII. *Esaias Ezechiam moriturum denuntiat, sed ille sanitatem cum prorogatione vitæ ad quindecim annos obtinet à Deo.*

Judæi interim in *Assyriorum* castra irruperant, locupleti præda potiti. Nec dubium, quin ingens Auri Argentique vis inde *Ezechiæ* accesserit. Ea victoria longè latèque percrebrescente, plurimi Reges legatos de ea congratulatum mittunt, muneribus onustos. Omnibus portentum videbatur, quòd tantus exercitus, nocte concubia, nullo strepitu, aut clamore, sterneretur. Sed aliud à dicto prodigium, *Ezechiam* illustrem reddidit. Lethali ulcere decumbenti, Esaias mortem imminere denuntiat, ætate immatura, & Sobole, quæ Regnum occupet, destituto. Mœrens, converso in parietem vultu, profusis lachrymis, Deum enixè precatur, ut misero parcat, & sinceræ pietatis memor, ne patiatur orbus extingui. Exoratus *Jehova*, quindecim vitæ annos prioribus adjunxit, & in signum, ne de Oraculi fide dubitaret, *Umbra*, quæ in Horologio publico, decem gradus emensa fuerat, per totidem viam redorditur, sic ut dies ille duodecim horarum, viginti additis, horarum duarum & triginta fuerit. Quod miraculum, stupore adeo vicinos Reges affecit, ut *Merodachus Baladam*, missis Babylonia Solymam legatis, qui de retro acta styli solaris umbra accuratiùs inquirerent. Quibus dum *Ezechias* opes omnes, Auri Argentique thesauros ostendit, Deo displicuisse traditur. Hinc ab *Esaia* vate audire cogitur, *Gazam*, & quæcumque majores per tot secula congesserant, Babyloniis aliquan-

aliquando fore, in faſtus oſtentationiſque ſupplicium. Pro quantulo crimine, quantum diſcrimen. Demum Ezechias peractis, quos à benignitate Divina obtinuerat annis, è vivis abiit, anno à ſuſcepto imperio viceſimo, ſanctitate, ac obſervantia in Deum clarus, Davidi non tam comparandus, quàm præponendus, qui minus deliquit, majora peregit. Hoc uno miſer, quòd piiſſimus Pater filium peſſimum, *Manaſſem* genuerit, quo deteriorem nulla ætas tulit.

CXXXIII. A. M. 3291. A. Chr. 713. *Manaſſes in omnem impietatem proruit.*

Is ſiquidem principatu aſſumpto, Gentium mores æmulatus, abjecta paterna Religione, profanam ſectatur. Præſtigiatorum cultor, excelſa, quæ diruerat Ezechias, reparat, lucos exſtruit, & Sidera, Numinis vice, veneratur. Ut de altiore præcipitio Religio contereretur, in Templo, quod ſacrum *Jehova* ſemper habuit, *Jovis* ſtatuam, *Priapi* aras erigere auſus, victimis coluit. Veneficiis etiam addictus, *Striges*, Magos, Ariolos, *Pythones* conſuluit, & quo longius Deum amoveret, Brutis animantibus in conſilium aſcitis, *Dæmonas* evocavit. Ne ſolus inſaniret, Populum ſectatorem habere voluit, quem ne ſatis ad Idolorum ſacra exemplo pelliceret, mandato coegit. An erga Deum magis impius, quàm in Homines ſævus, incertum, qui ab impietate, ad crudelitatem momento proruit. Sacrorum Magiſtros, & ſaniora docentes aſpernatus, mox exitium comminantes, ferro ſuſtulit. *Eſaiam*

am verò, jam ante annos ſeptuaginta vaticinio celebrem, non ſimplici morte erectum, ſed acerbiſſimo cruciatu, lignea ſerra diſſecuit. Denique ut cordis aſperitatem experiretur, Filios in valle Gehennæ flammis commiſit, quaſi lætus, quòd Ignis eum Avo mitiorem non reperiſſet.

CXXXIV. A. M. 3361. A. Chr. 643. *Poſt multa nefanda Manaſſes reſipiſcit; moritur anno imperii quinquageſimo.*

Manaſſem fruſtra à Prophetis admonitum, demum laſſata patientia, perdere Deo viſum eſt. *Aſſaradinus* tunc Babyloniorum imperium, cum Aſſyriaco junxerat. Is plurimos in *Samariam* colonos, Urbibus, & agris ab Iſraelitis relictis, deduxit, Duce *Oloferne*. Miſſæ quoque, quæ Judæam invaderent, Copiæ, *Manaſſem* injectis vinculis, Babylonem abducunt. Tum ſceleratus Vir, ex calamitate ſapiens, delictorum pœnituit, & animi confuſus, quòd ſe, ſuos, ſua, in ergaſtulum impietate accerſiviſſet, veniam à Deo ſummis gemitibus, ſceleribus ſuis petiit, & quæ eſt in pœnitentes benignitas, obtinuit. Etenim *Aſſaradino*, poſt tredecim Imperii annos defuncto, ſuccedens *Saoſduchæi*, Manaſſem Regno, & libertati reddidit. Hieroſolymas reverſus, votum explevit; Alienos à Regno Deos ſuſtulit, mox Patrio cultu reſtituto, religionem antea nefariè violatam, edicto exercendam propoſuit. Demum exemplo ſuo corruptos, vitæ exemplari, quantum in ipſo fuit, corrigens, quinquageſimo imperii anno, vita emigravit, inſigne impietatis, ac reſipiſcentiæ documentum.

In

In demortui locum, *Amon* ſucceſſit, Paternæ impietatis hæres, qui malo exemplo, vitia ſecutus, Virtutes autem bono, nec coluit, nec paſſus eſt. Uti Dei negligens vixit, ſic à Deo neglectus, conjuratorum aulicorum ferro, intra biennium periit, devoluto ad *Joſiam* filium Imperio. CXXXV. *Manaſſi ſuccedit Amon, Decimus quartus Judæorum Rex.*

Is enim pupillari ætate, Regnum adeptus, cùm adhuc octennis eſſet, in Dei leges inquirit, ſummè ſolicitus, ut Divina vigili cura adminiſtrarentur. Quod ubi ad duodecimum annum pervenit, fortiter executus, Aras, vaſaque vanis Deorum uſibus deputata, igne abolevit. Tum luci omnes ſucciſi, dejectæ Aræ, redacta in pulverem ſimulachra. Nam eo dementiæ *Judæi* devenerant, ut colles partim Gentium Numinibus, partim *Jehovæ* Iſraelis Deo ſacrarant: imo Solem, ac Lunam divinis honoribus proſequerentur. Sed eorum ſimulachris, in pulverem redactis, Pulverem *Joſias* ſuper eorum tumulos, qui coluerant, projici juſſit. Mox Fanorum ſacerdotes aris impoſuit, & ſuppoſita Idolorum ſtrue, adolentur, qui adolebant, & ab ipſis Idolis, impii Antiſtites cremantur. CXXXVI. *Joſias 15. Judæorum Rex, Templum ac Dei cultum inſtaurat.*

Decimo & Octavo principatus anno, dum *Helcia* Pontifex, collectos nummos ſacris ædificiis reparandis, Templo effoderet, contigit, ut legis codicem inveniret, jam forte unicum, quem prope fœderis ſacrarium *Moſes* repoſuerat. Ex eo Rex didi- CXXXVIII. A. M. 3380. A. Chr. 624. *Lecto Deuteronomio omnes abominationes Joſias deſtrui curavit.*

cit,

cit, Populum Hebraicum ob frequentia ſacrilegia, & infandam impietatem, perniciem manere; è Palæſtina abigendum, graviſſimiſque malis conterendum. Vaticinio commotus, *Huldam* Prophetidem per *Helciam* conſulit, quæ Dei voluntatem exploret; Illa Divino afflatu mota, reſpondit Regi, ob animi humilitatem indultum quidem eſſe, ſed gentem certo peſſumdatura, quæ autographo Moſis notantur, mala. Ut cladem pius Rex averteret, impenſiùs ſolito, Dei cultum promovere cœpit, ablatis undique puræ Religionis inquinamentis. Nam Equos *Soli* dicatos, curruſque combuſſit, aras in Templi atrio à *Manaſſe* poſitas, in Pulverem contrivit, in flumenque abjecit. Imo vaſa omnia, anteceſſorum Regum ſuperſtitionibus, Diis inanibus dicata, flammis abſumenda tradidit.

CXXXVIII. *Joſias Paſcha celebrari præcipiens, magnificentiam oſtendit.*

Purgata iis ſpurcitiis *Solyma*, univerſam Judæorum Regionem peragrat; & mox *Samariam*, quæ Aſſyriorum tyrannidem excuſſerat, aggreſſus, author eſt, ut neglecto externarum Gentium cultu, ad Patrium revertantur. Deinde cœtu indicto, Levitas cum Populo, ad *Paſcha* celebrandum convocat, quod Deus in liberationis Ægyptiacæ ſymbolum, præceperat, ſed quòd tanti Beneficii immemores Iſraelitæ, multis retro ſeculis reliquerant. Rex Pietatem magnificentia teſtatus, triginta Agnorum millia ad Epulas, cum tribus jumentorum millibus contulit. Joſiæ ex-

exemplum Sacerdotes imitati, bis mille ſexcentas oves ad Paſchalem cœnam, ad victimas autem tercentenos boves conferunt. Tum quicquid Jeroſolymarum, & Samariæ Reges, vel mente ſua moliti, vel à propinquis gentibus acceptum, ſacris ſummi Numinis violandis adjecerant, id omne flagranti hujus Regis Zelo antiquatum eſt, Populuſque Juramento obſtrictus, ut ne à Divinis legibus ad Dæmoniorum fraudes amplius deviaret.

CXXXIX. *Joſias dum ſe Ægypti Regi opponit, occiditur.*

Dei igitur cultu, quem tandiu majores neglexerant, inſtaurato; *Neco* Ægyptiorum Rex *Cercutium* oppidum, Euphrate & Habora fluminibus circumfluum, oppugnaturus, iter Judæam verſus direxit. Veritus *Joſias*, ne in tranſitu Ditionem ſuam interciperet, cum exercitu occurrit, viam intercluſurus. Monuit *Ægyptius* ne quid hoſtile tentaret, Amicum eſſe, qui nefas cogitaret, quicquam contra pacificum moliri, Aſſyrios petere, quos, Deo ita volente, itinere breviſſimo proſequebatur. Monentem *Joſias* reſpuit, Deo ſive inconſulto, ſeu per oſcitantiam neglecto. Signis collatis, ne in ſe unum Armatorum impetus fieret, veſtes regias deponit, ignotus tamen, ſagitta in curru perſtrictus, pugnæ auferri popoſcit, qui curru altero exceptus, ubi *Hieroſolymas* pervenit, ſanctiſſimam animam reddidit. In Regio ſepulchro conditum, ingenti luctu Judæi, Solymæ cives, & ipſe *Jeremias* Vates proſecuti ſunt, quaſi eo exſtincto, tota res Judaica

Judaica corruiſſet. Uno & triginta annis regnavit.

CXL.

A. M. 3394. A. Chr. 610. *Joachas decimus ſextus Rex Judæorum, Joſiæ ſuccedit.*

Succeſſorem Joſias habuit *Joachazum*, ſed degenerem filium, qui fratri natu majori ſceptrum, factione eripuit. Sed non diu Tyrannus imperio potitus; quippe *Neco* poſt tres menſes, finito cum *Aſſyriis* bello, reverſus, Hieroſolyma capta, Regem quoque victum ac vinctum in Ægyptum abduxit. Ubi ærumnis confectus, miſeram Vitam, cum morte commutavit. Tum Regnum Judaicum, tributo maximo mulctatum, centum Argenti talentorum, & unius Auri annuo.

CXLII.

Ei Eliacimus, alias Joachimus Joachazi Regnum adipiſcitur.

Victoris Ægyptii arbitrio, *Eliacimus* viginti quinque annos natus, Judæorum dominationi inauguratur, à quo etiam *Joachimi* nomen ſortitus eſt. Eo defuncto Fratre deterior, quòd Uriæ Vatis nece Regnum auſpicatus eſt. Aderat enim in Templi atrio Jeremias, cladem Regi minitans, ni reſipiſcens, ad Patrium numen reverteretur. Motus *Eliacimus* Prophetæ verbis, tanquam malè ominantem corripi juſſit, quem mendaces fatidici, confeſtim luce orbaſſent, ni proceres ad Templum feſtini, innoxium furentium manibus eripuiſſent. Verùm, cum *Uria* durius actum eſt, cùm enim eadem quæ *Jeremias* annuntiaſſet, ad mortem primùm quæſitus, ſe in Ægyptum proripuit, ſed inde à militibus reductum, *capite* plecti imperat, atque ea ignominia, ut ejus cadaver, inter viliſſima plebis ſepulchra abjiceretur.

Non

Non Jeremiam *Uriæ* fatum terruit, ne quæ Ægyptios Judæosque circumſtarent diſcrimina, admoneret. Et Judæos quidem, ſub ſuperbi Victoris jugum mittendos, in Babyloniam deducendos, ſeptuaginta annorum exilio multandos, tum demum Patriam repetituros, ipſis Babyloniis captivitatem gementibus. Nec impoſturam fecit. Nam exacto *Joachimi* imperii anno, *Nabuchodonoſor* Babyloniorum Rex, profligatis ad *Carchemiſum* Ægyptiorum copiis, Syris ſubinde ac Phœnicibus, ſub jugum miſſis, Judæam depopulatus, *Hieroſolymas* invadit. Urbe in poteſtatem redacta, Rex ipſe capitur, catenis injectis, Babyloniam abducendus; Sed vectigal pactus, idemque quod Ægyptio ſponderat, obſequium pollicitus, domi remanere permittitur. Interim Victor Urbe, muris, ac Templo ſolo æquatis, immenſam Auri vim, vaſa Templo dicata, *Beli* fano exornando abſtulit. Hæc ſequebantur eleganti forma pueri, quos ex familiis nobiliſſimis, Regnique ſtemmatis aſſumere Rex præceperat. Ex iis quatuor eminebant, *Daniel*, *Hanania*, *Miſhael*, & *Azaria*. Quibus ab Eunuchorum præfecto Chaldaica indita ſunt Nomina, ut in eam gentem faciliùs coaleſcerent. CXLII. A. M. 3414. A. Chr. 590. *Joachimus, capta Hieroſolyma, à Victore in principatu relinquitur.*

Dum hæc Babylone aguntur, *Joachimus* fidem Nabochodonoſori datam temerat. Servitutis enim impatiens, ad Ægyptium deficit, ſpe deluſus, ſe libertatem ejus potentia CXLIII. *Joachimus dat ſuæ perfidiæ pœnas.*

potentia recepturum. Veſano certè conſilio, qui fidem *Nabuchodonoſori* obſtrinxerat, dum Terrarum orbis dominatio ad Babylonios deferreretur. *Nabuchodonoſor* ficti animi ſcelere incenſus, conflatas ex *Chaldæis*, *Syris*, Gentibuſque aliis turmas mittit; quæ vinculis chalybæis conſtrictum, dein jugulatum abjecerunt, cadavere ejus tanquam *Aſini* inſepulto, in quo quædam nefariæ ſuperſtitionis ſigna reperta ſunt. Ei *Jechonias* ſucceſſit, par Parenti filius, utpote & poteſtatis, & perfidiæ particeps. Quamobrem arreptum ſceptrum, non niſi trimeſtri ſpatio tenuit: hoc uno ſolùm genitore prudentior, quòd *Jeremiæ* authoritatem ſecutus, *Nabuchodonoſori* Regnum ſeque tradidit, quò cum Populo clementiùs ageretur. Cum eo, præcipuum militiæ ac Reipublicæ robur abreptum eſt, octodecim Virorum millibus aſſignatæ ſedes, ne ad eundem furorem redeundi anſa concederetur.

CXLIV. A. M. 3401. A. Chr. 603. *Jechonia* 18. *Rege Judæorum, Babylonem abducto, Zedechias in ejus locum ſufficitur.*

Ergo *Jechonia* Rege, cum matre, Regni proceribus, Populi flore, Babyloniam abducto, tenuiores tantùm, & ex plebe infima, Hieroſolymis relinquuntur, quorum aut ætas faſtidio Victoribus erat, aut imbecillitas ſervitio inutilis exercendis colendiſque agris videbatur. Eis tamen Mattanias Jechoniæ patruus à Babylonio præficitur, ſed mutato in *Zedechiam* nomine. Ille autem tot predeceſſorum malis nihilo emendatior, in omnem iniquitatem proruit, nam fratribus, quam Patri ſimilior, nec

nec aurem *Prophetis* præbuit, nec *Deum*, Debito obſequio proſecutus. Imo abjecto piorum Regum exemplo, nec juſtè ſubditorum rebus præfuit, nec quam *Nabuchodonoſori* juraverat fidem, ſervavit. Cùm poſt quartum præfecturæ annum, Babylonem profectus, initum fœdus redintegraſſet, *Sarea* Pontifice, etiam ſecum in teſtem adducto, illud nihilominus in Patriam reverſus polluit, Ægyptiorum Regis ſubſidio, libertatis ſpe abductus. Vanum enim & alta molientem, mendaces Prophetæ agebant, quorum monitis plus deferebat, quàm *Jeremiæ* & *Ezechielis* ſermonibus ac Epiſtolis. *Ezechiel* ſacerdos, ad ſacrum Vatis munus, tempore exilii, vocatus, ſexto captivitatis anno, ei indicat, aliquando futurum, ut *Babylonem* ob fidem violatam, deducatur, nec tamen oculis Exilii terram aſpiciat, quibus orbandus erat. Sed tunc demens, ſibique derelictus, in perduellione perſeverat, oraculum aſpernatus.

CXLV. *Rebellem Zedechiam Nebuchodonoſor obſidet.*

Quare *Nebuchodonoſor* ingenti exercitu coacto, in *Judæam* tertiò irrumpit, & occupatis totius Provinciæ Urbibus, Hieroſolymas exſcindendas aggreditur. *Zedechia* intra muros compulſo, Urbi copias admovet, & exſtructis hinc inde propugnaculis, exitum obſeſſis præcludit. Rebelles non tam armis, quàm inedia ſtraturus. Regem trienni obſidione fatigatum *Jeremias* ad deditionem hortatur, qui ni faciat, ipſi ſpecialem pœnam, Populo autem

captivitatem, ac mortem minatur. *Zedechias* bile tumens, Vati Urbe discessuro, manus violentas injicit, crimini dans, quòd transfugium pararet. Ergo proditionis delatus, in fœdissimum carcerem detruditur. Nihil ergastulum moratus Vates, non desinit cladem, famem, cædem, incendium expedire. Frustra Cives Deo obluctari, quorum plurimos, peste, reliquos Hostium armis perdere decreverat.

CXLVI. A. M. 3414. A. Chr. 590. *Zedechias capta Solyma, cæcus ac vinctus Babylonem ducitur.*

Ægyptii interim ex pacto cum Judæis fœdere, contractis copiis, *Solymam* ab obsidione vindicare nituntur. Babylonii non hærendum rati, donec ab Hostibus circumdarentur, obsidione relicta, obviam pergunt. At illi cùm tantas copias, & ad prælium instructas cernerent, non consultum arbitrati alterius Gentis causa, militiæ robur in discrimen adducere, id in Ægyptum salvum reducere statuunt. His igitur terga vertentibus, ad intermissam obsidionem Babylonii reversi, ex transfugis noscunt, Victum obsessis deficere, omnibus jam quæ mandi possunt, consumptis; abjecta auxilii spe, arma à militibus passim deponi, neglgi excubias, & quòd animum ademerat, mœnium labe, patere irruituris aditum. His, prout denuntiata erant, pro vero compertis, facto noctu impetu, Urbs capitur, & subjectis flammis, exuritur. Regem per posticam, cum proceribus, ac filiis elapsum, insecuti Victores, in solitudine

ſolitudine repertum, *Nabuchodonoſori* tunc Riblæ agenti, ſiſtunt, qui perfidia ac ingratitudine exprobrata, eveſtigiò Filios unà cum proceribus coram ſe trucidari juſſit, mox ipſum oculis, quemadmodum *Propheta* prædixerat, ne Solem ampliùs perjurus cerneret, privari. Sic oculis & manibus captus, reductis brachiis, Babylonem devectus, tanquam vile mancipium in carcere periit.

CXLVII. *Urbe combuſta, eligit Jeremias in Judæa manere.*

Dum Urbe incenſa, ipſum Templum auri argentique pluribus talentis, Vaſis, veſtibus, columnis, aliiſque pretioſiſſimis exhauſtum conflagrat; *Jeremias* in Carceris atrio deprehenſus, cum cæteris Babyboliam deſtinabatur: Sed de Viri meritis Nabuchodonoſor edoctus, optionem dedit, apud ſuos in Judæa aut *Babylone* commorandi; Ille Patriæ ruinas, alienæ gentis gloriæ prætulit. Interim optimi quique Gives, in exilium traducuntur, iis dumtaxat neglectis, quos vel Belli conditio, vel prædæ faſtidium, à Victorum barbarie exemerat.

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Septimus.

De Gentis Judaicæ per annos ſeptuaginta Captivitate.

I. *Nabuchodonoſor poſt deſtructas Hieroſolymas potentiſſimus evadit.* A. M. 3397. A. Chr. 607.

DEleta Hieroſolyma, Templo flammis cremato, everſoque funditus Judæorum imperio, *Nebuchodonoſor* eo poteſtatis pervenerat, ut cunctis majoribus excelſior, ei par nemo haberetur. Nam præter Solymam dirutam, Tyrum annis tredecim obſeſſam, ſubjectione adeptus, *Ninum* Urbem totius orbis celebermam, tamquam imperii ſui æmulam ſolo æquavit. Potentiſſimis Civitatibus expugnatis, velut clauſtris ſolutus, arma undiquaque porrexit, quibus *Ammonitas, Phœnices, Perſas, Syros, Aſſyrios, Arabes, Medos, Ægyptios, Æthiopes,* alioſque ejus ætatis populos, ſub jugum miſit. Tot victoriis elatus, *Africam* penetrat, inde in Septentrionem converſus, Iberiam, Pontum, & Thraciam fortiter domat. Ad Babylon-

Babylonici principatus magnitudinem acceſſit, ingens Eruditionis & Sapientiæ ſtudium, ſine quo, militare robur vacillat, nec diurna ulla poteſtas, quæ his columnis non fulcitur. Hinc ad Aulæ miniſteria nemo admiſſus, qui non liberalibus triennium impendiſſet diſciplinis.

II. *Daniel à præfecto Eunuchorum obtinet, ut ſolis veſcantur legum inibus.*

Ex captivis, quos *Joachimo* imperante, militaris furor Babyloniam abduxerat, quatuor, ut præmonui, memorantur, Chaldaicis nominibus *Baltaſar*, *Sedrac*, *Miſhac*, & *Abednago* nuncupati. Cùm autem Rex menſæ ſuæ eduliis eos curari præcepiſſet, *Daniel* paternarum Traditionum memor, ne ex gentilium victu polluereturur, *Aſphanem* Eunuchorum præfectum admonuit, ut miſſis Regiæ menſæ dapibus, ipſis Legumina, ac Palmulas in alimentum largiretur. Ille ex victus ratione, Corporis habitudinem præſagiens, ſibi inde exitioſam maciem conſecuturam cauſabatur, cui id negotii Rex dederat, ut lautioribus cibis veſcerentur. *Daniel* amplioris decoris vultus ex jejunio ſpondet, imo iis conferendos, qui regia dape onerabantur. Fides pollicitis adfuit, poſt decem dies, ita *Danielis* & Sociorum facies apparuit; ut aliorum vultui collata multo formoſior cerneretur. Igitur in palatio admiſſi, à Rege in honore habentur; omnibus ei proximis, Diſciplina, ac Rerum Divinarum intelligentia prælati.

III. A. M. 3401. A. Chr. 603. *Castissimam Susannam falsò adulterii accusatam, in Judicium reducit.*

Prudentiæ autem specimen *Daniel* duodennis adhuc puer exhibuit, dum castissima Conjuge, à præsenti letho vindicata, pœnam in Accusatores revocat. *Susannam* enim miræ pulchritudinis fœminam bini Senes depereunt, quam ut ad stuprum faciliùs adigant, solam conveniunt. In pomario absconditi, dum fontali aqua mulier corpus abluit, ex insidiis erumpentes, deprehensæ flagitium suadent, Amoris vim causati. Non acquiescenti calumniam minantur, cùmque perseveraret, deferunt in remotioribus horti locis, juvenem cum ea congressum, sed vigenti alacritate elapsum, Spectatorum manus effugisse. Fide Senibus addita, nam quis à Judicibus, populariumque præcipuis caveret? Die postero cœtus fit, & calumniantibus fortiter *Amasiis*, adducta in Judicium *Susanna*, saxis obruenda, secundùm Legis præscripta, damnatur. Jam ad supplicium misera ducebatur, cùm Daniel, Dei monitu, concionem moratur, & objurgatis Judicibus, quòd præcipites, noxæ expertem morti destinarent, in Curiam reduci postulat.

IV. *Senes proprio ore convictos, jure talionis populus interimit.*

Judæorum caterva, quæ cum convenerat, id Deo acceptum referens, quòd duodecim annorum puer, judicibus revocatis, causam denuo audiri instaret, in forum regreditur. Lite iterum *Susannæ* intenta, *Daniel*, quem inter se natu majores sedere concesserant, causam hoc pacto dirimere aggreditur. Utrumque testem de criminis

loco

loco ſeorſum ſciſcitatur, cumque ambo diſcreparent, & unus ſub una, alius ſub altera Arbore patratum ſcelus aſſereret, facilè ambo mendacii convincuntur. Concors eſt, ubi communio fit, malitia, ſeparata autem, fallacem ſe prodit. Quare mutatis vocibus, populus *Suſannam* adulterio abſolvit, & pœnam in falſos Senes retorquet. Sic ad flammas ducti, meritò cremantur, qui impudico amore turpiter arſerant.

V. A M 3401. A. Chr. 603. *Daniel Nabuchodonoſoris ſomnium aperit, & ejus declarationem inſinuat.*

Solertiam Nabuchodonoſor admiratus, Danielem impenſiùs colere cœpit; præſertim ubi Deo familiarem Viſionum intelligentia donari intellexit. Quod hoc viſu compertum habuit. *Statuam* per Soporem viderat, capite aureo, pectore & brachiis argenteis, æneo ventre, teſtaceis ſimul ac ferreis pedibus. Rex ſomnio perterritus, Univerſos Ditionis ſuæ *Ariolos* adſciſcit, rogati, ut non ſomnium modò interpretentur, ſed quid illud fuerit, explicent, contendunt, impervia eſſe mortalibus inſomnia; Eorum quidem eſſe Interpretes, non Divinatores. *Nabuchodonoſor* reſponſo irritatus, omnes ad necem velut impoſtores rapi jubet. Horum miſertus *Daniel*, Ariolis condonari efflagitat, ſomnii enuntiationem pollicitus. Die ſequenti ad Regem deductus, excuſatò quòd tantam molem conjectores refugiſſent, non humanæ opis eſſe hujuſmodi nodos ſuperare, quos ſolus rerum occultiſſimarum conſcius Jehova manifeſtos haberet, hunc

in modum locutus est. In cubili stratus ô Rex, per soporem, *statuam* intueri visus es, cujus caput ex Auro, pectus unà cum Brachiis ex Argento, Venter & Crura ex æreis laminis, Tibiæ ex ferro, Pedes demum ex luto terræ mixto conflati cernebantur. Cumque hanc Imaginem attentiùs observares, en lapis sponte decidens, impetu simulachrum in frusta extenuat, quæ mox in pulverem redacta, in auram avolarunt, sic ut nullum extaret tantæ molis Vestigium. En somnium, ô Rex, quo tantopere turbaris, liceat & mihi hujus sensum aperire. Tu illud aureum Caput es; Regum dominator à Deo constitutus, deteriora sequentur imperia, sed valida, postremum in pedes ferreos luteosque desinet, hoc est, ita dividendum, ut non magis quam cum luto Ferrum coalescet. Regem præterea Vates admonuit, post *Babylonicum*, *Persicum*, *Græcum* & *Romanum* imperia, quæ auro, argento, ære, ferro Deus designaverat, aliud demum successurum, quod omnia subvertet, dissipabitque.

VI. *Nabuchodonosor adorato Daniele, ejus Deum confitetur.*

Nabuchodonosor Numinis vim in Daniele agnoscens, in terram pronus *Prophetam* adoravit, victimisque immolatis, tanquam Deo mortali thus adoleri voluit. Agnito interim *Jehova* Judæorum Deo, qui solus rerum arcana scrutatus, rem abditam pandisset. Tum *Danielem* maximis muneribus donatum Babyloniæ præfecit, omniumque Chaldæorum ac Magorum Ephorum constituit. Ille autem

Urbis

Urbis præfecturam à Rege deprecatus, eam in *Hananiam*, *Miſaelem*, & *Azariam* populares ſuos transferri maluit, Regis gratia contentus: In cujus aula conſiliarii ſedem adeptus, Dei populo impenſiùs conſulebat.

VII.

A. M. 3417. A. Chr. 587: Godolia, quem Nabuchodonoſor Judæis præfecerat, ab Iſmaele occiditur.

Dum Daniel Regis conſilio præficitur, Sapienſque per univerſum Orientem audit; *Judæi* (inutilis ſervitio turba, & cui ne efferaretur, *Godoliam* præpoſitum Nabuchodonoſor reliquerat) iniquo animo ferebant, quod is etſi nullo inſigni Regio, ipſis præponeretur. Factio ab uno *Iſmaele* originem habuit, regia quidem ſtirpe prognato, ſed moribus improbis, & ad omne ſcelus parato. Ut cæteris gentis ſuæ calliditate præſtabat, facilè incautos Socios ad defectionem allicit, qui fortè lenioris, quam in *Godolia* experiebantur, indolis pertæſi, *Iſmaelem* complectuntur. Eorum decem ſtipatus juvenis, in Maſphata ad *Godoliam* profectus, convivio exceptum, ubi mero gravem, ſomnoque proximum vidit, inopinantem adortus, interemit. Mox facto in reliquos convivas impetu, penè temulentos, & fruſtra obluctantes opprimit. His perpetratis, ne ſaluti mora officeret, viam ad *Ammonitarum* Regem ingreſſus eſt. Tota *Maſphatenſium* plebe, cum *Zedeciæ* filiabus, quas Victor præpoſiti curæ commiſerat, miſerrimè abducta.

VIII.

Judæi veriti Nabuchodonoſoris iram, ob Godoliæ facinus, in Ægyptum fugiunt.

Godoliæ Amici, quos ipſi vitæ innocentia plurimos conciliarat, clade excepta, protinus ad arma proruunt, & adſcitis militiæ

militiæ Ducibus, cito gradu prædones insequuntur, facinus ulturi. *Ismael* viso discrimine, quem contraxerat exercitum dimisit, & non nisi cum octo comitibus, *Ammonitarum* fines attigit. Veritus autem populus, ne *Nabuchodonosor* paucorum flagitium in multitudine vindicaret (nam non Judæi modò, sed & Chaldæorum plurimi, promiscuis cædibus perierant) Ægyptum petendi animum inducunt. At prius *Jeremias* Vates consulendus videbatur, qui toties in discrimine constituto, oraculum expediverat. Is post decem dies, ad manendum in natali tellure suadet, ita Deo visum, qui à Babylonica sævitia incolumes eos pollicebatur. Sin verò pervicaces in Ægyptum profugerent, omnes ibi fame, morbo, ac demum Babyloniorum, quos tantopere horrebant, gladiis conficiendos. Sed imprudens populus, ac nondum tot malis domitus, spreto Prophetæ consilio, Divinum quoque aspernatus imperium, in Ægyptum demigrat. Ubi, Deo irato, gravibus ærumnis oppressi, partim neci dati, partim servitutem passi, penitus extinguuntur.

IX. *Tres pueri Hebræorum detrectantes statuam venerari, in ignem conjiciuntur.*

Ut audax est superbia, atque in dementiam non rarò labescit, *Nabuchodonosor* rebus prosperis insolens, *Colossum* in magno Babylonis campo, ex auro solido, cubitorum sexaginta erigit, omnibus eum venerari, ad Tubæ strepitum jussis. Cultum detrectantibus pœna erat, ut in ignem conjecti cremarentur. Babylonicas

seu

ſeu adulatione in principem, ſeu Ignis metu obſequentibus, tres Hebræi, *Ananias*, *Azarias* & *Miſael*, gnari ſoli *Jehovæ* Divinos honores deberi, flammis devorari, quàm patrias leges corrumpere maluerunt. Ergo Regis edicto, manibus pedibuſque vincti, in rogum conjiciuntur. Sed circa manus pedeſque innocuos temperatus Ignis novo libramine volvebatur, & tot circumvolans paſtus, ſola vincula conſumpſit; In ſævi autem operis miniſtros veluti furens, dum alacriùs mulctatos detrudunt, vim totam exerit. Mirum! inter pueros ſub Hominis ſpecie *Dei filius* cernitur, non indignatus cum pueris in ſupplicio numerari. Hunc attentiùs *Nabuchodonoſor* contemplatus, Deum ſpectaſſe ſe confeſſus eſt. Quare virtutem miratus, miſſis per omnem ditionem ſuam edictis, propalato prodigio, ſoli Hebræorum Deo deferendum eſſe honorem declaravit.

X.

A. M. 3434.
A. Chr. 570.
Nabuchodonoſor regno pulſus ad ſeptem annos.

Nihilominus quoniam Deitatis honorem Rex mortalis ambierat, ita dementatum Deus voluit, ut arbitrio cum principatú privatus, in terram velut mutum Animal pronus, vitam ageret. Diademate ſceptroque abjectis, in ſolitudinem receptus, gramine, *Quadrupedis* inſtar, veſcebatur, jumento potius, quàm Homini ſimilior. Dignus certè, qui ferino victu aleretur, qui Brutorum more, inter mortales vixerat. Septimo demum anno, Deo & ſibi redditus, à Bellua quàm à Rege modeſtior, imperium, Dei nutu, reſervatum recepit.

Dig-

Dignitati reſtitutus, ampliato Babylonicæ Urbis ambitu, *Euphratem* ei intercurrentem munivit, & utramque regionem ponte interjecto commiſit. Tortile ipſum flumen ut tranquilliùs delaberetur, operam dedit; Ducentis callibus ex Medis in Babylonem interſeptis, ne iis facilè aut ſuccinctum ad Urbem iter foret. In Regia, quam magnificam extruxit, ſaxeas moles fornicibus ſuſpendit, montium inſtar, variis Arboribus ſupernè conſitas, ſicque celebres illos penſiles Hortos abſolvit. Poſt abductum *Zedechiam*, vixit *Nabuchodonoſor* ſex & viginti annis, in univerſum quadraginta quinque, cùm potentiſſimum Judæorum Numen per omnes Ditionis ſuæ populos, colendum imperaſſet.

XI. *Evilmerodachus Rex Babyloniorum Jechoniam regno reſtituit.*

Babylonici Imperii gubernacula *Evilmerodachus* apprehendit, eo præconio efferendus, quòd per patris inſaniam occupata, eidem mentis compoti reſtituerit. Statim ab inauguratione, *Jechoniam* tam diuturnæ Captivitatis miſeratus, vinculis exemit. Indignum ratus, ut qui Hieroſolymitanæ Urbis deditione facta, Victoris fidei ſe permiſiſſet, longiori carcere detineretur. Damnum igitur penſaturus, multis muneribus oneratum, ſummo etiam honore affecit, eum cæteris Aulæ principibus anteponendo. Verum ob vitia & luxum ſubditis inviſus, à *Nerigloſſoro* Sororis ſuæ marito, per inſidias interfectus eſt, cùm rebus publicis operam biennio dediſſet.

decidisset. *Nerigloſſorus* annis quatuor imperium, vice filii ſui *Laboroſordachi*, capeſſit, qui cum tanto oneri par non haberetur, extincto patre, poſt nonum gubernationis menſem, à Regni proceribus, vita orbatus eſt; aſſumpto ad principatum *Baltazaro* Nabuchodonoſoris filio natu poſtremo.

XII.

A. M. 3466. A. Chr. 538. *Baltazarus in convivio cum pellicibus in vaſis ſacris bibens digitos in pariete ſcribentes videt.*

Baltazarus Cyri Perſarum Regis potentiam non ferens, *Cræſum*, cujus gloria per totam Aſiam ferebatur, ad infringendas annuli vires, commovet, & ne id præceps aggrederetur, Delphicum *Apollinem* conſulit, quem adverſus Perſas, belli eventum Dii deſtinarent: Sed ambiguè effatum cùm pro ſe interpretaretur, in Hoſtes exercitum cum fiducia ducit. *Cyrus* Cræſum primò adorſus, in fugam vertit, quis equis inſolenti Camelorum aſpectu exterritis. Mox *Babylonios* in acie victos in Urbem compulit. *Baltazarus* ſe intra mœnia tuebatur, Urbem ratus, quam viginti annorum commeatu inſtruxerat, inexpugnabilem. Ergo dies feſtos ſecurus agitans, luxui ac deliciis indulgebat. Camque pellicibus purpuratiſque, convivium adornaſſet, ſacra Deo vaſa, quæ Hieroſolymis *Nabuchodonoſor* attulerat, & quæ in Theſauris aſſervantur, produci jubet, ut Uxor, Concubinæ, Magnates, profanis uſibus inceſtarent. Ille temulentus ex eis vinum hauriebat, cum derepentè manum è cœnaculi pariete prominentem videt, certa verba ducentem. *Mane, Theul, Phares.*

Rex

XIII. *Detecta priùs à Daniele pernicie futura, Baltazarus interimitur.*

Rex ſpectaculo perterritus, cùm litteras nemo legeret, Magos *Chaldæoſque* accerſiri jubet: Hærentibus autem illis, nec quicquam ingerentibus, *Danielem* Regina meminit, Judæum celebrem, Vaticinii nomine clariſſimum, qui *Nabuchodonoſoris* ſomnium apertis ſignis detexerat, & ob eminentem ſapientiam, opibus ac honore cumulatum. Evocatus *Daniel*, verba luſtrat, excutit. Ob Regis flagitium, qui impias voces in Deum jactarat, & ſacris vaſis pollutis, vinum cum pellicibus indè ſumpſerat, jam excidium adeſſe: *Mane* inquit, vitæ tuæ brevitatem indicat; *Thecel*, appenſum pondus, regnum ad finem inclinans; *Phares*, idem conſciſſum, & propediem inter *Perſas* ac *Medos* diſtrahendum. Quod mox contigit; nam *Cyrus* obſidionis tædio, cùm Urbem vi inexpugnabilem cerneret, ſtratagemate uſus, in poteſtatem redegit. *Nitocris* Regina, ingentis operis ſtagnum, quadrincentorum & viginti ſtadiorum circuitu cavarat, in quod declinis *Euphrates*, aquis minuebatur, & ex egeſta telluſe, vallum utrique fluminis oræ condiderat. *Cyrus* eò imbecilliori exercitus parte deducta, reliqua agmina in procinctu conſiſtere jubet, ut exhauſto aquis lacu, Urbem per tenebras occuparent. Nocte media *Medi* ac *Perſæ* femorum tenus aquis immerſi, eam attonitam & inopinatam opprimunt, Babyloniis vino obrutis confertim trucidatis. *Gadatas* & *Gobrias* Tribuni amotis ferro pro-

propugnaculi cuſtodibus, Regem ipſum, Mucrone diſtricto, nihil ad ſui tutelam molientem, adacto per guttur acinace, perimunt. Cùm annis ſeptemdecim Babyloniis præfuiſſet. Quo extincto, Babyloniorum imperium penitus evanuit.

XIV. *Dario gubernante Daniel conſilio præficitur.*

Darius gente Medus, *Cyro* genero ſuo ita permittente, Regnum ditiſſimum obtinet, duos ſupra ſexaginta annos natus. Ipſe provectæ jam ætatis, & in otium propenſus, adminiſtrationis publicæ curam in *Perſas* quoſdam, ac *Medos* conſilio inſignes tranſtulerat. *Danielem* autem prudentiæ fama celebrem, duobus aliis in auxilium adjunctis, univerſo Imperio præfecit; quibus cæteri *Satrapæ*, centum & viginti numero, adminiſtrationum rationes reddere tenebantur. Illi primarium honorem *Danieli*, Judæo, ac Peregrino deferri, iniquo animo ferebant. Num ſat fuerat *Ariolum* purpurea veſte, aureoque torque à Baltazaro donari? Quid in Homunculo *Darius* comperiſſet, ut tanquam Numini blanditus, dictanti, conſulenti, præcipienti pareret? Invidia perciti, Regem, ſolita principum oſtentatione facilè deluſum inducunt, ut proximis triginta diebus, ſibi honores Divini tribuerentur, neque cuiquam fas eſſet, niſi ipſum adorare. Facilè *Darium* in hanc ſententiam alliciunt, Regum penè omnium faſtu, qui ſibi Divina arrogant. Lege etiam promulgatum, ut ſi quis intra id temporis ſpatium, ſeu Deum, ſeu quemquam Mor-

Mortalium precaretur, in foveam præceps, Leonibus discerpendum dimitteretur.

XV. *Daniel quia Deum orabat, in lacum Leonum missus, post eductus, immissis ac dilaniatis ejus accusatoribus.*

Daniel gnarus non Homini, sed Deo soli preces esse deferendas, *Jehovam* de more, converso Hierosolymas versus obtutu, in genua prostratus veneratur. Hoc viso, Æmuli, *Danielem* apud Regem deferunt, quòd contempto decreto, Judæorum Numen colere sit ausus, & ingenti jurgio, supplicium nupera lege sancitum, reo deposcunt. Diu obluctante *Dario*, demum pervicere Principes, ut in Belluarum Lacum projiceretur. Die postero, occlusum sigillo suo antrum *Darius* reserans, ubi *Danielem* incolumem illæsumque invenit, magna Voce ad egressum compellit: mox detecto livore, Accusatores præcipitari imperat, qui non simili exemplo perfuncti sunt. Nam continuò Leonum unguibus discerpti, eorum famem expleverunt. Danielis æmulis condicto fato sublatis, Rex veteri edicto aliud superaddidit, non alium imposterum esse in sua ditione, quàm Judæorum Deum adorandum, quem solum uti piis benignum, sic improbis infestum agnovisset. Quibus peractis, aliquanto post, mortalitatem explevit, devoluto ad *Cyrum* Sororis filium & generum imperio. Daniel interim uti antea vaticinio illustris, sic postmodum prodigio clarior, apud omnes evasit.

Pro-

Prodeunt nunquam finem habituræ visiones ejus, quibus consequentium seculorum seriem, cœlitùs sibi patefactam, satis apertè delineavit, quas primo & tertio Baltazaris anno, vidisse se mentionem facit. In iis quoque Annorum numerus exponitur, intra quem, *Christus* Dei filius, carne assumpta, uti factum est, descensurus in terras erat; *Antichristus* etiam, qualis futurus sit, ibi fusè describitur. Quæ omnia sub *Dario*, à Deo obnixè contendens, Angelo revelante, didicit.

XVI. *Danielis Visiones sequentium seculorum ordinem detegunt.*

Eo temporis tractu, *Beli* Idolum, Danielis opera, excidisse sacer Codex memorat. Id enim antiquissimi Regis simulachrum, Hominum superstitione sacratum, inter Babylonios, in honore habebatur. Dubium, an id *Cyrus* adoraverit, cùm Solem coleret; *Evilmerodachus* igitur, Sacerdotum præstigiis deceptus, quasi Imago cibo ac potu uteretur, *Danielem* percunctatur, quorsùm Babyloniorum numen despiceret, cùm in eo viventis Dei vestigia cernerentur. An vitæ expers diurnam pensationem, quæ inferebatur, valet absumere? Hominis errorem *Daniel* ridens, id fieri posse inficiatur, ut ex ære statua, & bruta materies alimento fulciatur. Accersi ergo Rex *Antistites* jubet, septuaginta numero, terrore incusso, pallentes, increpat, quis impensa consumeret? Illi, cibis illatis, templum regio sigillo obsignari efflagitant, quatenus ii omnia, die sequenti, absumpta non deprehende-

XVII. *Ut Beli Idolum à Daniele destructum.*

rentur, adacta morte, pœnas penderent. *Daniel* viciſſim contendens, ab inſenſibili ſimulachro quicquam patrari poſſe, eandem pœnam ſibi rependi popoſcit, ſi quid abſumeret. Signo igitur à Rege appoſito, Templum obſignatur, cùm prius Daniel, Sacerdotibus eò exire juſſis, pavimentum pulvere aſperſiſſet, ut occultos ingredientium aditus, veſtigia proderent. Die deſignato, Rex introgreſſus, quæ effigiei apponi juſſerat, abſorpta reperit. Tum *Daniel*, dolum, veſtigiis prodentibus, detegit, Sacrificos cum conjugibus & filiis, ſuffoſſo introitu, Templum penetrantes, exhibitam annonam exhauſiſſe. Sic omnes, Regis imperio trucidati, fanum ac *Beli* Idolum ejus poteſtati derelictum, poſtea funditus evulſum eſt.

XVIII. *Cyrus Perſarum Rex poſt Judæorum captivitatem, Jechoniam imperio reſtituit.*

Elapſis demum poſt abductum *Jechoniam* ſeptuaginta annis, *Cyrus* Perſarum Rex, totius Orientis imperio potitus eſt, ducto à Babyloniorum ruina initio. Nam illi exempto tunc mortalibus *Dario*, in ejus poteſtatem conceſſerant; quemadmodum ab *Iſaia* Hebræorum prænuntio, ducentos ante annos, portenſum fuerat. Is ſiquidem bonis auſpiciis principatum inturus, cùm *Judæorum* Deum, ob ſummam potentiam, colendum eſſe duceret, Decretis in publicum emiſſis, ipſis natale ſolum repetendi copiam fecit, ſacris etiam vaſis, quæ *Solomonis* Templo *Nabuchodonoſor* exportarat, reſtitutis. Mandato addito, ut ædes ſupremo Numini ſumptibus

ejus

ejus instauraretur. Sunt qui referunt, non nisi paucos patriæ amorem agitasse, cùm tamen ex Historiarum cultoribus constet, duo & quadraginta Hominum millia, *Jesu* Sacerdote, & *Zerobabele* Jechoniæ nepote Ducibus, Hierosolymas perveniſſe, qui beneficii conscii, Altaribus Deo liberatori erectis, sacra peregerunt.

XIX. A. M. 3475. A. Chr. 529. *Cyri amici templi ſtructuram aggrediuntur.*

Anno proximè sequenti, Templi structuram, jactis fundamentis aggrediuntur, Regis amicis Auro, Argento, imo pecoribus vota solventibus. Cujus ædificii incunabula, qui vetustum non viderant, cum tripudio, qui viderant, cum mœrore contemplabantur. Sed Judæorum rebus, ob gliscentia finitimarum gentium odia, turbatis, imperfectum opus constitit, præsertim ubi Cyri mors innotuit, qui equo, dum contra Scythas decertat, lapsus, infido ab Indo miliæ vulnere, miserè occubuit.

XX. A. M. 3475. A. Chr. 529. *Cambyſes Cyri filius in regnum ſucceſſit.*

Cambyses Regni administratione susceptâ, *Judæorum* cœpto obstitit, fortè veritus, ne data Urbis Templique restituendi copia, resumptis viribus Judæi, ob assuetum dominandi ingenium, jugum excuterent. Ita *Syriæ* præsides, ita finitimæ gentes suggerebant. Quo probato consilio, inhibita Urbis ædificatio, usque in secundum Darii Regis annum prorogata est. Sed *Cambyses* dum ad sedandos ortos *Susis* motus festinat, ense, dum Equum conscendit, sponte evaginato, femori vulnus infligit, quo postmodum occubuit. Efferato animo Princeps, qui ubi Ægyptiorum

tiorum Religiones aſpernatus, Nobiliſſimum *Ammonis* Templum expugnavit, fratrem ne ſuccederet, interfici juſſit; demum *Sororis* nuptiis, mox ſanguine fœdatus, ſacrilegii ac parricidii pœnas luit. Sexennio regnavit, ſi primum illius Dominationis annum, quem cum patre communem habuit, numeres.

XXI. A. M. 3483. A. Chr. 521. *Magus qui pro fratre Cambyſis habitus regnum invadit.*

Poſt Cambyſis mortem, *Artaxerxes* natione Medus, ſe Sinerdim Cyri fratrem mentitus, imperium invadit. Erat enim vultu, & corporis lineamentis ſimilis, ac nemine à *Camari*, Cambyſis juſſu, interfectum ſuſpicante, Rex conſtituitur. Populi gratiam conciliaturus, vectigalia in triennium remiſit; ut Regnum, quod fraude adeptus erat, indulgentia ac largitionibus tueretur. Epiſtolæ ab Aſſyriis mittuntur, in *Judæos* ferociùs inſultantes, qui *Cyri* patrocinio plus æquo fulti, ad Templum reſtituendum convenerant. *Artaxerxes* ſententiæ ſuffragatus, mandat ut à cœpto opere Artifices abſtineant, non minùs Judæorum proſperitatem, quàm *Jehovæ*, quem ipſi venerabantur, potentiam extimeſcens. Jam ipſi Perſarum Principes Cambyſis fratrem ſibi dominari arbitrabantur, cùm *Othani* viro nobili, & in conjecturis ſagaciſſimo res ſuſpecta fuit. Itaque per filiam, quam inter Regis pellices habebat, rei veritatem expiſcatur. *Artaxerxi* quondam privato *Cyrus* ambas aures avelli juſſerat, à pellice per ſoporem contrectatus, auribus orbus deprehenditur.

prehenditur. Res hoc indicio prodita, ad Regni Primores defertur, qui in Tyranni cædem impulsi, Religionis ſacramento obſtringuntur. Septem tantùm conjurationis conſcios fuiſſe conſtat, qui non concèſſo ad pœnitentiam ſpatio, acinace veſtibus obtecto, ad aulam properant, ubi excubitoribus interfectis, ad *Regem* perveniunt, cui ne animus etiam defuit. Nam ſtricto enſe, unius femur, alterius oculum vulnerat. Sed à cæteris circumſeptus, per corpus transfoditur. In hoc facinore, *Gobriæ* & *Darii Hyſtaſpis* virtus maximè enituit, quibus ſuadentibus, reliqui Magi pari ſorte mactantur.

XXII. A. M. 3485. A. Chr. 519. *Darius Equi hinnitu Rex factus, Templi Hieroſolymitani ædificationem promovet.*

Perſico principatu à fictitii Regis dolo exempto, de alio inter Proceres creando agitur; præmiſſo fatali Imperii omine, ut cujus Equus, *Sole* emergente, *Hinnitum* ederet, Rex haberetur. Quippe Perſæ Solem ut Numen venerantur, cui ſacratos eſſe Equos autumant. Ibi *Darii* equus Equæ cupidine, pridie famuli induſtria admotus, pernici hinnitu Regni auſpicium dedit. *Darius* igitur ex fratre patruele Cyri natus, à collegis ſalutatus, in bene meritos, imperii incunabula pietate firmavit. Nam deſtructis fictilium Deorum ſimulachris, *Satrapis*, quibus rerum adminiſtrationis curam detulerat, præcepit, ut Hieroſolymitani Templi ædificationem, Cyri prædeceſſoris morte interruptam accelerarent, efficerentque, ut in promptu eſſent impendia. Acceſſit *Aggæi* & *Za-*

chariæ Prophetarum ſtudium, quorum admonitione ac hortatu, ſacra Ædes, quæ ſeptuaginta annis, cineribus ſepulta jacuerat, quadriennio conſummata ſurrexit, anno *Darii* ſecundo. Quod ubi Judæi conſpexere, veras *Jeremiæ* prædictiones agnoverunt, nec ſine lachrymis prius Templum cum ſecundo conferebant. Populo *Zerobabel* ex Davidica, & *Jeſus* ex Aaronis ſtirpe orti prælati ſunt, iidem, qui Judæos ante annos undeciati, è Babylonia in patriam reduxerant.

XXIII. A. M. 3519. A. Chr. 485. *Xerxes poſt Cyrum quartus Rex Perſidis.*

In eo ſtatu res Judæorum erant, cùm Darius adhuc ſuperſtes imperium in *Xerxem* transfert, *Artabazane* licet majori natu contempto, in illo utpote ex Cyri filia prognato, matris originem veneratus. Is patris propoſitum ſecutus, ter vicies centenis armatorum millibus *Græciam* aggreditur. Qui exercitum non numero, ſed ſpatio metiebantur, referebant ejus tranſitu flumina exhauriri, & Terras pelago pontibus conjungi debere: ſic ut *Græciam* ſubacturo, vix eam tantæ multitudini capiendæ ſufficerent. Nihilominus adeo formidabiles copiæ imbecillioribus ceſſere, fœdo in *Græciam* introitu, diſceſſu turpiori. Cœlo enim velut in Regem ſuperbum furente, quadringentæ Naves ad *Magneſiam*, tempeſtatis ſævitia, ſubmerguntur. Mox *Lacedæmonii*, Leonida duce, Thermopylarum anguſtias occuparant, atque trecentis militibus Hoſtes propemodum innumeros triduo ſuſtinentes, viginti millia ceciderunt, donec

donec undique circumventi, non tam victi, quam vincendo fatigati, perimuntur. Demum pugna cum Graiis in Salaminii freti anguſtiis renovata, victus Rex Navi piſcatoria trajectus, fugam capeſſere cogitur.

XXIV.

Par inter *Judæos* ac Græcos fortuna, quæ ut hos à Servitute, ſic illos ab extremo interitu eximit. Agebat in *Xerxis* aula *Hamanus*, Gente Amalecita, Regi inter paucos charus, quem ſibi penè poteſtate æquatum, ab omnibus regio more adorari præceperat. *Mardochæus* Iſraelitis oriundus, & Divini potiùs quàm humani juris obſervator, intolerandum faſtu Hominem honore proſequi faſtidiebat. Contemptu exacerbatus *Hamanus*, in Judæorum perniciem intentus, Regem adit, in ejus ditione certum Hominum eſſe genus denuntians, ſuperſtitionibus mancipatum, & ob id non minùs Deo, quàm Mortalibus cæteris inviſum. Quid æquius quàm incolas patriis legibus averſos internecione delere? præſertim ubi ex eorum bonis immenſæ opes fiſco regio accedunt? Id facilè Barbaro perſuaſum; qui Judæos ſtato die ad necem adigendos pronuntiat. *Mardochæus* ubi edictum intellexit, capite cineribus aſperſo, dilaceratiſque veſtibus, ad *Eſtherem* Reginam ex Tribu Benjaminitica *Judæam*, & ipſi olim pupillam pergit, apud quam multo ejulatu, cuncta quæſtibus complens, facinus abominandum, *Judæorum* gentem ſceleris omnis expertem, brevi medio tollendam, tecta etiam tantæ ſævitiæ cauſa.

A. M. 3405. A. Chr. 599. *Hamanus à Rege evectus indignatur quòd ſolus Mardochæus non adoret.*

XXV.

Esther pro sua & populi sui salute precatur, Hamano in Cruce affixo.

Esther Regina lugentis sermone concussa, more neglecto, quo ad Regem accedere nisi accersitæ licebat, Dei ope implorata, Regis aulam penetrat, & delenito priùs blandimentis muliebribus ejus animo, *Hamani* mortem flagitare audet, qui Judæorum genti infestus, perditam cupiebat. Ille etsi nihil se petenti negaturum fuisset pollicitus, Amicitiæ tamen, qua *Hamanum* complectebatur, memor, tantillum cunctatus, velut deliberaturus decessit. Interea *Hamanus* audito discrimine, Reginæ genua complexus, mortem supplex deprecabatur; quem ut Rex reversus deprehendit, ira incensus, & Reginæ vim inferentem perstrepens, vitam temerario eripi imperat. Quis aulam tragicum Theatrum non credat, in quo fortuna Alumnos suos, diu honoribus saginatos, insperata crudelitate necat, & in altum evectos præcipitio collidit. Cùm Regi innotuisset præparatam fuisse Mardochæo crucem, eidem Hamanum affigi voluit, omnibus ejus bonis *Mardochæo* addictis. Imo ereptum *Hamano* annulum, ei tradidit, nec multò pòst, omnis ejus dignitas, in *Mardochæum* exonerata, secundum à Rege instituit. Sic clade in machinatoris caput retorta, Judæi à præsenti pernicie absolvuntur.

XXVI.

A. M. 3531.
A. Chr. 473.
Artabanus Xerxem in lecto jugulat. Mox ab Artaxerxe occisus.

Xerxes Olympiade octava supra septuagesimam elabente, cùm ultra viginti annos Persis, vario rerum eventu præfuisset, Bello in Græcia infeliciter gesto, à

suis

ſuis vilis haberi cœpit. Quo facilè cognito, *Artabanus* corporis cuſtos, ſpe regno potiundi allectus, conſciis ſeptem filiis, Regem in cubiculo repertum interficit. Funeri *Darium* natu maximum, qui voto obſtabat, addidit. Eodem fato *Artaxerxes* involvendus, ni cognitis, per *Baccabaſſum*, quem in concilii ſocietatem *Artabanus* aſſumpſerat inſidiis, impendens malum avertiſſet. Exercitum igitur recogniturus, armatum eſſe jubet, aderat & inter cæteros *Artabanus* armis inſtructus, capite lorica tecto, qua Regis juſſu velut ad commutationem cum ſua, quam breviorem fingebat, gladio parricida trajicitur. Tum correptis ejus filiis, inſignis Adoleſcens, Patris, Fratriſque necem ultus eſt.

XXVII. *Artaxerxes Longimanus Judæas res multum promovet.*

Jam annos penè ſeptem *Artaxerxes* Longimanus ita à dextræ prominentia vocatus, regnaverat, cùm *Eſdram* Sacerdotem, atque rerum Divinarum ſcientia inclytum, in Judæam cum diplomatibus dimittit, quibus jus patriam repetendi Judæis faciebat, receptiſque à *Moſe* legibus utendi: magnum affulſit Libertatis argumentum, facta *Eſdræ* poteſtas, Judices ex Hebræis ſeligendi, qui popularium cauſas decernerent, & Rempublicam ſecundùm Divina præcepta adminiſtrarent. Hoc beneficium largitione auxit, Sacerdote, quem cum mandatis ablegaverat, ſexcentis & amplius Argenti talentis, Auri centum, vaſiſque ex utroque metallo elaboratis

elaboratis donato. Juſſit inſuper, ut *Regionis* Præfecti, Legato potenter adeſſent, ejuſque conatus opibus ac præſidio promoverent. Ut *Eſdras* cognovit Judæos peregrinarum gentium connubiis fœdari, facinoris reos acrioribus verbis caſtigans, iniquis pactionibus renunciare jubet, abjectis è profano congreſſu Liberis. Paruit extemplo populus, ad veteris Religionis juſſa haud ægrè relapſus.

XXVIII. A. M. 3550. A. Chr. 454. *Nehemias reſtituendæ Jeroſolymæ poteſtatem obtinet Anno Artaxerxis* 20.

Eſdræ *Nehemias* in legatione ſucceſſit, natione Judæus. *Artaxerxi* pincerna, & obſequiorum merito ei cariſſimus. Babylone agens, populares de Hieroſolymitanæ Urbis ſtatu ſciſcitatus, ubi adhuc ruinis eam ſubſterni excepit, velut conſilii impos, in lachrymas effuſus, in gentis ſuæ peccata retulit, quòd patria tot beneficiis cœlitùs olim cumulata opprimeretur. Dejectum præter ſolitum cùm *Rex* cerneret, de mali cauſa percunctatur, ille cum gemitu, diuturnam Urbis cladem lamentari reſpondit, quæ ducentos jam & ſexaginta propè annos humi ſtrata jaceret, in gentis opprobrium: proficiſcendi, ac ejus reſtituendæ veniam concederet, Rex voto lubens annuit; ſecurus militum præſidio abiret, datis inſuper ad provinciarum præſides litteris, ut miniſtro opem ferrent, præbitis ad tanti operis ædificationem neceſſariis. Urbem ingreſſus, populo penſa diſtribuit, cunctis ſumma alacritate juſſa exequentibus. *Arabes*, *Ammonitæ* aliique finitimi, opus remorari, militum incurſu conantur,

conantur, ſed fruſtra; nam *Nehemias* tanta celeritate muros abſolvit, ut non amplius præſidiis ad ſuos tuendos indigeret. Ergo Urbis interiora aggreſſus, domos pro familiarum numero aſſignat. Par enim tantæ moli populus non erat, cùm non plura quinquaginta millia promiſcui ſexus ſupereſſent, cæteris aut bello vel ſervitute inter *Parthos*, *Medos* & *Æthiopas* oppreſſis.

XXIX. *Nehemias ob conſtantiam in Urbe reparanda, Urbis conditor audire meruit.*

Incœptum à *Nehemia* opus, à Deo miraculis inſignitum, memoriæ proditur. Ignis ſiquidem cœlo delapſus, victimam abſumpſit; & Arca ſacrum Judaicæ Religionis penetrale, cum Tabernaculo & ara incenſi poſt plurimorum annorum curriculum, quam *Jeremiæ* cura, reconditi fuerant, reperta ſummam attulere Judæis lætitiam, ex Divino munere, Divitiæ opis inſtaurationem ſperantibus. Enimvero, tanta alacritate, animique conſtantia, Urbem reparavit, ut ejus conditor, novuſque patriæ parens merito audiat.

XXX. A. M. 3348. *Ochus aggreditur omnia regna & populos vaſtare.*

Judæis antiquis ſedibus reſtitutis, *Ochus*, ſeu ut aliis placet, *Darius Nothus*, quòd è pellice procreatus eſſet, appellatus, ut inimiti indole, Bellique avidus, arma *Medis*, necdum Urbis, aut rerum ſtatu compoſito, infert, Regemque *Arphaſadum* proſpero eventu, acie conſligit, Rege perempto, gentem in poteſtatem redegit. Quoniam vero Hiſtoricis controverſum eſt, an hæc geſta *Aſſaradino* Sennacharibi filio, qui plurimos in Samariam Colo-

nos

nos deduxerat, an *Oſnapharo* quem Holofernem ſacer textus nominat, aſſignanda ſint, quæ hac de re *Sulpicius Severus* ſentiat, referre non pigebit. *Ochus*, inquit, Perſarum Rex, idem reliquis Nationibus fecit, præmiſſo *Holoferne*, quem militiæ principem delegerat, cum millibus peditum centum & viginti, Equitum duodecim. Is Cilicia & Arabia Bello vaſtatis, multas Urbes aut vi capit, aut ad deditionem metu compellit. Jamque Damaſcum admotus exercitus, Judæos ingenti terrore perculerat; ſed ad reſiſtendum impares, neque ad deditionem acquieſcentibus animis, expertis quippe uſque ante Captivitatis mala, ad templum frequentes concurrunt. Ibi communi gemitu, permixtoque ululatu, Divinum auxilium implorant: ſatis ſe Domino, ob peccata vel crimina pœnarum dediſſe: reliquis ſaltem ſervitio nuper exemptis parceret.

XXXI. *Accitor admonet Holofernemne temerè Iſraelitarum gentem aggrediatur.*

Holofernes interim *Moabitis* in deditionem acceptis, atque adverſus Judæos in belli ſocietatem aſſumptis, cum ab eorum principibus inquireret, quibuſnam viribus freti Hebræi deditioni animos non applicuiſſent; *Accitor* quidam comperta ediſſerit. Judæos Dei cultores, pio à patribus ritu inſtitutos, olim in Ægypto ſervitium pependiſſe: inde Divino munere eductos, ac ſiccatum Mare pedibus emenſos, poſtremo omnibus Gentibus devictis, habitatas majoribus terras recepiſſe. Exin vario rerum ſtatu floruiſſe, aut concidiſſe, ſecundùm

ecundùm merita iratum aut placatum Deum viciſſitudine expertos, dum peccantes incurſionibus Hoſtium, aut captiuitatibus coercerentur, propitio Numine ſemper invicti. Cæterùm ſi præſenti tempore abſque peccato ſint, nullo modo poſſe eos ſuperari: ſin aliter ſe habeant facilè vincendos.

XXXII. *Accitor jubetur ab Holoferne in Bethuliam duci, ut ea capta, cum cæteris puniatur.*

Ad hæc Holofernes multis victoriis ferox, nihil ſibi invictum ratus, ira accenſus, cur ex peccato potiſſimum Judæorum ſalus victoria pendere putaretur, propellit *Accitorem* in Hebræorum caſtra jubet, ne cum his periret, quos vinci non poſſe affirmaverat. Ac tum *Judæi* montes peterant. Ita quibus id negotii datum, ima montium ſucceſſere, ibique vinctum *Accitorem* reliquerunt. Quod ubi Judæi animadvertunt, vinculis exemptum in collem perducunt. Cauſas rei quærentibus, geſta exponit: receptuſque parem exitum opperiebatur. Is poſt victoriam circumcaſus, Judæus factus eſt.

XXXIII. *Judith a penetratis hoſtium caſtris ad Holofernem ducitur, qui ejus amore capitur.*

Igitur *Holofernes* difficultate locorum comperta, quia adiri præcelſa non poterant, montes militibus circumdat, & ſumma cura Hebræos aquationibus prohibet: eoque maturiùs obſidionem ſenſere. Itaque aquæ penuria victi, ad *Oziam* principem concurrunt, proni omnes ad deditionem. Ille vero pauliſper opperiendum, & Divinum auxilium expectandum reſpondens, quinto demum die, Deditionis tempus conſtituit. Quod ubi *Judithæ* compertum

pertum, quæ viro vidua, opibus prædives, ſpecie inſignis, ſed moribus quàm vultu illuſtrior, tum in caſtris erat, arctis ſuorum rebus, etiam certo ſibi exitio audendum aliquid & tentandum rata, caput comit, & vultu ad illicebras compoſito, comite ancilla, Hoſtium caſtra, quæ *Bethuliæ* erant, ingreditur. Statimque ad *Holofernem* deducta, perditas res ſuorum memorat, ſe transfugio vitæ conſuluiſſe. Deinde à Duce poſcit liberum extra Caſtra nocturno tempore egreſſum, orandi gratia. Mandatum id vigilibus portarumque Cuſtodibus. Sed ubi per triduum egrediendi ac redeundi conſuetudinem ſibi, Barbaris fidem fecit, *Holofernem* cupido inceſſit Dedititiæ corpore abutendi. Etenim forma excellenti *Perſam* facilè permoverat. Ita ad Ducis tentorium per Baguam Eunuchum deducitur, initioque convivii Barbarus multo ſe vino obruit. Tum remotis miniſtris, priuſquam vim mulieri inferret, ſomno captus eſt.

XXXIV. *Judithapræciſo Holofernis capite, caſtris egreſſa Bethuliam revertitur.*

Juditha tempore arrepto, Caput Hoſtis deſecat, ſecumque aufert. Et cum ſecundùm conſuetudinem, caſtris egredi crederetur, incolumis ad ſuos regreſſa eſt. Poſtero die, caput *Holofernis* de ſuperioribus oſtentantes, eruptione facta, ad caſtra Hoſtium pergunt. Tum vero Barbari ſignum pugnæ poſcentes, tabernaculum Ducis frequentes aſſiſtunt. Ubi truncum corpus repertum, fœda formidine in fugam verſi, terga hoſtibus præbuerunt. *Judæi* fugientes

gientes perſecuti, cæciſque multis millibus, caſtris ac præda potiti: *Judith* multis laudibus celebrata, centum & quinque annos vixiſſe traditur. Hæc *Ochi* Regis, ut opinamur geſta ſunt, anno imperii ejus duodecimo.

Ocho à *Bagua* venenis ſublato, *Arſaces* filius imperium adipiſcitur, qui ob Avi virtutem *Artaxerxis* nomen, & ex memoriæ felicitate *Muemonis* cognomen ſortitus eſt. Sed illo etiam poſt, ob filii mortem, quam ipſemet nimium ſævus conſciverat, mœrore extincto, *Darius Codomanus* Ochi paruelis, ex Armeniæ præfectura, ad Persicum regnum producitur. Hunc Alexander magnus bello laceſſivit, ab eo antehac ob Adoleſcentiam contemptui habitus. Nam non niſi viginti annos natus erat, cum Philippo patre occiſo, Macedoniæ imperium ſuſcepit. Sed ſupra hominem animo elatus, poſtquam proſtratis acri prælio *Thebanis*, ipſas etiam Thebas antiquam *Tyriorum* Coloniam excidit, *Aſiam* cogitat, in cujus ingreſſu Milites à populatione prohibet, rebus parcendum præfatus, quas non perdituri, ſed poſſeſſuri venerant. In exercitu triginta & duo peditum millia fuere, quatuordecim Equitum, naves duæ & octoginta. Hac exigua Armatorum manu, non *Aſiam* modò, ſed & univerſum terrarum Orbem aggredi auſus eſt.

XXXV. A. M. 3600. A. Chr. 404. *Arſaces Ocho ſuccedit; Arſaci Darius, quem Alexander magnus laceſſit.*

Darius

XXXVI. A. M. 3670. A. Chr. 334. *Alexander Darium iterato prælio vincit.*

Darius è diverſo, copiarum fiducia, quicquam aſtu adoriri negligit, furtivam Victoriam dedignatus. Quare hoſtem, quem in Regni confiniis arcere poterat, intra ejus viſcera irrumpi paſſus eſt, glorioſius ducens, aliquantulum progreſſum repellere, quàm non admittere. Sed commiſſo ad Granicum Amnem prælio, victus *Darius*, confidentiæ pœnas luit. In Perſarum acie ſexcenta Militum millia numerabantur, quæ non minùs *Alexandri* Ducis arte, quàm Macedonum fortitudine, in fugam vertuntur. Victores tergis inſiſtentes, viginti duobus millibus ſtratis, parem vivorum numerum capiunt, quincentis duntaxat ex Macedonibus deſideratis. Poſt victoriam, *Mileto* & *Halicarnaſſo* expugnatis, tota litorali Aſia uſque ad *Ciliciam* Alexander potitur, contra quem *Darius*, peditum quadrincentis, centum Equitum millibus, in aciem procedit, at non in illa congreſſione felicior, qui vulnere accepto exercitui perturbationem ingeſſit. Equites enim in fugam acti, peditibus obluctandi vim abſtulerant, qui impetui ſuſtinendo impares cedunt, cædunturque. Inter captivos, *Darii* Uxor ac Mater, filiæ duæ nubiles erant cum filio ſexenni.

XXXVII. A. M. 3681. A. Chr. 323. *Parcit Alexander Hieroſolymis, poſt veneno extinctus.*

Dario victo, exutiſque imperio Perſis, *Alexander* in Syriam tendit, qua brevi ſubacta, multiſque Regibus in tranſcurſu in deditionem receptis, *Hieroſolymas* obſidione cingere parat, quod

Jaddus

Jaddus Pontifex Tyro exercitum applicanti obſequium negaſſet, fidem Dario juratam prætexens. *Judæis Jehovam* liberatorem impenſè invocantibus, per ſomnum Pontifex admonetur, ut Civitatis portas victori reſeret, obvioſque Macedones infulatus excipiat. Progreſſus itaque obviam ſacerdotali veſte indutus, adeò *Alexandri* animum perculit, ut Dei *Cidari* nomen in terram pronus veneraretur. Nam eum ſub tali imagine in ſomniis ſibi, dum adhuc in Macedonia ageret, apparuiſſe aſſeruit, Europæ, Aſiæque imperium ſpondentem. Quare ſacrificiis Deo vero peractis, *Templo* dona intulit, ac Judæos ſui juris eſſe, ac patriis legibus uti permiſit. Sed tantus orbis terrarum Domitor, veneno ab Antipatri filiis. Olympiadis criminationes pertimeſcentibus dato, Babylone extinguitur. Exactis jam duodecim Imperii annis, Menſibus ſeptem, vitæ anno ſupra trigeſimum tertio. Fatali hora imminente, ſciſcitantibus, Amicis quem regni hæredem relinqueret, reſpondit, *omnium eximium*, & ut talem deſignaret, exemptum digito annulum *Perdiccæ* tradidit. Haud tamen illud Amicorum diſſentionem compeſcuit, qui varias Regiones ſortiti, dividere maluerunt, quod neminem capere totum poſſe exiſtimabant. Sic *Ptolomæus* Ægyptum, occupat, Aſiam *Antigonus*, *Seleucus* Babylonem cum annex-

is gentibus, *Lysimachus* Helleſpontum, Macedoniam *Caſſander*, quamvis Aridæum fratrem, Herculem filiolum *Alexander* reliquiſſet.

HISTO-

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Octavus.

De Summorum Pontificum Gubernatione.

I.

A. M. 3684. A. Chr. 322. *Respublica Judaica à Pontificibus denuo administrata, à Ptolomæo Sotere occupatur.*

DIu ante *Alexandri* fatum, Judæis ſummos Pontifices præfuiſſe conſtat; apud quos pro more receptum, Sacerdotio Imperium nectere, & eos ſibi præponere, quorum præ cæteris Juſtitia elucebat. Quippe *Nehemiam* defunctum *Joiades* exceperat, Rempublicam annos viginti ſub *Dario Notho* moderatus. Mox *Jonathan*, Artaxerxi Mnemone regnante, adfuit annis quadraginta, cujus partes *Jaddus* ſuſcepit, Alexandro terror, dum ſe ſacerdotali habitu conſpiciendum exhibuit. Demum res in *Oniam* Sacerdotem Jaddi filium, vitæ integrum, ac ſanctitate inſignem devoluta, *Ptolemæo Lagidæ* gentem illam divexandi anſam præbuit. Nam ubi Laomodonte Aſſyriæ præfecto, vinculis tradito, univerſam Syriam ac Phœnicem ditioni

ſuæ adjecit, *Hieroſolymam*, velut ſacrorum gratia, Sabbatho ingreditur, Judæis non arcentibus, quod nihil hoſtile ſuſpicarentur, die præſertim otio & quieti dicata. Ita captos præſtigiis Judæos partim in Ægyptum deportat, partim Alexandriam miſſos, pari cum Macedonibus jure, eam colere ſinit.

II. A. M. 3721. *Philadelphus Ptolemæo ſuccedens egregiam Alexandriæ Bibliothecam inſtituit.*

Sed paterno Africæ & Cypri imperio ſuccedens *Philadelphus*, id à Græcis ſortitus nomen, quòd *Aſinoen* ſororem in Matrimonio haberet. Judæos poſt exploratam eorum fidem, à ſervitute liberavit, dato eis in patriam revertendi arbitrio. Ejus dignitati acceſſit, quod *Ariſtotelem* Philoſophum, qui primus Bibliothecam congeſſiſſe fertur, imitatus, à patre inchoatam Bibliothecam, Demetrii conſilio inſtruxit, tanquam Scientiarum omnium Gazophilacium. Ut eam Divinis Judaicæ gentis ſcriptis etiam decoraret, duos & ſeptuaginta Interpretes ab *Eleazaro*, qui tunc Pontificis munere fungebatur, obtinuit, quorum induſtria, *Judæorum* Lege ac Prophetis Græca lingua donatis, ſummo beneficio cunctos Mortales affecit; quibus hoc pacto, cœleſtia arcana, in quibus ſolis mundi ſalus ſita eſt, vulgariſſimo ſermone prodita manifeſtari cœperunt. Nec magnificentia minor, qui *Pharum* inſulam, jactis in altum molibus, Iſthmum fecit, turri in ea exſtructa, quæ navigantibus facem præferret.

Cuncta

Cuncta Judæis pro voto succedebant, cùm *Ptolemæus Philopator* (quòd fratre interfecto, utriusque parentis parricidium commiserat, à contrario nuncupatus) longam prosperitatem turbasset. Is enim Judæis infensus, quotquot in Ægypto nancisci poterat, in Hippodromo contrahi jubet, à quincentis Elephantis proterandos. Illi nudi, catenisque onusti, terribili clamore, Dei præsidium invocabant, ut numen suum à nequissimi Regis ludibrio assereret. Non suis Deus defuit, nam ad cædem spectandam Tyrannus evocatus, mandati immemor, jam perituros incolumes dimitti imperat. Sed mox crapua gravatus, recrudescente odio, imperium iterat, præcipitque conquisitos undique Judæos efferatis Belluis objici. Cumque illæ, vino hausto furentes in vinctos adiguntur, miratur Rex, iis relictis in Amicos ferri, obvios milites conculcare. Quo prodigio adeo *Philopator* perculsus est, ut quos ad supplicium damnarat, sumptibus præbitis quo pergere vellent, dimitteret.

III. A. M. 3783. *Philopator Judæis infensus, conterendos Elephantis exhibet.*

Eo temporis tractu, *Simon* Oniæ filius, Hierosolymis sacris præerat, cujus munus post obitum, *Onias* aviti Nominis filius obtinuit. Hunc Simon Templi præpositus odio prosecutus, apud *Seleucum* Syriæ Regem falsis criminibus incessit. Sed cum probis moribus virum apud Regem extinguere non posset, aliud molitus, eundem per *Apollonium* monet, immensam nummorum vim à Pontifice asservari,

IV. A. M. 3831. A. Chr. 173. *Deposito ab officio Onia, impius Jason substituitur.*

nequaquam ad ſacrorum rationem attinentem. *Seleucus* Auri cupidine obcæcatus, *Heliodorum* Regiis theſauris præfectum ad pecuniam diripiendam mittit; Is viſis in Templi ingreſſu territus, pedem refert, & mox velut exanguis, humi labitur, miniſtris, quos ſecum adduxerat, in fugam præ pavore converſis. *Simon* ira fremens, quod infeliciter cogitata ſuccederent, *Oniam* tanquam eventus authorem accuſat, cumque hæc fraus optatis haud reſponderet, ad *Anthiocum* Seleuci fratrem profectus, trecenta & ſexaginta Argenti, & ex aliis reditibus octoginta talenta, ſtipendii augmentum pollicitur, ſi ſibi ſummum Sacerdotium traderet. Quanquam præter morem, nec antea permiſſum, à munere Pontificem amoveri, opibus tamen inhians Rex facilè annuit, ut Jaſon *Oniam* germanum fratrem ſacerdotio deturbaret. Sed paulo poſt Deo ita decernente, *Seleucus* ejuſdem Heliodori inſidiis, dum periculum non cavet, perimitur. Antiocho fratre, quem apud Romanos obſidem, tradito in ejus locum Demetrio filio, Seleuchus Rex liberaverat, regnum præripiente.

V.

A. M. 3833. A. Chr. 171. *Submoto Jaſone Menelaus in Pontificatu ſubſtituitur.*

Hieroſolymis *Onias* exceſſerat, quovis in loco, magis quàm in Urbe ſecurus. *Jaſon* falſus Pontifex & Cives ſævitia, & patriam ſacrilegiis fœdè lacerat. Poſt triennium *Menelaus* Simonis frater, promiſſam pecuniam, Jaſonis nomine, ad Regem deferens, viam ambitioni ſtravit, iiſdem artibus

artibus, quibus *Jaſon* priùs Sacerdotium uſurparat: verùm, cùm promiſſum argenti modum non ſolviſſet, munere abdicatur. His ſacrorum cauponibus Lyſimachus ſubrogatur, quòd deſidii materiam inter *Jaſonem* & *Menelaum* miniſtravit, donec *Jaſon* patria profugus excedere cogitur. *Menelaus* autem nihil ſibi, *Onia* ſuperſtite, acceſſiſſe ratus, eum in ſolitudine agentem leto dedit. Quid ſibi cum pontificatu, quamdiu æmulus viveret?

VI.

A. M. 3834. A. Chr. 170. *Antiochus invadens Jeroſolymam, ablatis omnibus templi vaſis.*

Hæc fuere malorum primordia, quæ depictæ in Cœlo acies portendebant. Nam *Antiochus* Epiphanes ſive *Illuſtris* poſtea dictus, ita in impietatem ac ſcelera erupit, ut bellum cum Deo, quem Judæi venerabantur, geſſiſſe videretur. Hoc uno, nomine ſuo dignus, quòd in Dei populum iratus, Tyrannos omnes, quotquot ante fuerunt, ſuppliciorum acerbitate excederet. Etenim ex Alexandria redux Hieroſolymas, direptis ſacrilegè Templi theſauris, vaſa, & omne inſtrumentum, ſacro uſui dicatum ſuſtulit. Septuaginta Hominum millibus interfectis, totidem captivos vendidit, præter quadraginta millia, quæ ſecum abduxerat. Deinde ſacram Legem abolere molitus, edictum ad cæteros dirigit, ut majorum traditionibus abjectis, gentilium more viverent. Et quo *Judæos* ad Græcorum Diis ſacra facienda promptiùs cogeret, Aram Dei omnipotentis, Olympio Dæmoni conſecrat. Nec defuere, qui impii Regis mandato

obſecuti, delubra exſtruerent, fictilia numina venerarentur. Fœdum ſpectaculum, ubi Diis alienis paſſim in Urbe litabatur, dumque Prophetarum volumina, profanus ignis abſumebat.

VII. *Eleazarus ſenex tormenta fortiter ſuſtinet. Solomona cum filiis ſeptem excarnificata.*

Inter paucos, qui Tyranno, pia audacia obluctabantur, *Eleazarus* eminebat, Scriba, nonaginta annorum ſenex, qui exquiſitis tormentis, nequaquam adigi potuit, ut Religionem ejuraret. Nihil flagellis animum experiri juvit, tanquam per quietem dolores ſuſtineret, non tam intrepidus, quam ſenſus expers cernebatur, donec cædendo fatigati tortores, Regis juſſu, imbellem voracibus flammis committunt, fœtidis liquoribus, quò mortem tardarent, in ejus nares effuſis. Sic occubuit præ cæteris viris ſanctiſſimus *Senex*, præferendus cæteris Myſtis Sacerdos, atque omnium Antiſtitum Dei factus exemplar. *Solomona* quoque ſupra animum humanum fœmina, cum ſeptem filiis *Machabæis*, ob eandem cauſam excarnificata, miram in tormentis præ ſe tulit conſtantiam. Nam rupe rigidior, ſpretis Tyranni minis, patientibus filiis aderat, & ut interirent compulit, nec extinctos doluit.

VIII. *Mathatias occiſo Idololatra Judæo, & Regis miniſtro, fugit cum filiis in montem.*

Nihil adeò ſacrum Hieroſolyma habuit, in quo ſacrilegum Regem non experiretur. Nam eò demum ventum eſt, ut populariorum plurimi, ſeu indolis levitate, ſeu moribus corrupti, *Moſis* Legem averſati, Templum Græcorum Numinibus ſacrarent. Verum *Mathatias* de Sacerdotum

numero,

numero, *Aſſamonæi* pronepos, clientelis ac ſobole inclytus, ad honorem vilibus Diis reddendum compulſus, tantum fuit, ut morem gereret; quin Divino zelo percitus, Judæum ſe profanis ritibus inceſtantem adortus, cunctis ſpectantibus jugularet. Mox converſo in *Apellem* Regium ducem ferro, eum cum ſociis trucidavit. Magno clamore ad arma invitatis quibuſcumque Religionis incolumitas cordi erat, in deſertum ſe cum filiis recepit. Manu Hominum contracta, omnibus immotum fuit, Tyrannidem propulſare; aut in acie animam ponere potiùs, quàm impiorum ſacris inquinari. Ergo conſtructo in ſpeciem Exercitu, altaria in montibus everuntur, reſecantur pueri, abigitur ſuperſtitio, qua *Judæi* ſe de medio tolli Sabbatho impunè patiebantur. Nam quidni & eo die vitam ab imminenti diſcrimine tutari liceret? Cæterùm *Mathatias* ſenio confectus morte tollitur, quindecim filiis poſt ſe relictis, quorum fortiſſimum *Judam* Machabæum reliquis præfecit, qui rem Judaicam ſervaret, cultumque Divinum proſequeretur.

IX. A. M. 3838. *Judas Machabæus occiſo duce Apollonio, potentiſſimum Syriæ exercitum vicit.*

Judas itaque paternæ fortitudinis æmulus, Hoſtes acriter inſequitur, & Tribulibus, qui à Religione defecerant, necatis, totam Regionem à præteritis flagitiis expiat. His motus *Apollonius* Samariæ præfectus, collecto raptim milite, in Judæam properat: ſed à Juda prælio victus, dum vehementiùs furit, occiditur. Par *Seronis*

Cele-

Celesyriæ Ducis fatum, qui muneris sui in Rebelles Judæos animadvertere ratus, multiplicatis agminibus Judæam ingreditur, eò ferocior, quod Armatorum numero se præstare intelligeret. Ubi autem campo concursum, fusus salutis suæ spem in fuga ponere cogitur, octincentis post se relictis.

X.

A. M. 3839. A. Chr. 165. *Antiochi Duces à Juda variè oppugnantur.*

Antiochus duos Duces cum ingenti exercitu, à pusilla contumacium manu deletos non ferens, Exercitum contrahit, conducto etiam è Grecia Milite: & quoniam omnes thesauros ludis, conviviisque profuderat, ex superioris *Asiæ* provinciis nummos exposcit, quibus expediendis, *Lysiam* deputat, dum ipse ad Persas cogendis vectigalibus proficiscitur. Tres subinde Duces *Ptolomæus*, *Gorgias*, & *Nicanor* à Lysia contra Judæos mittuntur, cum quadraginta peditum millibus, Equitum septem, qui *Judæos* penitus exscindant, & ex circumpositis gentibus, novos agris colonos comparent. Non *Judam* tantus apparatus terruit, qui etsi imbelles ac armis etiam penè destitutas copias duceret, cœlesti tamen auxilio fretus, ferro decertare ausus est. Explorato enim *Gorgiam* Exercitu abesse, qui ad eum opprimendum altera via perrexerat, Castra penetrat, quod *Syros* nihil simile metuentes ita formidine concussit, ut repentina impressione victi, fugam capesserent. Mox directa in *Gorgiam* acie, levi opera, ex tota Judæa, suorum clade dejectum abigit.

Hosti-

ſtium caſtra reverſus, magnam Auri
m, rerumque Tyriarum copiam repe-
t. Negotiatores enim Victoriæ ſpe, ca-
a ſecuti, Captivos Mercaturi venerant,
l & ipſi exercitu fracto, his, quos ab-
cere parabant, prædæ fiunt.

XI. *Lyſias iterum à Juda profligatus, in Antiochiam revertitur.*

Lyſias pernicie cognita, veteribus co-
is, ſexaginta peditum, Equitum quin-
e millia ſubſtituens, anno ſequenti Ju-
am formidabili Exercitu invadit, caſtris
l *Bethuræ* Vicum poſitis. *Judas* ſummi
luminis fiducia ſubnixus, tantam multitu-
inem cum decem Millibus aggreſſus, fun-
t fugatque, interfectiſque quinque bar-
arorum millibus, ingenti præda ſpoliſque
ponitur. Quæ cædes tantum terroris *Lyſiæ*
nimo incuſſit, ut *Antiochiam* mox rever-
is, rem cum talibus amplius habere no-
it, quibus univerſis propoſitum erat ad-
erſarios ſubigere, aut morti occumbere.

XII. *Judas devictis hoſtibus Templum reſtaurat.*

Judas ex propulſis toties Hoſtibus, Dei
unificentiam agnoſcens, Templum tri-
anio vaſtatum purgare, deletamque in
o Religionem inſtaurare, conſtituit. Sa-
rdotibus electis, ſacri ritus reſtituuntur,
ova Deo extruitur Ara, ſolenni die
l dies octo continuos protracto. Sed
ia *Syris* Sioniam arcem occupantibus,
o loci Viciniam, *Templi* aditus prohibe-
atur, *Judæ* viſum eſt, Templum valido
præſidio communire, ne profani hoſtes
acrificorum munia diſtraherent. Et quia
propugnaculum, loci natura Templo emi-
ans, eique contiguum, expugnari non
poterat:

poterat: Muro ædem ſacram circumdari placuit, quo ab Hoſtium inſultu ſecurior haberetur.

XIII. A. M. 3840. A. C. 164. *Judas plurimas gentes cum fratre Simone percutit.*

Præclara Judæorum facinora ità vicinarum Gentium iram concitant, ut *Idumæi*, *Sidonii*, *Ammonitæ*, *Syri* velut ex condicto, ad Judæum nomen abolendum conſpiraſſe viderentur. *Judas* Hoſtium multitudine promptior, ſingulos, priuſquam congrediantur, opprimit. Etenim *Idumæos* adortus, facilè prælio ſuperat, arcibus ac oppidis undique interceptis. Dein exercitum cum fratre *Simone* partitus, in *Ammonitas* & *Arabes* irruit, dum ille in *Phœnices* proficiſcitur. Tantæ multitudini quamvis numero multùm impares, ambo Victores domum revertuntur.

XIV. *Antiochus Babylone moritur.*

Intereà *Antiochus*, quem in Perſidem tetendiſſe anteà meminimus, pro more, in Templa ſæviens, opulentiſſimum *Dianæ* in Perſia fanum diripere conatur: ab Incolis autem repulſus, *Babylonem* cum dedecore redire cogitur. Ubi accepta de *Lyſiæ* cladibus nuntio, frendens exercitus ſuos toties à Juda Machabæo cæſos, ſic mœrore detritus eſt, ut acutiſſimis inſuper viſcerum doloribus tortus, cum intolerabili fœtore, impiam brevi efflaret animam. Ante mortem, tanquam factorum pœnitens, faſſus eſt, ob læſum Numen, divexatumque ejus Populum, illa ſibi acciduſſe. Deinde paucis diebus interjectis, immaturam mortem occubuit, cùm annis duodecim regnaſſet, relicto ſui nominis filio impu-

pubere, qui poſtea *Eupator* à Lyſia Du-
, cujus curæ demandatus fuerat, appel-
us eſt.

Judæi jam à ferocis inimici metu ſecuri, XV.
is arcem copiis circumdare moliuntur. *Eupator cum ingenti exercitu non poteſt Judam vincere.*
i enim colli impoſita, præſidiarii ad ſa-
am ædem venientes telis arcebant, nec
rum facere impunè patiebantur. Quare
ſtructis aggeribus, paratiſque Machinis,
c operi *Judas* incumbebat, cùm *Eupa-*
à quibuſdam noctu Arce elapſis de
s obſidione admonitus, adunato confe-
m centum millium & viginti exercitu,
s in ſubſidium advenit. Triginta duo-
s *Elephantis*, ante aciem cùm ingenti
rore gradientibus: *Judas* imminenti
oſte alacrior, laxata obſidione, fiduciæ
enus, Regi obviam proficiſcitur, circa
ethzachariæ fauces caſtra metatus. Com-
ſo prælio, *Syrus* funditur, ſexcentis,
i primi ad manum venerant, deſidera-
s. *Judas* diſtractos perſequi intutum ra-
s, Hieroſolymas ſe recipit, copias ſuas,
e multitudine obruerentur, munimentis
empli tuiturus. Hæc acriter *Eupator*
ppugnat: Hæc inſigniter Machabæus
rotegit. Machina machinis opponitur,
quicquid ab Hoſtibus tentatum, pari in-
ſtria ab obſeſſis eluditur. XVI.

Longa vero Obſidione *Hieroſolymitani* *Rex Urbem oppugnans à Lyſia revocatur; ſed poſt juratam pacem non juſjurandum ſervat.*
rum inopia divexari cœperant, cum in
Caſtris vulgatur, *Philippum*, quem *Epi-*
phanes animam agens, tutorem conſtitu-
rat, Antiochia potitum, Regnum pro
patro-

patrocinio invasisse. *Lysias* pluris id negotii, quam obtinendæ Solymæ spem existimans, Regis animum ad pacem cum Judæis demulcet, qui licet exitiali odio ad universam gentem delendam concitaretur, *Lydiæ* tamen auscultans, fœdus cum *Machabæo* coit: sed animo infido, cum Templum post datam fidem ingressus, ubi interiora egregiè firmata conspexit, cuncta dirui munitionesque solo æquari præcepit. Ruptæ fidei ultio post biennium secuta.

XVII. *Demetrius occisis Antiocho & Lysia, Regnum obtinet.*

Demetrius enim Soter nuncupatus, Seleuci Philopatris filius, quem obsidem Romanis vice Patrui datum diximus, ut *Antiochum* diem obiisse cognovit, postulat ut in Regnum sibi debitum, & à Patruele interceptum restituerent, quod cum ipsi negatum esset, clanculum Roma delapsus, in *Syriam* venit, ubi Tripoli maritima Urbe dolo obtenta, Regnum adipiscitur. Mox omnium gratulatione acceptus, *Eupatore* & *Lysia* duce interfectis, totius exercitus signa ad se facilè traduxit. Sic Pater, ac Filius impietatis ac perjurii supplicium Deo Vindici pependere.

XVIII. A. M. 3843. A. Chr. 161. *Alcimus Judam apud Demetrium falsò accusat, qui tamen intercipi nequit.*

Per id tempus *Alcimus* Menelao Pontifici (quem tanquam infausti adversos Judæos belli concitatorem flammis tradi *Eupator* jusserat) in sacerdotio successit, Homo vita turpis, & probis omnibus non tam adversus, quàm Hostis. *Demetrii* gratiam nactus, perduellionis *Machabæum* apud eundem insimulat, quod Tribulibus,

qui

qui Regi favebant, ad mortem adactis, ceteros ſibi fuga conſulere cogeret. *Demetrius* Bacchidem Virum fortem, & quondam *Epiphanis* amicum, in Judæam, tradito exercitu, amandat, qui pacem ſimulans, *Machabæum* fraude circumveniret. Sed aſtu detecto, ad Regem revertitur, aliàs novis conſiliis rem peracturus. *Demetrius* vindictæ impatiens, eundem exercitum, *Nicanore* duce, bello acri, & ſceleſtæ fidei viro remittit. Ille ſimilibus præſtigiis, quibus *Bacchides* uſus fuerat, *Judæ* colloquium poſcit, teſtatus ſe cum Amicorum comitatu veniſſe, Rege in Judaicæ gentis favorem propenſo. Fide utrimque data, accedit *Machabæus*, cognitis autem maturè inſidiis, ad ſuos concitatis calcaribus revertitur. *Nicanor* ſpe fruſtratus, Templo exitium minatur, ni Judæi *Machabæum* confeſtim ejus poteſtati tradant. Sed paucis poſt diebus, collatis ſignis, *Nicanor* ſuperatur, toto ejus exercitu in fugam adacto. Novem millia in eo prælio Hoſtes deſideraſſe fertur, præter illos, quos in perſequendo *Judas* cædibus ſæviens, profligavit.

XIX. *Alcimo extincto, Judas Pontifex electus, fœdus cum Romanis nit.*

Interea *Alcimum* Pontificem, dum vetuſtum aditus parietem, Sanctorum Prophetarum ſedem convellere nititur: morbus cœlitus inflictus corripit, qui ſtatim voce ſuppreſſa delapſus, paucis poſt diebus, ſceleſtam animam exhalavit. Eo decedente, *Juda* tot Victoriis inclytus omnium ſuffragiis Sacerdotio præficitur: dignus

dignus qui eo honore cæteris præesset, qui Gentem suam à tot discriminibus asservaverat. Audiens autem Romanos tantarum Rerum Dominos non minùs fide in Socios, quàm tot Regum ac Populorum gloria claresc̃ere, *Eupolemum* & *Jasonem* mittit, qui à Populo Romano fœdus amicitiamque petant. Legatione benignè accepta, Senatus decreto, Judæi Romanorum Socii atque Amici sunt appellati.

XX.

A. M. 3843. A. Chr. 161. *Bacchide à Demetrio contra Judam misso, Judas fortissimè resistens occiditur.*

Sed verendum, ne dum nimium opis humanæ *Judas* sollicitus, Deo diffidentiæ pœnas luat. *Bacchides* in Judæam cum novis copiis reversus, ubi illum à suis penè desertum offendit, impetu facto agmen in eum dirigit. *Machabæus* indignum ducens, Hostibus toties à se devictis terga vertere, irruentes exigua turba (nam octincenti tantùm supererant) excipit, diu ancipiti prælio, donec animadvertens *Judas*, Bacchidem in cornu dextro pugnam ciere, phalange perrupta, mediam aciem penetrat, & fugam agitantes ad montem *Azam* persequitur. Tum à reliquo Exercitu circumventus, strenuè certans, & tantùm non Victor, vulneribus confectus cecidit, in honorum flore, rerumque gestarum gloria.

XXI.

Jonathas fratri succedit, Bacchidem prælio vincit.

Haud dictu facile est, quantum, hac clade, mali *Judææ* accesserit. Unius Viri exitu, tota penè in *Demetrii* potestatem venit. Constitutis enim per oppida Hostium præsidiis, adeò desolata est, ut à Vatum temporibus, nulla eam strages major

major oppreſſerit. Transfugæ, & qui profanos ritus majorum Religioni prætulerant, *Machabæi* deceſſu tumidi, ad *Bacchidem* devolvuntur, à quo faſcias militares adepti, comprehenſos undique *Judæ* ſequaces, cruci affigendos rapiunt. Ita animo dejectis miſerè Judæis *Jonathas* fratris loco ſuccurrit, majori eorum parte Ductor electus, qui collectis Copiarum reliquiis, *Thecoanam* ſolitudinem petit, inſidias, quibus ſe à *Bacchide* intercipiendum intellexerat, declinaturus. Ille timore Judæorum comperto, eos ferro *Sabbatho* inſequendos cenſet, non eo die certaturos ratus. Sed *Jonathas* ſuos adhortatus, ſignificato prius, quo urgerentur diſcrimine, ni ſe viros exhiberent, Hoſtem aggreditur, & duobus fermè millibus cæſis, ubi irruenti in ſe multitudini imparem vidit, amni inſiliens cum Sociis, ad ripam enatavit, Hoſtibus ſe fluvio committere non auſis.

XXII. *Jonathas fratris mortem, in Amoræos ulciſcitur.*

Bacchides tanquam bello confecto, ubi *Jerichuntem*, *Gazam*, *Bethelem*, aliaque oppida præſidio communiit, ad Regem revertitur. *Jonathas* autem Amoræos nuptias celebrantes, ſponſamque ſolemni pompa deducentes, ex inſidiis adorſus, quadraginta Comitum interfectis, *Machabæi* fratris mortem ulciſcitur; Mox de futuro anxius, res ſuas ordinat, in utramque fortunam paratus.

XXIII. A. M. 3860. ante Chr. 144. *Bacchidem Bethbaſam Urbem obſidentem Jonathas ad pacis conditiones obſtringit.*

Poſt biennium, *Bacchides* à transfugis per nuntios inſtigatus, Bellum renovat, facilem de *Jonatha* Victoriam pollicitis. Is *Bethbaſæ* in deſerto ſitæ, quamque antehac mœnibus cinctam turribus firmaverat, occluſus ſe acriter tuebatur, qui tradita *Simoni* fratri Arcis tutela, clam egreſſus, adunatis factionis ſuæ militibus, *Syrorum* caſtra invadit. *Simon* interim eruptione facta, opera, quibus Hoſtes oppugnabantur, exurit. Quod Bacchidem in tantam iram deſperationemque adegit, ut infauſtæ expeditionis Authores, in quorum ſubſidium venerat, dira morte afficeret. Ergo conſilii impoti quì ad Regem citra infamiam rediret, *Jonathas* Pacis conditiones offert, ut profugi, Captivique, ac omnia bello rapta redderentur. Quæ non ægrè obtenta, *Machmazi* oppido receptus, juri Judæis dicendo animum applicuit.

XXIV. A. M. 3841. A. Chr. 153. *Jonathas init amicitiam cum Alexandro.*

Dum quadriennali pace Judæi fruuntur, *Antiochenſes* Demetrii ſuperbiam exoſi, *Alexandrum* quendam Rhodi educatum Adoleſcentem propalàm allegant, eum quamvis falſò, *Antiocho Epiphane* genitum teſtati. Ille mira rerum varietate, vicinorum Principum, præſertim *Ptolemæi* Alexandrini Regis opibus adjutus, Regnum tanquam ſibi debitum repetit. Pactione priùs cum *Jonatha*, quem ſummum Pontificem agnoverat, percuſſa. Tantis viribus ſuccinctus, Bellum Demetrio infert, ac victum Vita pariter ac Imperio exuit.

exuit. Cùm enim Rex cornu dextrò adverſæ aciei fracto, fugientibus inſtaret, in limo tenaci abreptus, cùm ſe extricare nititur, Equo lapſus, ac Pedes etiam fortiter dimicans ſuccubuit. *Alexander* occupato Syriæ Regno, *Jonatham*, quòd eum auxiliis juviſſet, in honore habuit, imo ad nuptias cùm Cleopatram Ptolemæi Philometoris Regis Ægyptii filiam duxiſſet, humaniter vocatum, purpura Pontificiſque inſignibus donavit.

XXV. *Victore Demetrio contra Alexandrum, idem à Jonathane vincitur.*

Demetrius belli initio, duos filios apud *Gnidium* hoſpitem ſuum, cum magno Auri pondere commendaverat, ut & à belli periculis eximerentur, & ſi ita ſors tuliſſet, Paternæ ultioni ſervarentur. Ex iis major *Demetrius* annos pubertatis egreſſus, audita *Alexandri* luxuria, quem inſperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum, inter Scortorum greges defidem in Regia tenebant, auxiliantibus *Cretenſibus*, ſecurum ac nihil hoſtile metuentem aggreditur. Ab *Apollonio* Cœloſyriæ præfecto excipitur: ſed cum is *Jonatham* ad bellum petulanter laceſſerat, victus octo Hominum millia amiſit. *Jonathas* Joppe & Aſcalone interceptis, *Dagonis* fanum cremavit, Simulachro indecorè in terram dejecto.

XXVI. *Philometor Alexandro inſidiatus, intercepto ejus imperio, paulo poſt moritur.*

Philometor Alexandro genero clam offenſus, quòd per ejus ſegnitiem *Ammonius* regnaret, per quem chariores ejus Amici *Laodice* Regina, & *Antigonus* Demetrii filius occubuiſſent, in Syriam renit cum immani exer-

exercitu, juvandi generi ſpecie, ſed revera imperii occupandi ſpe allectus. Ergo reſeratis ubique Urbium portis, toto maritimo ad *Seleuciam* tractu potitur. Tum detecto Conſilio, *Cleopatram* Alexandro nuptam Demetrio elocat. Nec mora, apud ſuos Antiochiæ reverſus, duplici Ægypti ac Syriæ diademate redimitur. His cognitis *Alexander* ab inertia excitus, inſtructa acie, cum Socero decertat, à quo victus, in *Arabiam* confugere compellitur: Sed illic ſigna *Demetrio* toto exercitu deferente, à *Zabadiele* Dynaſta comprehenſus, fractis cervicibus, capite truncatur. Ita vir ſceleſtus & *Demetrio* ſenioni, quem peremerat, & *Antiocho Epiphani*, cujus originem mentitus fuerat, pœnas ſolvit. Nec diu *Philometor* reſecti capitis ſpectaculo delectatus eſt. Etenim accepto inter præliandum in cervicem vulnere, dum Chirurgi terebra cranium penetrare moliuntur, ultione ſatiatus, ſpiritum emiſit, Imperii anno quinto ſupra trigeſimum. *Ptolemæo* fratre minore, qui tunc *Euergetis* cognomine *Cyrenis* regnabat, poſt ſe relicto.

XXVII. A. M. 3860. A. Chr. 144. *Tryphon Demetrii Regnum occupat, mox Jonatham dolo intercipit.*

Demetrius dominatu recuperato, *Nicanor* vocatus, Jonatham Judæorum Ducem benè habuit. *Sioniæ* arcis obſidione evocato, Samariam, Joppem, & Galilæam ſub vectigali impertitus eſt. Sed ob exautoratos milites veteranos, familiaremque Aulæ ſegnitiem cùm in contemptum iret, *Diodotus* ſeu *Tryphon* militiæ magiſter,

ſter, & Alexandri olim partium præfectus, *Antiochum* Alexandri filium adhuc impuberem, in Regem producit. Perſpecto autem Demetrium *Jonathæ* auxiliis potiſſimùm inniti, quem donis ſibi conciliare non poterat, incautum inſidiis appetit: ne ſupereſſet, qui *Antiocho*, cujus nomine, Rebus præerat, opem ferret, aut ejus necem, quam cogitabat, ulciſceretur. Copias igitur dimittere perſuaſum, quòd rebus jam pacatis, oneri Populo eſſent potiùs, quàm præſidio, rationibuſque inductum, Ptolemaidem venire, cujus tutelam cum finitimis arcibus ei traderet, Urbem cum exigua militum manu ingreſſum, Cuſtodiæ committit. *Cuſtodiam* hoc colore tegens, quòd ſtipendium nondum ſolviſſet. Nihil *Simonem* fratrem, illud cum filiis fidei obſidibus miſiſſe juvit, Homo nequam & fœdifragus, ſuis priùs in conſpectu trucidatis, vinctum enecat. Mox *Antiochum* pupillum, corruptis pretio Medicis, quibus calculum ſecandum curaverat, interimit, ſeque ipſum Syriæ Regem conſtituit.

XXVIII. *Simon ſuſcepto principatu, fœdus cum Demetrio renovat.*

Jonatha erepto, Rerum ſumma ad *Simonem*, Judæorum Senatu defertur, qui juſtis defuncto perſolutis, ubi marmoreo ſepulchro oſſa condidit, *Tryphonem* execratus, fœdus cùm *Demetrio* reficit, à quo Judæis libertatem, dein Vectigalium remiſſionem impetrat. Etenim Judæi trecenta Argenti talenta, quotannis, *Syriæ* Regibus, niſi bello vigente, penſitabant.

Anno proximè ſequenti, Arcis *Sioniæ* præſidiarios loci firmitate contumaces, ad deditionem inedia compellit. *Gaza* expugnata, Hircanum ex ſe genitum Exercitui præficit, ac temporis lapſu, tantum Judæis robur conciliat, ut poſt *Demetrium*, nullum ampliùs *Macedonum* Regem paſſi ſint. Sionium collem, jugi populi opera, in tantum dimiſit, ut ſola ædes ſacra, omnibus in Urbe locis emineret. Solenni totius Populi decreto, Pontifex & Ethnarches, ſeu Princeps deſignatus, electionem Populo Romano probante.

XXIX. A. M. 3863. A. Chr. 141. *Demetrio ab Arabace capto, Cleopatra Uxor Tryphonem Regno per Antiochum deturbat.*

Interea *Demetrius* Medis ac Elymæis ſubactis, dum Parthos aggreditur, pacis ſimulatione circumventus, ab *Arabace* Parthorum Rege capitur: ſed eo dedecore, ut per Civitatum ora traductus, omnibus, qui ab eo defecerant cum ludibrio oſtenderetur. Ejus autem Uxor *Cleopatra*, vindictæ impatiens, quo Tryphonem Syriæ Principatu deturbaret, *Antiochum* à Patria *Sedetem* nominatum, Demetrii germanum, ſpe conjugii thalamique impleri, ſi modo *Tryphonem*, Regno amoveret. His illectus *Antiochus*, accepto à Regina exercitu, *Tryphonem* prælio victum, ſuperiori Aſia depellit, mox eum perſecutus, & Apameæ, ad quam confugerat, interceptum interficit, poſt triennii dominationem. Ad Victoriam plurimùm *Simon* contulit, dum tranſmiſſo commeatu, auxiliaribuſque Copiis, Urbem oppugnantes corroborat.

Cæterùm

Cæterùm Beneficii *Antiochus* immemor, ſpretaque, quam cum *Simone* inierat, ſocietate, Judæam, *Cendebæo* Duce, domare contendit. *Simon* præmiſſis *Juda* & *Joanne* filiis, qui exercitu primum impetum exciperent, cum reliquis Copiis ſubſecutus, Hoſtes acie fuſos ad præcipitem fugam compulit. Ergo non armis ſuperabilem *Simonem*, Antiochus dolo aggreditur. Hierichunti *Ptolemæus* gener ejus præerat, qui cùm Convivio *Simonem* excepiſſet, inſidiis circumventum, inter Epulas perimit. Et ne quid barbariei deeſſet, conjugem cum duobus filiis *Matthia* & *Juda* infando funeri addidit. XXX. A. M. 3866. A. Chr. 138. *Ingratus Antiochus per Generum, Simonem cum filiis interficit.*

Joannes Patris morte, Judæorum Pontifex Rectorque factus, *Antiocho* Judæam invadenti, non tam obluctatur, quàm iratum demulcet. Hieroſolymæ enim ſeptenis Caſtris circumdatæ, ingens diſcrimen, ob *Scenopegiæ* feſtum, imminebat. Vacantibus enim per ſeptimi anni Religionem agris, *Joannes* ad intolerabilem famem redactus, inducias paciſcitur, tributo propoſito modo ſubmotis copiis, Urbem libertati reſtitueret. Aſſenſit *Antiochus*, ſi armis traditis, præſidium intra muros admitteret. *Joannes* reſerato Davidis monumento, eductiſque indè tribus Talentorum Millibus, pacem populo quincentis emercari maluit, quam peregrinorum conſuetudines admittere. Itaque conducto cum reliquis Pecuniis milite, Regi ſe comitem præbet, mox in expedi- XXXI. *Joannes, Hieroſolymis obſeſſis cum Antiocho paciſcitur.*

tionem *Parthicam* profectum ſecutus. Hinc *Hircani* nomen ſortitus eſt, quod Hircanos gentem validiſſimam ferro domuiſſet. Etenim ejus opera, *Antiochus* tribus prælis victor, Babylonem occupat, ad quem ubi gens univerſa defecit, nihil præter Patrios limites Parthis relictum eſt.

XXXII. *Phrahates Antiochum arte aggreditur, mox ipſe à Græcis interfectus.*

Phrahates qui Arſaci Parthorum Regi ſucceſſerat, *Demetrium* ſibi in Syria occupanda, uſui futurum ratus, ad eam oppugnandam, cum Parthico præſidio remittit, ut eo pacto in diverſa diſtractus *Antiochus*, à Parthia ad ſua tuenda revocaretur. Id autem cum viribus exequi deſperaret, inſidiis perficere aggreditur. Ille præ Hominum multitudine, Copias per oppida, hybernandi cauſa, diviſerat; quæ res ipſis perniciem attulit. Nam cùm Oppida ſe exercitus præbitione, militumque injuris divexari ſentirent, communi impetu ad *Parthos* deficientes, diſperſas copias, eodem die, ne invicem opem ferrent, adoriuntur. Qua clade ad *Antiochum* delata, cùm proximos auxilio aſſerturus, cum ea manu, quæ ſecum hyemabat, properat. Sed occurrens in itinere *Parthorum* Rex, prælio acriter inito, à ſuis deſertum interficit. Sed mox *Phrahates* captos Antiochi milites cùm in Scytas duceret poſtea, immemor hoſtiles eorum animos captivitate nihil minutos, inclinata ſuorum acie, à *Græcis* peremptus eſt.

De-

Demetrius fratris nece, dominationi reſtitutus, bellum in Ægypto inferre conſtituit, *Cleopatra* ad hoc impellente, Ægypti Regnum, auxilii adverſus fratrem ſuum pretium pollicita. Sed cùm aliena exambit, quemadmodum in uſu eſt, propria per *Syriæ* defectionem deponere cogitur. Antiochenſes enim Regis ſuperbiam, quæ Parthorum ſævitiæ contubernio, non ferenda videbatur, exoſi, in Rebellionem incidunt. Mox *Apameni*, cæteræque civitates, exemplum ſecutæ, per Regis abſentiam, à Demetrio deſcivere. Tot malis circumſeptus Demetrius, ab Uxore filiiſque deſertus, cùm Tyrum templi Religione ſe tuiturus tetendiſſet, navi ingrediens, præfecti imperio occiditur. XXXIII. *Demetrius dum alienum Regnum ambit, vita privatur.*

Iis temporibus, *Hircanus* inſtaurata cum Romanis ſocietate, abrogatiſque *Antiochi* Sedetis actis, perfectam Populo Judaico libertatem reddidit. Domita Idumæa, incolis *Circumciſionem*, exilium minatus, ni facerent, impoſuit. Templum, Judæis invitis, *Alexandro* regnante, conditum funditus evertit, cùm ducentos annos ſtetiſſet. Iſta molientem nemo Syriæ Regum obſtruere auſus eſt: Nam *Antiochus Gryphus*, quantumvis Judaicæ Genti hoſtis, exagitatus à fratre, expeditionem ſuſcipere noluit: Cùm enim *Cleopatra* Gryphi mater, Dominationis ardore, *Demetrio* Conjuge prodito, & filio altero, neci dato, hujus etiam victoria viliorem ſe exiſti- XXXIV. A. M. 3875. A. Chr. 129. *Hircanus ſubjugatos Idumæos Circumciſionem amplecti cogit.*

istimaret, ab exercitatione redeunti poculum veneni exhibuit. Sed *Gryphus* insidiarum præmonitus, tanquam cum matre humanitate certaret, haurire illam jubet, detrectantem urget. Postremùm indicio prolato, eam arguit, solum flagitii tutamen superesse asserens, si hauriat, quòd filio paraverat. Sic victa Regina, converso in se crimine, suorum Carnifex, meritò carnificem filium passa est.

XXXV. A. M. 3897. A. Chr. 107. *Hircanus moritur ubi dissidium inter Pharisæos & Saducæos finuit.*

Inter hæc parricidialia diffidia, *Judæi* excusso *Græcorum* jugo, summa libertate fruebantur. Ab externo autem Hoste immunes, cœpere intestinis discordiis agitari. *Pharisæi* enim, seu Expositores appellati, sanctissimam vitæ rationem professi, nonnulla quidem sat aptè potenti Numinis decreto, & alia humana libero Hominum arbitratui accepta referebant: Sed perperam receptas à majoribus *constitutiones*, Divinis legibus immiscebant. Saducæi autem vi Traditionibus derogata, ea solum observanda ducebant, quæ sacris codicibus mandantur. Ortam seditionem *Hircanus* compescuit, damnata *Jonathæ* sententia, quòd Pharisæi cujusdam maledicentia percitus, reprobatis Pharisæis ad Saducæos defecisset, qui nihil nisi Divinis litteris exaratum pro Divino usurpant. Haud multò post *Hircanus* moritur, postquam annos triginta Palæstinæ potentiæ egisset. Tribus Judaicæ Gentis rebus, Principatu, Pontificatu, ac Vaticinio illustris.

Inter

XXXVI. *Aristobulus uno anno principatum obtinuit, primus qui diadema sibi imposuit.*

Inter filios, quos septem *Hircanus* superstites reliquit, *Aristobulus* natu maximus, Patri succedens, primus qui ab exilio Babylonico, regium nomen assumeret, capiti diadema imposuit. *Antigono* fratre in dominationis societatem electo, Matrem Imperii æmulam, unà cum fratribus, in vincula conjecit. Mox à Calumniatoribus deceptus, quasi *Antiochus*, quem summopere diligebat, Principatui insidiaretur, ad se accedentem mactari jubet. Qua cæde, Conscientiæ stimulis excarnificatus, lecto decumbens, facinus abominatur. Quæ res adeo ægritudinem promovit, ut sanguinem, visceribus laceratis, eructans, horrendo & miserabili exitu amoveretur. In eum locum à famulo, qui eum efferebat, effusus, quo Fratris sanguinem, per Satellites hauserat. Sic pauca effatus lachrymans, & pœnitentia tactus animam efflavit. Postquam magnæ *Iturææ* Regionis parte, *Judaicæ* dominationi adjuncta, Patriam suam beneficiis cumulaverat.

XXXVII. A. M. 3899. A. Chr. 105. *Salome Aristobuli Uxor Alexandrum Jannæum Regem constituit.*

Post Aristobuli fatum, *Salome* Regina *Alexandrum Jannæum* cum reliquis filiis carcere educit. Qui utpote natu major, potestatem adeptus, fratrum alterum, sceptri paterni avidum, morte mulctat. Altero autem Imperium fastidiente, vitaque privata contento, ad honoris culmen evecto. Firmato rerum tranquillitate Imperio, ut cognovit *Antiochum* Gryphum cum fratre *Cyziceno*, acerbis cladibus, Syriacas

acas vires atterere, sic ut per occupationem suis ferre suppetias non possent, educto exercitu, *Ptolemaidem* obsidione cinxit. Vastatis undequaque *Zoili* Dorensium Tyranni, & *Gazæorum* agris; fœdus cum Ptolemæo Ægypti Rege percussum violavit, sollicitata clam ad bellum *Cleopatra*, quam filio infensam noverat. Fraude comperta Ægyptius *Judæam* invadit, fidem temeratam ulturus. Interceptam Sabbatho *Asochim*, Galilææ oppidum vi capit, abductis circiter decem Captivorum millibus, *Alexandrum* subinde cum quinquaginta millibus obvium adortus, acie vicit, profligatos persecutus, donec lassatis manibus, ferrum hebesceret. Triginta millia eo in prælio cecidisse proditur.

XXXVIII. *Alexander bellum Ptolemæo infert.*

Alexander non animo ob cladem dejectus, ubi *Ptolemæum* in *Cyprum* remeasse innotuit, refecto Exercitu, *Gazam* oppugnat, agrum undequaque populatus. Urbe capta, factaque sæviendi licentia, passim *Gazæi* trucidantur, Senatoribus etiam, qui introducto hoste, ad consulendum convenerant, miserè jugulatis. *Alexander*, direpto oppido, Hierosolymas reversus, Subditis captivitatem exprobrantibus, injuriam sex millium nece ulciscitur. Ab *Arabibus* victus, cùm in Urbem incolumis deferreretur, contumeliam haud passus, quòd acceptam cladem meminissent, quinquaginta eorum millia ferro absorpsit. Quòd facinus adeo *Judæorum* animos

ac-

accendit, ut ad reconciliationem hortanti, & ab eis quid efflagitarent, roganti, ut de medio seipsum tolleret uno ore responderent.

XXXIX. *Judæi ob Jannæi tyrannidem, Syriæ Regem in auxilium advocant.*

Judæi igitur ab Alexandro, ob præcipitem ferociam alieni, *Demetrium* Syriæ Regem in auxilium advocant, qui castris ad *Sicima* positis, postquam omnes *Alexandri* mercenarios Pisidas & Cilices in acie interemerat, ipsum ad fugam in montes capessendum compulit. Tunc Judæi Regis fortunam miserati, ad eum sex fermè millia confluxerunt, quorum metu *Demetrius*, desperato belli eventu, retrò abiit. Ejus ope destituti, qui alterius partis remanserat, Alexandro pugna inferiores fuere. Unde in suam potestatem redactos, ex illis octingentos, dum cum pellicibus epulatur, crucifigendos curavit. In quorum conspectu, immani spectaculo, Uxores cum liberis jugulantur. Dein ne reliquis parcere videretur, octo millia exilio mulctantur, non nisi se eorum absentia securum ratus.

XL. A. M. 3921. A. Chr. 83. *Multas expugnavit Urbes Alexander, & largiori potatione moritur.*

Demum *Alexander* domesticis motibus solutus, Dioni oppido militem admovit, quo capto plurimas *Syrorum*, Idumæorum, & Phœnicum Urbes aggressus, suæ ditioni adjecit. Ut *Apoloniam, Joppem, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedonem, Raphiam, Rhinocurum* ad mare Stratonis turris, *Adoram* & Marissam è mediterraneis Idumææ; Adhæc Scythopolim, Gadaram, Gaulonitem, *Seleuciam, Gabalam:* Moabitas

tas etiam Urbes, *Esebonem*, *Medobam*, *Lembam*, *Oranem*, *Pellam*. Quæ omnes armis subactæ, Judæis Victoribus parebant. Alexander, contracto ex largiori potatione morbo, & quartana triennio integro afflictus, nec tamen à castrensibus officiis abstinens, demum viribus exhaustis, fato concessit, in Gerasenorum finibus, cum Ragabam castellum ultra Jordanem situm obsideret. Regnavit annos septem & viginti.

XLI. A. M. 3926. A. Chr. 78. *In morte monet Salomen ut cum Pharisæis se gerat.*

Morti proximus, Alexandræ Uxori de futuro anxiæ consuluit, ut tecta primum ejus morte, *Pharisæos*, quorum seditionibus tam sæpe exagitatus fuerat, omni arte, sibi devinciret. Quod non ægrè executura esset, si ipsis nonnihil licentiæ largiretur. Illos apud Populum valere, sive exosum lædere cupiant, seu Amico auxiliari. Quare horum primoribus accersitis, corpus suum traderet, pro arbitratu seu honestè funerandum, seu cadaveribus projiciendum. Obsequente Monitis Regina, Pharisæi tota plaustra Defuncti Regis laudibus implent, pium, justum, clementem declamantes. Encomiis ita celebratum sumptuosissimè efferunt, Reginæ potestate, suis apud Populum concionibus firma rataque.

XLII. *Alexandra rerum administrationem suscipit, Hircano Pontifice.*

Cæterùm Alexandra rerum quidem Moderatrix audiebat, sed revera tota imperii vis in *Pharisæos* transierat, qui rerum potiti, omnia ad libitum tractabant. Pari authoritate, qua extorres in Patriam revo-

revocabant, carcere frænatis libertatem largiebantur. Sic Judæorum fortiſſimi ad ſupplicia rapiebantur, ſic ſcelerati flagitiorum mercedem ſumebant. *Hircanus* ex Alexandri filiis natu major, Pontificatu à Matre, quod tali muneri par non eſſet, donatur, ſed molli ſegnitie Adoleſcens, ad omnia connivebat. *Ariſtobulus* minor, audax quidem ac induſtrius, verùm Regni adminiſtratione *Alexandræ*, mariti teſtamento relicta, à Principatu excludebatur.

XLIII. *Ariſtobulus matre languente, bellum adverſus fratrem parat.*

Alexandra, audito *Tigranem* Armeniorum Regem cùm exercitu adeſſe, & Ptolemaide capta, quam copiis ſepſerat, in Judæam ruiturum, nondum Victorem muneribus ſiſtit, omnem de Judæis fidem pollicita. Sic Regina impendentis diſcriminis metu ſoluta, percuſſo cùm finitimis Principibus fœdere, Populum Judaicum novem annis in quiete tenuit. Illa morbo languente, contemptus intolerantia *Ariſtobulum* in vindictam excitavit. Noctu Regia erumpens, Caſtella, quorum pleriſque cuſtodes Amicos poſuerat, celeriter occupat. Incolis propoſito faventibus, eo res deducta eſt, ut *Hircanus*, abdicato, à quo abhorrere videbatur, Imperio, Pontificatu contentus viveret. Verùm *Antipater* Divitiis potens, Ariſtobulo infenſus, mixtis inter Fratres diſſidiis, *Hircano* author eſt, ut Aretam Arabum Regem in ſubſidium advocet. Ille initis pactionibus quinquaginta Armatorum

rum millibus in Judæam adductis, *Aristobulum* prælio fusum, ac Hierosolymis subinde inclusum circumdat.

XLIV. A. M. 3939. A. Chr. 65. *Onias vir justus lapidatur, quod precari noluisset.*

Memoriæ proditum *Oniam* quendam, æquitate celebrem, & qui, populante olim agros siccitate, imbrem a Deo precibus impetraverat, Urbe obsessa, lapidibus obrutum fuisse, quòd Numinis opem tam adversus obsidentes, quàm obsessos implorare abnuisset. Quo facinore corruptis *Jehovæ* ira frugibus, adeò horrenda fames ingruit, ut tritici Modius, quindecim drachmis veniret.

XLV. *Pompeius per Scaurum Ducem Aristobulo favet.*

Eo temporis spatio, *Pompeius* apud Romanos consulari Imperio instructus, qui & postmodum Pyratarum profligator dictus, cognito *Hircani* & *Aristobuli* Fratrum dissidio, *Scaurum* Ducem in Judæam mittit: Quem obviàm habens *Aristobulus*, quadragintis talentis facilè perpulit, ut *Aretam*, obsidionem solvere cogeret. Pecunia accepta, Aretæ denuntiat, ut amotis protinus ab Urbe castris, domum revertatur, & ni pareat, adfuturum cum Exercitu contemptus vindicem. Discedentem *Aristobulus* insecutus, septem millia delevit, inter cæteros, *Antipatri* fratre, qui bellum moverat, perempto. Dein *Pompeio* Vitem, quinque talentis æstimatam dono dedit, quo ei Regnum stabiliret.

XLVI. A. M. 3941. A. Chr. 63. *Pompeius Judæam armatus ingressus, Hierosolymam capit.*

Pompeius ineunte vere, revocatis ex Hibernis legionibus, in *Judæam* proficiscitur, ubi exceptis utriusque fratris querelis, ac improbata *Aristobuli* acerbitate, eos

eos placidè dimiſit, reverſurum ſe pollicitus, quam primum *Nabathæorum* res inſpexiſſet. *Ariſtobulum* autem comiter habuit, Hominis audaciam veritus, ne *Arabiam* cogitanti impedimento eſſet. Ille amoto *Pompeio*, parum Ducis Romani iram moratus, circumjectas Arces occupat. *Pompeius* diſſimulato contemptu, illas ſibi tradi confeſtim efflagitat, & ne fraus ſubeſſet, *Ariſtobulum* manu propria præfectis ſuis ſcribere præcepit, ne caſtellis Romanos excluderent. Paruit quidem *Ariſtobulus*, ſed averſo animo, cito gradu Hieroſolymam petens, adverſus *Pompeium* ſe tuiturus. Is per odoratas Hierichuntis ſylvas *Ariſtobulum* inſecutus, occurrenti denuo ignovit, miſſo in Urbem *Gabinio*, qui promiſſas pecunias reciperet. Sed ille vacuis manibus excluſus, effecit, ut additis *Ariſtobulo* cuſtodibus, Pompeius ipſe cum exercitu Hieroſolymam invaderet. Civibus inter ſe opinione diſſentientibus, nonnulli montem præripiebant: plerique Piſonem Pompei legatum intra mœnia recipiebant, mox in Regia admiſſo gratulati. Verùm, qui Ædem ſacram obtinuerant, cùm per *Sabbatha*, Romanos vallum ducentes, non à muris arcerent, ipſo Jejunii & Expiationis die, ſuperatis mœnibus, expugnantur. Nihil oppugnationis terror, non mortis metus, non occiſorum labes offuit, quin Sacerdotes Populuſque ſacris operarentur; quicquid Victori luberet, paſſuri potiùs, quàm quic-

quam patriis legibus præscriptum omitterent.

XLVII. *Ingressus Templum à thesauris abstinuit.*

Pompeius *Sanctum*, ingens Judæis arcanum, quod nisi Sacerdoti aspicere datum, cum aliis ingressus, à Thesauris abstinuit, loci reverentia motus. Die proxima, Templo ædituis expurgato; sacrificia instaurari jubet. *Hircano* jus Pontificatus restituit, sed interdicto diademate. Deinde Belli authoribus securi percussis, *Aristobulum* catenis datum cum duobus filiis *Alexandro* & *Antigono*, Romam abduxit. Tum stipendio Judæis impositio, *Antipatrum* eis Procuratorem constituit. Quo factum est, ut Judæa inposterum à Syriæ procuratoribus proconsulibus regeretur. Talem fuisse *Pontium Pilatum*, tempore *Christi*, Historici memorant.

XLVIII. A. M. 3948. A. Chr. 56. *Aristobulus cum filio Antigono Roma elapsus in Judæam reversus.*

Interim *Aristobulus* Romanorum vincula elapsus, Judæam commovet, negotiumque *Gabinio* proconsuli facessit, *Alexandrium* recens dirutum restituere molitus. Ille missis *Sisenna* & *Antonio* ducibus, ab opere deturbatum comprehendere jubet. Cum filio *Antigono*, ejus fugæ comite oppressus, denuo *Romam* reducitur. *Gabinio* autem in Ægyptum properante, ausus est Alexander Aristobuli filius, principatum invadere, triginta Judæorum millibus ad defectionem sollicitatis; sed paulo post à *Gabinio* ab expeditione reverso victus, à Victore per matrem suam obtinuit, ut quinque *Synedria*, *Hierosolymis* unum, *Gadaris* alterum, tertium *Amathunte*, quartum

Hie-

Hierichunte, quintum *Sephoræ* conſtituerentur. Poſt hæc *Gabinius* Judaicis rebus ex Antipatri Aſcalonitis ſententia ſtabilitis, Romam reverſus eſt.

XLIX. *Ariſtobulus remiſſus à Senatu, occiditur à Pompeianis.*

Poſt temporis intervallum, C. *Julius Cæſar* à Pompeio alienus (nam concitatis animis, nec hic parem, nec ille ſuperiorem ferebat) *Ariſtobulum* vinculis exemptum, duabus legionibus additis, quò provinciam promptius adminiſtraret, in Judæam delegat. Sed ille à *Pompeianis* in itinere interceptus, veneno occubuit. Nec ſors Alexandro filio benignior, quem *Scipio* Pompeii Socer, ne Judæorum affluxu, res innovaret, Antiochiæ ſecuri percuſſit. *Pompeio* autem luce orbato, *Cæſar* cum *Hircano* Ethnarcha, ejuſque filiis, quòd exercitum Romanum tribus millibus in pugna Pharſalica ſuſtinuiſſet, fœdus iniit, conceſſo in perpetuum Gentis ſuæ imperio. *Antipatrum* verò, quòd aciem, data opera, ſervaſſet, Palæſtinæ præfectura donavit. Is autem filiorum indolem expertus, *Phaſelum* natu maximum Hieroſolymis præfecit, *Herode* minimo, ad *Galilææ* curam delegato.

L. A. M. 3957. A. Chr. 47. *Herodes Ezechiam Judæum cum latronum agmine interficit.*

Herodes Dominationem nactus, indole ferox, & elati animi Adoleſcens, exſerendi ingenii magnitudinem brevi materiam reperit. *Ezechiam* latronem, quem in *Syriæ* finibus interceperat, cruci affixit, præter Judaicas leges, neglectoque Seniorum conſilio. Fas enim nemini apud *Judæos* erat, quamtumvis ſceleſtum in-

consultis Sacerdotibus, supplicio afficere. Ad causam defendendam in jus vocatus, Patris *Antipatri* consilio, fortissimam militum manum adscisit, quibus terrorem Reus Judicibus incutiens, indemnis abiret. Vecordiam *Simeon*, *Justus* cognomine, non passus, animadversione dignum existimat, vel ea solùm ratione, quòd Patrias leges oppugnare, sacratissimoque *Synedrio* vim facere auderet. Non se, non Judices reliquos, non *Hircanum* Ethnarcham impunè abituros, ni periculum æquo ac bono postponerent. Nihilominus *Hircani* beneficio, crimine absolutus, & à Sexto Cæsare, Cælosyriæ præpositus, palam fecit Simeonem Divino afflatu ea prolocutum. Nam Regnum adeptus, *Hircano* Benefactori suo, tum Judicibus manus intulit: *Simeone* excepto, qui ideo cæteris superesse debuit, ut agnitum Mundi Salvatorem ulnis complecteretur. Ita enim Prophetæ prædixerant, mansuram Sceptri Sacerdotiique penes Judæos potestatem, donec Rerum omnium Dominator, è Davidis progenie prosiliret.

LI. Inter hæc, *Sexto Cæsare* per insidias interfecto, *Cassius* in Syriam perveniens, Universam fæliciſſimo, ac acri bello obtinet. Mox versis in Judæam armis, plusquam septingenta Argenti talenta exegit. *Antipater* optimum factu esse ratus, si Romanorum animos alieno sumptu devinciret, partem pecuniarum duobus filiis, & partem *Malicho* exigendam commisit.

A. M. 3961.
A. Chr. 43.
Cassius in Judæam contendit, à quo 700. talenta exigit.

miſit. Hic autem parum *Antipatro* Amicus, inſidiabatur, ejus morte, *Hircani* Dominationi ſecuritatem pollicitus. Pincerna *Hircani*, apud quem Antipater epulabatur, largitione corruptus, Hominem pium, & de Patria ſua bene meritum, veneno ſuſtulit. *Caſſius* Antipatri morte comperta, *Herodi* parentis injuriam ulciſcendi veniam conceſſit. Ille Tribunorum ope invocata, quatenus juſtis conatibus adeſſent, *Malichum* propè *Tyrum* iter facientem confodi juſſit. *Hircano* ad facinus, ob *Caſſii* potentiam obmuteſcente.

LII.

A. M. 3964. A. Chr. 40. *Pacorus Parthorum Regis filius Hircanum depoſuit.*

Anno ſequenti, Antonio (qui Herodi, ob receptam Pecuniam tantopere favebat) Cleopatræ Ægyptiorum Reginæ amoribus implicito, *Antigonus* Ariſtobuli filius, *Pacorum* Parthorum Regis filium in auxilium adſciſcit, mille talenta cum quincentis mulieribus pollicitus, ſi Regnum ab *Hircano* in ſe transferret. Ille paratis copiis in Judæam profectus, occupata *Solyma*, *Hircanum* & *Phaſelum* Herodis fratrem, tum vi, tum dolo, poteſtati obnoxios fecit. Sic reductus in Judæam *Antigonus*, veritus ne Hircanus Populi favore, Imperio reſtitueretur, ei auriculas præcidit, ut corpore truncatus, ad Pontificatum inhabilis haberetur. Lege à Sacerdotio eum removente, qui aliqua corporis parte mutilatus eſſet. *Phaſelus* ubi ſe neci deſtinatum agnovit, miſerum ducens Hoſtis arbitrio perire, capite ad ſaxum alliſo, vitam abrupit. Adempta ſuo

fato, inimicis potestate, in se pro lubitu sæviendi.

LIII. *Herodes Romam pervenit, ubi Antonii opera Rex appellatus est.*

Herodes morte fratris nuntiata, ad *Antonium* tunc Romæ agentem proficiscitur; qui infælicem Amici sortem miseratus, stimulante etiam in *Antigonum* odio, se in juvando propensum exhibuit, præsertim ubi pecuniam pollicentem exceperat, si ejus beneficio, Regis, quemadmodum *Tetrarchiæ* potestatem fuerat consecutus. Id *Antonio* petenti facilè *Cæsar* assensit, in novæ Amicitiæ pignus, cujus Sororem *Octaviam* nuperrimè duxerat. Ergo *Herodes* Senatus decreto, quamvis exul, Regium fastigium adeptus est. At id non nisi post plures annos obtinuit; impediente *Ventidii* & *Silonis* legatorum Antonii avaritia, qui in expugnando *Antigono*, opem Herodi ferre jussi, majorem hujus plus largientis, quàm illius auxilio indigentis rationem habebant. Ergo horum pertæsus *Herodes*, ipsum Antonium, *Samosatam* tunc oppugnantem adit. Ille intellecto novi Regis adventu, instructum exercitum, honoris causa, obviam mittit; dein, humaniter illum complexus, *Sosiæ* Duci negotium, dum ipse in *Ægyptum* proficisceretur, commendat. *Sosias* duabus in Judæam legionibus, cum Rege præmissis, cum reliquo Exercitu secutus est. *Herodes* vindicata, quam absenti Antigonus intulerat, clade, fratre ejus cum sex cohortibus interfecto, copias Hierosolymæ applicuit.

Judæi

Judæi intra mœnia concluſi, acriter Obſeſſorum conatus eludebant. Tum excurſu, modò incœpta, modò perfecta opera flammis cremantes. Cum Romanis etiam manus conferre auſi, ipſis & fortitudine, & militari peritia ſuperior *Simeon*, tunc Senatorum Princeps, cladis futuræ gnarus, Populi animos concitabat, ut deditione facta, *Herodem* reciperent. Quis Deo obluctabitur, ſervitutem decernenti? Peccata mente recolerent, quibus expiandis, vix plurium Tyrannorum ſævitia ſufficeret. Liberè admitterent, quem penes eos non eſſet, effugere. In vanum contumaces pertrahebantur, ima Urbe capta, occupataque exteriori *Templi* parte, ejus interiora, excelſioremque Urbem petunt, nec immiſſis ab *Herode* victimis, nec fame, qua urgebantur, adduci potuerunt, ut *Alienigenum* Principem ſuſciperent, quamvis recentibus *Mariamnes* filiæ Alexandri, ac neptis *Ariſtobuli* nuptiis decoratum.

LIV.
A. M. 3967.
A. Chr. 37.
Herodes Soſiæ auxilio adjutus, Hieroſolymas capit.

Herodes ſpreta Majeſtate irritatus, admotis agminibus, Civitatem aggreſſus, irrumpit die Jejunii, omnia cædibus complens. Romani ob oppugnationis moras, non ætati, non ſexui, non dignitati parcebant; in eos etiam crudeles, qui ſe *Templi* Religione tuebantur. Ea fuit Militum rabies, ut immitem etiam Regis animum moveret. Precibus inſanos obteſtabatur, ut ferro, ſui cauſa, abſtinerent, nec Populoſiſſimam Urbem in ſolitudinem redigerent. Non tamen à cædibus, non à

LV.
Romani ſæviunt capta Hieroſolyma.

Rapinis ceſſatum, donec ulteriorem Urbis direptionem, promiſſa Singulis mercede redimeret. Hac induſtria Imperium conſecutus, *Judaicæ* Genti præfuit.

LVI.

A. M. 3967. A. Chr. 37. *Herodes ſibi cavens Hananelum creat Pontificem, id ægrè ferente Alexandra.*

Non ſecurum ſe *Herodes*, *Antigono* ſuperſtite, ratus, Antonium Auri largitione induxit, ut eum ſecuri ſubjiceret. Id præſentem rerum ſtatum exigere, Judæis Regem alium admittere abnuentibus, quamdiu veterem agnoſcerent. Non tamen regno in quiete potitus, donec evocato Babylone *Hircano*, impertitaque in ſpeciem poteſtate, honorem in Publicis conventibus deferret, blando Patris nomine addito. Interim nequis è Primatibus Pontifex haberetur, *Hananelum* virum ignobilem, Babylone accitum, ad ſacerdotium promovet. Sed dum incautus nimiùm ſibi conſulit, domeſticæ Seditionis materiam miniſtrat. *Alexandra* enim *Hircano* genita, contumeliam non ferens, quòd filio *Ariſtobulo* ſpreto, aliunde evocatus Pontificatum præriperet; ad *Cleopatram* ſcribit, ut ab Antonio, quem ipſius amoribus delibutum eſſe noverat, Pontificatum poſceret. Veritus *Herodes*, ne *Ariſtobulus* ob id Romam accerſitus, inſignis formæ Juvenis, *Antonio* placeret, exuto confeſtim Pontificatu Hananelo, eo Ariſtobulum inſigniit. Juſſa interim Alexandra, ſe intra Regiæ ſepta continere, interdictoque, ne quid pro poteſtate ageret.

Alex-

LVII.

Alexandra, muliebri arrogantia ſuſpectam ſe iniquo animo ferens, implorato priùs *Cleopatræ* auxilio, duo feretra præparat, quibus ipſa ac filius incluſi, à famulis arcani conſciis, noctu efferrerentur. Petendum erat Mare, & paratis in portu navigiis, in *Ægyptum* trajiciendum. *Herodes* de inſidiis præmonitus, in fuga deprehenſos retrahit, data errori venia, nocere eis non auſus. Apud ſe tamen Adoleſcentis necem moliebatur, ſed dandam eſſe deſtinatæ rei moram exiſtimabat, ne nimiùm feſtinanti, crimen objiceretur. Anno vergente, *Ariſtobulum* luſu defeſſum, cùm in Piſcinam, frigore captando deſcendiſſet, quidam Aulici ſequuntur, velut cum Adoleſcente colluſuri; ſed reverà commiſſum ſibi ab *Herode* negotium executuri. Ergo natantem deprimunt, & ſæpiùs quaſi per laſciviam mergentes, non niſi Aquis ſuffocatum allevant. Non *Alexandram* Præſtigiæ latuerunt, ſed premendi dolorem neceſſitas urgebat, ne acerbius ſibi malum conſciſceret. Extinctum per ſummum nefas filium, haud ſentire videbatur, ne quam cogitabat ultio pateſceret. *Herodes* ut à crimine alienus crederetur, lachrymas veris ſimillimas fundebat, uni rei intentus, ut quam filio cariſſimo orbaverat, citra ſceleris ſuſpicionem ſolaretur.

A. M. 3970. A. Chr. 34. *Ariſtobulus Herodis arte, in Piſcina ſuffocatus eſt.*

LVIII.

Accerſitus ab Antonio *Herodes*, ut de objecto flagitio cauſam diceret: Id enim criminabatur, quòd ejus favore, alieni juris

Herodes Antonium muneribus devinxit.

ris ſceptro potitus, legitimos Regum hæredes funeſtè tolleret. *Herodes* cauſæ diffidens, anxiè *Cleopatræ* odia veritus, muneribus *Antonii* animum occupat, & ſuetâ largitionum arte, effecit, ne ad rationem facinoris reddendam adigeretur. Cauſam ejus agente *Antonio*, Reges omni lege ſolutos eſſe, & iniquè factorum ab eis rationem expoſtulari, quibus, delato ſemel honore, fas eſt, quicquid pro lubitu agere.

LIX.

A. M. 3974. A. Chr. 30. *Herodes in familiam regiam acerbè ſævit.*

Antonio autem pòſt, *Cæſaris* armis, apud Actium devicto, *Herodes* ſibi ob ejus Amicitiam metuens, *Hircanum* regii Generis ſuperſtitem, è vivis tollere ſtatuit. Succeſſionem illi, quamvis ſe à Cæſare opprimendum crederet, invidens. Ergo Senex octuagenarius, dum inſidiarum metu, fugam ad *Arabes* parat, interficitur. Non hîc ſævitiæ, non crudelitatis meta; *Mariamnem*, quam tam ardenter deperibat, inſidias ſuſpicatus, ſupplicio affecit. Mox metu percitus, quòd *Alexandra* Socrus, Hieroſolymitanam Arcem occupare quondam tantaverat, ſe ejus ſanguine polluit. Fati comites Judæorum plurimos addidit, injuriæ delatos, quòd *Antigoni* ſtirpi faverent, ejus cognatos occultè tuit.

LX.

A. M. 3981. A. Chr. 23. *Amoto à Pontificatu Jeſu, & Simone ſubſtituto, templum ædificat.*

Pacato tot cædibus imperio, Simonis *Boëthi* filiam, mulierum ſuæ ætatis formoſiſſimam, pro *Mariamne* interfecta, in thalamo admittit. Ut cum novo ſocero affinitatem contraheret, ereptum *Jeſu* Phabetis filio Pontificatum *Simoni* tradidit.

Ju-

Judæis interim inviſus, quòd receptis Græcorum ineptiis, crudelia quoque Gladiatorum certamina admiſiſſet. Querulos liberalitate compeſcuit, ubi verò irritatos ſenſit, quòd recentis Idololatriæ Author, *Cæſari*, à quo auctus fuerat imperio, Fanum ad *Jordanis* fontes dedicaſſet, non potuit niſi tertia Tributorum parte remiſſa, mitigare. Imo quò Bonorum animos ſibi conciliaret, Templum Dei Opt. Max. propriis ſumptibus adoritur; miræ ſtructuræ ædificium, cui centum cubitorum longitudo fuit, centum & viginti altitudo, ampliſſimis porticibus, & quadruplici Columnarum ordine adornatum. Tam inſigne opus, decimo octavo ejus Regni anno inchoatum, haud potuit ante vigeſimum octavum abſolvi; novem ante annis, quàm *Chriſtus* ſummè potentis Dei filius, Cœlo relicto, in Virginis utero, Templum conſtruxit.

LXI.

Deus nocturnis imbribus deſignat gratam ſibi eſſe eam Manſionem,

Rumore vulgatum eſt, decennii intervallo, non interdiu pluiſſe, Terra nocturnis dumtaxat imbribus madefacta, Deo tacitè indicante, gratum ſibi ſanctæ Manſionis apparatum, quem hac novitate deſignaret. Non ſat *Herodi* viſum, Judæorum invidiam domi diluiſſe, ad M. *Agrippam* Auguſti Generum, apud Synopem Ponticam Urbem hærentem profectus, obtinuit, ut non Judæi Jonici modò, Patria Religione uterentur, ſed effecit ut eandem libertatem *Aſiaticis* Cyrenenſibuſque *Auguſtus* concederet. Codycillis ab eo

eo emiſſis, ut pecunia ſacra pro veteri conſuetudine, Hieroſolymam deportaretur.

LXII.

A. M. 3999. A. Chr. 5. *Alexandrum & Ariſtobulum filios cum aliis Herodes interfici jubet.*

Herodes novem Uxores habuit, è quibus plures tulit Filios. *Antipatrum, Archelaum, Herodem* Antipam nominatum, *Philippum, Phaſelum*, præter *Alexandrum* & *Ariſtobulum* ex Mariamne procreatos. An numeroſa ſobole fælicior, quàm miſerior, ambigi poteſt. Nam *Alexandrum* & *Ariſtobulum* regii faſtigii, in quod alebantur, capaces, ſeu inſidiarum ſuſpicione, ſeu *Antipatri* natu maximi calumniis, præfocari juſſit. Nec diu poſt, Deo ulciſcente, eundem *Antipatrum*, quem Regni ſucceſſorem deſtinarat, in ſtudiis malignis deprehenſum, in carcere mactat. Sicque *Hircano* ſocero, Socru *Alexandræ Mariamni* Reginæ, ac tribus inſuper Filiorum præcipuis, truculentus Rex, truculentior Gener, ſed immaniſſimus parens & conjux ſeu enſe, ſeu laqueo vitam ademit.

LXIII.

A. M. 4000. *Angelus Zachariam convenit, de naſcituro filio admonens.*

Dum Herodes in ſuos debacchatur affectus, & innocuo ſuorum ſanguine Regiam Majeſtatem traducit, *Gabriel* Angelus Zachariam Sacerdotem in Templo convenerat, ſacris operam dantem. Hic adolenti naſcituri filii ortum, nomen, elogia denuntiat. Ille ætatis provectæ, ac Elizabethæ Uxoris ſterilitate comperta, ad verba hæret, miraculo incredulus. *Angelus* ut Dictis vim faceret, pendulum vocis privilegio mulctat, quatenus qui diſſenti-

sentiendo locutus fuerat, tacendo postmodum credere discceret.

Sexto post mense, Idem *Angelus*, à Deo ad *Mariam* ex *Joachimo* & *Anna* procreatam, & tunc *Josepho* nuptam ablegatur, qui arcanum pandat, stare sententiam, filium suum unigenitum humana carne indutum, ex illibato ejus utero educendi. Facti difficultatem causata Virgo, quòd lecti maritalis nescia, conjugem asperaretur, à mysterii paranympho discit, id non humanitùs, sed afflatu Divino perficiendum. Assensit Virgo, conjux, illico Altissimi virtute abumbrata. Fœtu concepto imprægnata, ad *Elizabetham* cognatam profecta, gravidam quoque reperit, cujus proles, salutantis voce excepta, manibus pedibusque plaudere cœpit. Solem adesse, quem in nubilo cernebat, gratulatus. Mirum Divinæ miserationis indicium, ut ventris ergastulo infans inclusus, Dominum Salvatorem agnosceret. LXIV. *Idem Angelus ad Mariam Josepho nuptam mittitur, salvatorem annuntians.*

Maria apud Elisabetham, trium fermè Mensium spatio, diversata, *Nazarethum* ad *Josephum* conjugem revertitur: qui tumescente Virginis utero, animo labitur, Zelotypiæ cruciamentis anxius. Libidinis damnaret? Castum noverat: excusaret? Uteri onus impudicam loquebatur. Spei timorisque medius, cùm Uxorem clam dimittere cogitat, ab *Angelo* in somnis de ejus integritate admonetur, quæ Dei Virtute fœcunda, Infantem Deum LXV. *Admonet Angelus Josephum, Mariam de Spiritu Sancto concepisse.*

Deum esset propediem paritura. Talia decere Mundi Conditorem incunabula, qui non nisi de Virgine nascceretur, talem congruere Virgini partum, ut non nisi Deum gigneret.

HISTO

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Nonus.

De Christo Homini-Deo, Mundi Salvatore.

I. ANno mundi quatèr milliſſimo, *Cæſare Auguſto, & L. Cornelio Sulla Coſſ.* Herodis imperii anno penè extremo, annis abhinc mille ſexcentis LXXXV. novem antè menſibus, in intemeratæ Virginis gremio, JESUS CHRISTUS Dei filius, Sacerdos æternus, & jamdudum Patribus promiſſus Judæorum Rex, in lucem prodiit, Bethelemi, in Judæa, nocte concubia, vigeſimo quinto Decembris. Non in Palatio, non Principum more, Satellitibus cinctus, non Purpura & Byſſo involutus, ſed in antro, Animantibus viliſſimis medius, in palea ac fœno receptus. Ita humili carnis habitu, in terras delabitur, ut Homo qui Prophetis non crediderat, ſalutem promptiùs quæreret, cùm ad eum ſalus ipſa veniſſet,

A. M. 4000.
A. Chr. 1.
Natus Chriſtus.

nisset, & qui misso de cœlis non corrigebatur imperio, præsentiæ saltem instrueretur exemplo.

II. *Edicto Cæsaris Josephus cum conjuge Bethelemum ascendit.*

Josephus enim cum sponsa, edicto Augusti (qui totum Terrarum orbem per domos ac familias describi curaverat) obsecutus, à Galilæa inferiori molestum iter susceperat, ut secundùm præscripta, in Judææ tabulas, ex qua oriundus erat, cum cæteris referreretur. Jamque oppidum proximè attigerant, cùm completis pariendi diebus, *Bethelemi* subsistere coguntur. Sic Christus in Civitate exigua, domo paupercula, vili supellectile, in stabulo nascitur, sed citra *Genitricis* in puerperio contumeliam.

III. *Angelus Christi ortum Pastoribus enuntiat.*

Eodem nocturno tempore, illustri specie *Angelus*, Pastoribus Gregis sui excubias agentibus, conspiciendum se exhibuit, Mundi Solem ortum esse annuntians. Cui ne authoritas deesset, statim cœlestium Agminum multitudo adfuit, Dei laudes canentium, choroque alternatim ingerentium; *Gloria in excelsis Deo, atque in terra pax Hominibus bonæ voluntatis.* Id ad veritatis securitatem exigi videbatur, ne de Pueri majestate, quem in præsepio contemplaturi erant, ambigerent, nec putarent in sola Hominis natura esse editum, cui superna militia famulando occurreret.

IV. *Christo nato oracula conticescunt.*

CHRISTI Magnificentiam, non Cœlestes Genii dumtaxat cantu, sed & Dæmones, silentio testabantur. Nam Deorum Oracula, eo nato, conticuerunt, Pa-

gans

ganis mirantibus humanum genus, ſubitò futuri caligini eſſe damnatum. Siluit *Delphicus* Dæmon, qui tot Miſeros dubia reſponſione fefellerat. Obmuteſcit *Pythius*, ſe proripere juſſus, Chriſto oriente, qui tenebrarum Rectores deturbare venerat. Fama eſt, *Auguſtum* ad *Pythium* miſiſſe, interrogatum, cui poſt ſe, fata Imperium concederent, repoſuit tunc verax Apollo:

Hebræus puer injungit, Divûm Dominator,
Hacce domo fugere, & rurſum me inferna ſubire:
Ergo tacens aris poſthàc diſcedito noſtris.

Quo accepto, Author eſt *Suidas*, Auguſtum aram in Capitolio extruxiſſe, *Primogenito Deo.* Imo addit *Oroſius*, eundem Chriſto nato, edicto vetuiſſe, ne ſe eo die Dominum appellarent, manifeſto ſublimioris dominatus præſagio, qui in terris obtigerat.

V.

Octavo à Nativitate die, circumciſus eſt Puer & vocatus JESUS.

Calendis Januariis, *Chriſtus*, qui legem adimplere venerat, in Templum delatus, præputium ſibi eripi, ſanguine effuſo patitur; ſed JESU, quod *Servator* dicitur, aſſumpto nomine. Id quidem Regibus commune, ſed ſpeciali prærogativa, Dei Filio inditum, quòd omnibus ſalutifer advenerat. Ab hoc potenti nomine, primus *Chriſti* annus exordium duxit, qui ut Deum carni

incorporatum admonuit, ita & Regem omnibus venerandum exhiberet.

VI. *Magi veniunt ad eum adorandum.*

Sexta poſt Circumciſionem luce, en novum in Æthere ſidus, non cæterorum more, ab Ortu in Occaſum, ſed tranſverſim à Septentrione in Meridiem delatum. *Magi* in Arabia, an Reguli, an Sacerdotes, incertum, longas Regiones prævio fulgore, emenſi, demum *Hieroſolymam* perveniunt, novum Regem adoraturi. Eo autem evaneſcente, recentem Principis exortum quærunt, quem Judæorum Regem palam profiterentur;

Vidimus hunc, aiunt, puerum per ſidera ferri,
Et ſuper antiquos Signorum ardeſcere tractus.

Herodes gentis ſuæ Rectorem natum eſſe audiens, ſucceſſorem ſuſpicatus, *Magos* ſecretò admonet, ut cunabulis detectis, certiorem de iis facerent, cui & animus eſſet, puerilem majeſtatem venerari. *Magi* Urbe egreſſi, Stella duce, lumen denuo exerente, Bethleemum progrediuntur, & repertum cum Matre puerum, humi proſtrati reverentur, exhibitis Perſarum more, muneribus, *Thure*, *Myrrha*, & *Auro*. Idonea tanto Numini vota, quibus Regem, Deum, Mortalem profitebantur. Sic ut *Rex* in præſepio, *Deus* in carne, *Infans* in cunis, Angelos nuntios haberet, Cœlos prædicatores, Magos cultores.

Expletis

VII.

Simeon & Anna Dominum in Mariæ purificatione agnoſcunt.

Expletis Purificationis diebus, *Maria* Hieroſolymam profecta, ad Templum acceſſit, puerum cum Donis Deo oblatura. Ergo binos Columbarum pullos, ſecundum legem de primogenitis deferenti, obvius Simeon, magni *Synedrii* judex (& quem Deus non moriturum monuerat, ni Orbis Servatorem contemplaretur) comprehenſum ulnis infantem, Divino radio illuſtratus, agnoſcens, multa de eo, de matre vaticinatus eſt. Tum præ gaudio, in Dei laudes effuſus, quòd tanti beneficii compotem effeciſſet, vitæ reliquum dedignatus eſt, qui in eum uſque diem vixerat, qua *Vitam* inveniret, & cui caligaverant oculi, ut Juſtitiæ Solem intueretur. Huic *Anna*, Phanuelis filia, *Anus* fatiloqua, ſuperveniens, œſtro cœleſti afflata, Dominum viciſſim agnoſcit, eis beatitudinem prænuntians, qui ejus adventum præſtolarentur.

VIII.

Herodes Chriſtum proſecutus, infantes occidit.

Sed ut fluxæ ſunt res Mortalium, & jucundis mœſtæ paſſim immiſcentur, en, qui Regum, Sacerdotumque ſuffragiis *Deus* audierat, ſtatim ſcena mutata fugam, ut *Homuncio* capeſſere cogitur. *Joſephus* enim per ſoporem ab Angelo admonitus, Infanti periculum ab *Herode* imminere, in *Ægyptum* cito greſſu, *Maria* comite, contendit, nocte effugium obtegens, ne Tyrannus, inter feſtinandum anxios opprimeret. *Herodes* ubi Magos in Patriam, alio itinere, nec facto indicio, rediiſſe cognovit, ſibi cavens, & de Regno ſoli-

citus, Principem novum, in cunabulis adhuc vagientem tollere constituit. Facilè Reges, ubi nimia imperandi cupidine feruntur, timori succumbunt, levisque nuntii rumore conturbantur. Igitur ut omnem alienæ Dominationis suspicionem exscinderet, missis undique Satellitibus, omnes *Infantes*, infra bimatum, *Bethleemi*, aut in ejus finibus repertos mactari imperat. Sic mori compellebantur, qui vix vivere incœperant, & discriminis ignari, iis risu blandiebantur, quos ut Carnifices non horrebant. Nihil sævitia *Herodes* peregit, Deo Infanti favente, quem jam in Ægyptum præcipitatio transtulerat.

IX. Flagitii pœnas propediem *Tyrannus* pependit: Anno enim vertente morborum cruciatibus afflictatus, intestinis putredine corruptis, dolorem ingessit purulentus pedibus humor, demum genitale membrum corripuit. Mox putrescente, & vermibus, quos alebat, corroso corpore, cùm sœpiùs supplicii acerbitate, *mortem*, manu propria sibi consciscere molitus, à suis prohiberetur, tandem ab eis præ fœtore destitutus, immanem animam efflavit. Anno ætatis septuagesimo, Imperii supra trigesimum quarto, cùm ante quinque dies, nequissimum Filiorum *Antipatrum* in carcere trucidasset. Regni successorem testamento *Archelaum* reliquit, Judææ, Idumeæ, & Samariæ Ethnarcham appellatum. *Herodi Antipæ* Galilæam, & Peræam

A. M. 4001. Christi 2. *Herodes miserè obit.*

am largitus; Batanea, & Trachonitide *Philippo* assignata.

X. *Herode* vita defuncto, *Josephus* ab Angelo monitus, *Christum* Infantem ex Ægypto, in Judæam reportavit. Et quidni Israeliticam Terram repeteret, à qua Tyrannus excesserat? Audito autem *Archelaum*, vice Patris sui, regnare, Hominis impii Hæredem veritus, in Galilæam divertit, *Nazarethi* Oppidi ignobilitate celandus. Ut quod per Prophetas scriptum fuerat, impleretur: *Quod Nazarenus vocabitur.*

Josephus ex Ægypto Nazarethum venit.

XI. *Archelaum* intestini motus statim occupant, in primo ad Paschalia festa conventu. Judæi eos ad supplicium exposcebant, qui in *Juda* & *Matthia* Juris interpretibus castigandis (qui insanabili *Herodis* morbo cognito, quibusdam Juvenibus authores fuerant, ut Aquilam auream, supra Templi portam erectam dejicerent) operam suam commodassent. *Archelaus* seditione comperta, immissis copiis, tria factiosorum millia delevit, cæteris fuga dispersis. Hinc à *Judæis*, apud *Augustum* Romæ delatus, quod Subditos impotenter haberet, se objectis eximere impar, Regno spoliatus, *Viennam* Galliæ delegatur, cunctis ejus opibus fisco illatis. Mox *Cæsar* Judæam exinde Romanorum Provinciam constituit, Syriæ Jurisdictioni attributam, Procuratore, ut antehac, ad jus dicendum impositio C. *Coponio*, *Anna* Pontifice, à *Quirino* Syriæ proconsule assignato.

Archelaus ob patratam cædem à Cæsare deponitur.

XII.

A. M. 4012. Chr. 12. *Christus ætatis anno duodecimo, Doctores audit & interrogat.*

Christus anno ætatis duodecimo, *Josephum* & *Mariam* ad Paschales ferias, Hierosolymam comitatus, illis post exactos septem *Azymorum* dies, insciis ac domum redeuntibus, ibi resistit, at triduo quæsitus, in Templo Doctoribus stipatus reperitur, cujus quæstionibus attoniti, & sapientiam in tenera ætate, & in puero mentis canitiem mirabantur. Congressum sollicita *Mater* interrupit, remissioris in se affectus, filium arguens. Ille Patris negotium causatus, abducentem secutus, *Nazarethum* rediit, Parentibus subjectus, apud quos, ad trigesimum usque annum, pro fabri filio habitus, vilem quoque artem exercuit.

XIII.

A. M. 4031. Christ. 32. *Joannes pœnitentiam Judæis annuntiat.*

Anno *Tiberii* Cæsaris decimo quinto, *Pontio Pilato* Judææ Præside, *Joannes Baptista*, Zacharia Sacerdote procreatus, Domini præcursor dictus, Divino spiritu illustris, & ad miraculum sanctus, in medium prodiit. Qui in vasta Judææ eremo receptus, veste ex pilis camelinis contexta, & coriacea Zona cinctus, locustis ac melle agresti vescebatur, panis & vini abstemius. Regione, quæ *Jordani* Fluvio amœno, & oppidis circumsepto circumjacet, peragrata, *Christum* Æterni Patris Filium in propinquo esse inclamat, severum judicem, & à contumaci gente pœnas sumpturum, ni opportunè resipiscat, & dignos pœnitentiæ fructus enitatur. Populo expectanti, & animo volventi, num fortè esset ipse Christus, quem præconio ostendebat, respondit.

ſpondit. *Vos quidem Ego fonte abluo, ſed me validior venturus eſt, cujus dignus non ſum, ut ſolearum corrigiam expediam: Ipſe Vos Spiritu Sancto perfundet, & Igni. Cujus ventilabrum in manu ejus eſt, & qui aream ſuam purgabit, & aſſervato in horreo tritico, paleam inextinguibilibus flammis committet.* Tum Salvatoris gratiam annuntians, eam cunctis Mortalibus pollicetur, qui ſacro fonte inſtillati, vitam actibus comprobarent. Se quidem Aquam perfundere, non niſi autem ab eo Peccatorum remiſſionem impertiri, qui tanquam AGNUS DEI, totius univerſi reatum fert, & exſcindit.

XIV.

A. M. 4032. Chriſti 33. *Chriſtus à Joanne Baptizatur.*

Anno ſequenti, *Chriſtus* Nazaretho Galilææ, ad *Jordanem* veniens, à *Joanne* Baptiſmo tingi lavarique popoſcit. Qui ſtupens Dominum ad mancipium, ad Creaturam Conditorem acceſſiſſe, tali ſe honore dedignatus, munus recuſat, quòd ei potius ab illo Aqua aſpergi incumberet. Edoctus autem Baptiſmum, complendæ juſtitiæ cauſa à Chriſto peti, qui corporis ſui contactu, undas in ſalutaris lavacri Sacramentum conſecraret, eum in Jordane intinxit. Tum in Obſequii præmium, Deum alta voce, hunc ex ſe genitum, in quo totus ſibi placeret, teſtantem audivit. Mox Spiritus Sancti aſpectu dignatus, qui *Columbæ* effigie, Cœlo delabens, ſupra *Chriſtum* requievit. Hæc cum fuſè apud Evangeliſtas enarrentur, animus non eſt, rerum omnium circumſtantias deſcri-

bere, cùm id immensi foret operis, nec queat fortè multis voluminibus comprehendi.

XV. *Sathanas Christum tentatione aggreditur.*

Jesus Spiritu Sancto plenus, à *Jordane* in Desertum à Spiritu agitur, in quo inter feras versatus, quadraginta Dierum spatio, omni cibo ac potu abstinuit. Humani generis hostis Satanas, Christum fortè ex Patris voce, Deum suspicatus, spe tamen Victoriæ concepta, quòd solus, quòd in eremo lateret, aggredi audet. Potestatis vim exploraturus, *lapides*, exactis quadraginta Jejunii diebus, offert, gulæ remedium, in panem convertendos. Mox alia tentatione, *Dominum* adortus, in locum sublimem evecto, totius Orbis Dominationem, Regnorumque gloriam ostentat, hæc, si eum in terram pronus adoraret, pollicitus. Homini Universi imperium ingerit, ut quem cibo pellectum loco dimovere non potuerat, fastu & rerum ambitione corrumperet. JESUS exprobratâ Dæmonis malitia, quòd debitum vero Numini honorem sibi arrogaret, nec cibum ex lapidibus effecit, nec oblatas opes accepit. Tum successere *Angeli*, in ministerium parati.

XVI. *E multis Discipulis, Christus duodecim Apostolos elegit.*

Post hæc, in Galilæam *Christus* reversus, ex Discipulis, quos plurimos habebat, duodecim præcipuos, destinatos Nationibus Magistros elegit. *Simonem*, quem alio nomine insignivit, *Petrum*, & *Andream* fratrem ejus, *Jacobum* & *Joannem* Zebedei filios; *Philippum* & *Bartholomæum*; *Matthæum* & *Thomam*; *Jacobum* Alphei, & *Simonem*, qui vocatur Zelotes; *Judam Jacobi*,

Jacobi, & *Judam Iſcariotes*, qui fuit proditor. Cæterorum Principem *Petrum* conſtituit, quo inter Apoſtolos ordo ſervaretur, & capite deſignato, *Schiſmatis* occaſio amoveretur. Cur autem proditorem *Judam* iis annumeraverit, is efferat, qui Deo à conſiliis eſt, & ejus arcana perſcrutatur. His comitibus, *Canam* ad nuptias cum *Matre* invitatus, cùm Vinum deficeret, aquas in Vinum optimum vertit, conjugalis Thalami lætitiam primo miraculo dignatus.

XVII. A. M. 4033. Chriſt. 34. *Chriſtus in primo Paſchate Miniſterii ſui, vendentes Templo ejicit.*

Indè *Hieroſolymas* ad Paſchale feſtum profectus, Templum, Ovium, Boum, ac Columbarum mundinationibus, inquinari haud ferens, ſubverſis numulariorum abacis, flagello ex ſarcinarum funiculis confecto, temeratores abigit. Prophanum agendi morem in Æde ſacra deteſtatus, ſolo numine replenda. *Chriſtianis* documento, in Templo, vanis cupiditatibus abſtineant, ne improviſus fortè perſecutor interveniens, oſcitantes à loco ſacro amoliatur. In Authoritatis indicium, Corporis ſui Templum, à Judæis ſolvendi, & ad vitam ſubinde à ſe revocandi poteſtatem pronuntiat. Tum *Nicodemo* Senatori, Phariſæorumque Principi inſtitutionem, ſed præ pudore nocturnam, de Regenerationis myſterio, in ipſius mortem fide, & infidelium condemnatione, ambienti, ſuggerit, vanos eſſe in Beatitudine obtinenda Mortalium conatus, ni aqua abluti, & Spiritu Sancto irradiati, per DEI Filium, pec-

peccatorum condonationem adipiſcantur, eaque Fide muniti, æternam ſalutem requirant. Se *Viam* Hominibus eſſe, per quam gradiantur, *Veritatem*, ne decipiantur, *Vitam*, ne perenniter intereant.

XVIII. *Joannes Baptiſta in Carcerem ab Herode truditur.*

Hieroſolymis relictis, gliſcente per totam *Judæam*, Diſcipulorum numero, *Joannes Baptiſta*, Chriſti præco ac proxeneta, in cuſtodiam ab *Herode* Tetrarcha, Herodis magni filio truditur, quòd juſtitiæ zelo, inceſtum cum Herodiade Philippi fratris uxore, thalamum averſatus, nuptias ſtupri damnaret. Nunquam fœminam impunè aliquis exaſperatur; verbis laceſſere ſat eſt, ut ultricem ſentiat. *Chriſtus* comperto Joannem vinculis teneri, in Galilæam revertitur, & Civium ſuorum ingratitudinem exoſus, apud *Capernaitas* ſedem figere conſtituit. Itinere per Samariam facto, mulierem *Samaritanam*, prope *Sichar* oppidum, in ſui agnitionem perducit. Tum Magnatis cujuſdam filium, Petri ſocrum, alioſque plures, infirmitate detentos, verbo, ſanitati reſtituit. *Capernaitæ* tot beneficiis deliniti, longiorem moram precantur. Vix eum Urbe diſcedere paſſi, quem ſibi adeò munificum cernebant. Ille non Urbis unius cauſa, à Patre delegatum ſe reſpondit, ad cætera etiam Oppida deferendum eſſe præconium. Quare perluſtratis Regionibus aliis, paſſim obvios edocet in propinquo cœleſte Regnum eſſe, vitiis valedicendum, corrigendos Affectus, Voluptati obluctandum, cum Deo in gratiam rede-

redeundum, Prophetarum dictis aſſentiendum, atque ideo quærendos in Cœlo theſauros, ſpretis mundi illecebris, abjectaque Seculi pompa.

XIX. *Chriſtus potens in morbis ſanandis.*

Ut Sermone, ſic operibus vim Divinam teſtatur; Animæ *Inſtructor*, Corporis *Medicus*. Navi conſcenſa, miraculoſam Piſcium capturam imperat; *Leproſis* munditiem, *Paralyticis* vires, *claudis* membra ſolida, à nativitate *cæcis*, aſpiciendi facultatem impertitus. Paucis diebus interjectis, *Capernaumum* regreſſus, *Paralytico* cum lectulo, è ſolario demiſſo, peccata, Scribis & Phariſæis ſpectantibus, remittit, inertem morbum, omnium ſtupore medicatus. Tum verſus mare iter faciens, Diſcipulos Sabbatho ſpicas vellentes, à Phariſæorum reprehenſione vendicat, Doctrinam de Sabbathi obſervatione, mira claritate expromens.

XX. *Secundo miniſterii ſui Paſchate, Chriſtus Judæos erudit.*

Anno proximo, dum *Paſchæ* ſolemnitati intereſt, decumbentem ad triginta octo annos ægrum, Sabbatho, ſublato grabato, in medium prodire juſſit. Judæis indignantibus, objicientibuſque ejus diei violationem, ſe cum Patre, pari poteſtate operari reſpondet, ſimilem utrique virtutem, & nullis limitibus coercitam. Evincit ſubindè, Diem *Sabbathi*, non Hominum exitio, ſed ſaluti eſſe inſtitutam, quam nemo vilem habet, quamdiu proximis auxiliarem manum porrigit. Mox *Synagogam* ingreſſus, quendam arida manu languentem, viribus reſtitutis, reficit.

Tum

Tum ſelectos è pluribus *Diſcipulis* Legatos, quos Græco nomine, *Apoſtolos*, vocamus, in Dæmonia ac ægritudines poteſtate impertit. Iis ſtipatus, montem aſcendit, & ingenti turba eum comitante, longam & eximiam concionem, primùm ad *Apoſtolos*, indè ad *Populum* univerſum habuit. Et verbis & operibus, *Centurio* Romanus, qui *Capernaumo* præerat, ſtupefactus, Servum dira Paralyſi cruciatum, ac tantùm non animam agentem, Chriſto exhibet, quo ſanato, eum omnium valetudinum Dictatorem profitetur. Quin virtutis Divinæ rudimentum tantùm videbatur, dum *Naimanum* adoleſcentem, Viduæ unigenitum, à Veſpillonibus elatum reſuſcitat, matrique incolumem reſtituit; dum *Dæmonum* Legionem, quæ diu Hominem miſerè divexarat, corpore depulſam, in Porcos tranſmiſit; dum Ventos increpat, eorum fremitus coercet, & ſonoras Tempeſtates compeſcit; dum Virgini *Jaïri* filiæ amiſſum ſpiritum, cum ingenti adſtantium ſtupore, redonat.

XXI. *Joannes è carcere duos Diſcipulos ad Chriſtum mittit.*

Quibus auditis, *Joannes*, ex carcere, in quem *Herodis* furor conjecerat, ad *Chriſtum* Diſcipulos mittit, percunctantes an is eſſet tandiu expectatus, aut alium præſtolarentur. Quibus reſpondit, reverſi, quæ oculis, quæ auribus excepiſtis, *Joanni* renuntiate: *Cæci* intuentur, *Claudi* incedunt, *Leproſi* mundantur, *Surdis* pateſcunt aures, *vita functi* ad vitam revocantur, *Pauperes* evangelizantur; & Beatus qui

in

in me ſcandalizatus non fuerit. Quibus ſe verum *Meſſiam* patefacit, cùm omnia, quæ de Chriſto vaticinatus *Eſaias* fuerat, veritatis effectum obtinerent.

XXII. *Maria Magdalena ad Chriſtum apud Simonem accedit.*

Chriſto apud *Simonem* Phariſæum, menſæ accumbente, mulier quædam, *Peccatricis* nomine nota, irrumpit, & convivii opportunitatem nacta, ejus pedibus advolvitur, quos lacrymis rigat, capillis detergit, labiis deoſculatur. Id *Phariſæus* contemplatus, apud ſe obmurmurans, quòd *Chriſtus* fœminæ, quam Corporis pudoriſque prodigam noverat, colloquium dignaretur, an verè Propheta, an Dei Filius eſſet, ambigit. Hominis temeritatem, propoſito *Creditoris* exemplo, *Chriſtus* arguit, qui Debitoribus inæquali ære obſtrictis, nomen remiſiſſet. Annon erga eum propenſior, quem pluribus abſolvit? Quare dicta pro *Pœnitenti muliere* ſententia, magnificum ſe Condonatorem oſtendit, Amori ejus tribuendo, quod ſoli ſuæ gratiæ deberi videbatur. Quippe meretrix lachrymis baptizata eſt, & crine, quo multos perdiderat, Domini pedes abſtergens, ſalutem obtinuit.

XXIII. *Dæmoniacus à Chriſto ſanatur.*

Chriſto exindè iter oppidatim facienti, *Dæmoniacus* exhibetur, voce carens, & luminibus orbatus. Dæmone expulſo, *Scribas* & *Phariſæos* objicientes, quòd Belzebulis opera, in orcum noxios Spiritus relegaret, acriter reprehendit, ſe ab horum calumniis, propoſito quorundam Judæorum exemplo tuitus, qui *Cacodæmones*

in

in fugam agerent, & quis eam virtutem Stygiæ potestati acceptum referet? Pharisæis post tot prodigia, aliud signum deposcentibus, non aliud quàm *Jonæ* Prophetæ ingerit, qui *Ceti* ergastulo, triduo arctatus, ubi ejectus, *Ninivitis*, ni maturè resipiscerent, exitium minatus fuerat. In iis adhuc erat, cum & *Genitricem*, & *Fratres*, hoc est, cognatos, præ foribus ad conspectum, ad colloquium adesse nuntiatur, quæ Mater, inquit, qui Fratres? & porrecta versus Discipulos dextra, En Matris, en Fratrum nomine digni, qui genitori parent, ejusque mandata exequuntur.

XXIV. *Apostoli à Christo ad prædicandum Evangelium mittuntur.*

Tum Orbem Terrarum *Apostolis*, verbi prædicatione, erudiendum committit, eis fundandi, constituendi, scriptis docendi authoritatem impertitus. Horum, supra cæteros Episcopos ac Pastores, notæ erant, ut à Christo immediatè electi, omnium, quæ viderant, testes haberentur. *Dein*, ut Creaturis omnibus *Evangelium* annuntiarent, non quemadmodum Principes, qui Gentes aliquas, aut Urbes regendas suscipiunt; sed quorum *Fidei* terrarum Orbis concrederetur. *Tertiò*, quòd eis potestas longè major, augustiorque dignitas concessa sit, quàm ulli unquam functioni alteri spirituali, quæ propterea Spiritualium potestatum, caput, radix, origo, fundamentum, à *Chrysostomo* appellatur.

Dum

XXV.

Joannes ab Herode occiditur.

Dum *Apoſtoli* ſpargendo præconio occupantur, & Divina virtute diverſas Regiones peragrant, *Joannes Baptiſta* ab *Herode*, capite truncatur. Cùm enim in natali ſuo, cænam Principibus feciſſet, puellæ, ex *Herodiade* genitæ, impudicè ſaltanti, petendi optionem dedit, quæ à Matre ſubornata, ne Viri ſanctiſſimi increpationibus, *Herodes*, inceſtas nuptias ſolveret, ſibi *Prophetæ* caput, in diſco porrigi poſtulavit. Quid Crudelitati cum delicijs? Quid cum furijs voluptati? Nihilominus ablegatus in carcerem ſpiculator, Cervice præciſa, ferale pii *Præconis* ferculum menſæ apponit. Non tamen os illud aureum exangue conticeſcit, poſt mortem loquitur, qui in vita non ſiluit. *Herodes* Joannem in *Chriſto* revixiſſe ratus, ejus operibus terretur, creditque in eo circumire, quem Saltatricis rogatu, ferro abſtulerat. Adeò peccare miſerum, cùm nemo impunè delinquat. Nec ſupplicium Herodiadis *filia* evaſit, quæ ſuper glaciem decurrens, ea ſub ejus pedibus ſubſidente, capite tenus demerſa, mox in ſe redeunte, abſciſſo capite, occubuit.

XXVI.

Ex quinque panibus quinque millia hominum paſcit Chriſtus.

Jeſus accepto de morte *Joannis* nuntio, in *Bethſaidæ* deſertum Apoſtolis comitibus, ſeceſſit. *Judæi* miraculorum & magnitudine, & numero attoniti, ſe proripientem pedibus aſſequuntur, adeò eum audiendi, omnes cupido invaſerat. Tanta nihilominus multitudo confluxit, ut deficiente in vaſta ſolitudine commeatu, tridui

dui jejunio premeretur. Tum *Jesu* beneficentia ac Virtus enituit. Etenim quinque Hominum millia exceptis mulieribus, ac parvulis, ex quinque hordeaceis *panibus*, & binis *Piscibus* saturavit. Duodecim corbibus, ex fragmentis, quæ supererant, Apostolorum ministerio, sublatis; velut in Divinæ potestatis defensionem, qua incredulitatis protervia exarmaretur, & Miraculi certitudini succumberet. Populus prodigio stupefactus, eum sibi in Regem adsciscere volebat, Regi Subditos pascere proprium arbitratus. *Christus* dignitatem aspernatus, in montem solus contendit, orationi operam daturus. Quin etiam tempore altero, pari urgente necessitate, quatuor millia, septem *panibus* ita pavit, ut septem reliquiarum sportæ explerentur.

XXVII. *Christus ortam tempestatem sedat.*

Post hæc, *Christus* orandi causa, in montem, pro more, secessurus, *Apostolos*, conscensa nave, præcedere jubet, qui viginti quinque, aut triginta stadia emensi, fluctibus, ventorumque concussu jactati, ne ulteriùs pergerent, arcebantur. *Christus* tunc Mare ingressus, tanquam solido innixus, gradiebatur, eos circa quartam noctis vigiliam assecutus. Quibus metu exanimatis, opemque implorantibus, *Petrum* ad se pedibus accedere jubet. Vento autem acriùs spirante, pavidum & mergi incipientem manu corripit, objurgatque, quòd exiguæ fidei, difficilioribus superatis, minoribus succumberet. Mox

Mox utroque navem ingreſſo, ſiluere Venti, ſummaque tranquillitas ſecuta eſt.

XXVIII. Christi 36. A. M. 4036. *Ejicit Dæmonium ex Cananea filia.*

Peractis, anno ſequenti, paſchalibus feriis, *Chriſtus* Hieroſolymis digreſſus, ad *Tyri* & *Sidonis* confinia perrexit, ubi importunis Cananeæ mulieris precibus, ejecto ab ejus filia Dæmonio, *ſurdam* & ægrè verba proferentem, immiſſis in aures digitis, ſanavit: Fruſtra ſecretum Spectatoribus committens, qui prohibitione irritati, rem obviis quibuſque propalabant. Conſtans enim ac fortis animus, quò magis vetatur eò altiùs provehitur. *Chriſto* apud Cæſareæ Philippi vicos ab Apoſtolis ſciſcitanti, quem eum eſſe Homines dicerent, *Petrus* Apoſtolorum omnium nomine, Dei filium eſſe profitetur. *Petro* benedictionibus cumulato, Chriſtus Eccleſiæ imperium aſſignat, poteſtatem pollicetur, impertita ligandi ſolvendique facultate.

XXIX. *Transfiguratur Chriſtus coram Apoſtolis.*

Apoſtolos ex ejus contubernio, ſibi blandientes, magnaſque ſpes indè agitantes, Chriſtus imminentium periculorum terrore coercet, nihil ſe præter mortem, ſuos autem Sectatores, Hominum odia, ac perſecutiones manere. Sed ne Puſillorum animos plus æquo deprimeret, fœlicioris ævi adventu ſolatus, tribus eorum præcipuis, in *Thaboris* Montis verticem perductis, ſe transformavit; & nube lucida circumdatus, cultu niveo, facie Solis æmula, *Moſem* & *Eliam*, veteris teſtamenti Proceres colloquio dignatur. Quorum omnium Con-

templatio, eam cœleſtis habitationis cupidinem *Apoſtolis* accendit, ut perpetuam in Monte manſionem ultrò depoſcerent. Verùm, nondum tanta gloria perfrui dabatur, non niſi effuſi ſanguinis mercede. A monte igitur abductos, *Chriſtus* admonet, ne mundanæ felicitatis fuco circumventi, ſedes primarias in Conventibus ambiant, aut in alios dominatum ſectentur. Eorum ſpem in cœlis poſitam, quorum poſſeſſio, diverſam ab humana beatitudine faciem ſortiretur, qua Mundi Principes gloriantur. Hic quidem Regnantibus obſequium deferri, indito *Rerum* Dominis, *Benefactoris* nomine: illic autem tanto quemque illuſtriorem exiſtimari, qui pluribus miniſtrat, & famulatur.

XXX. *Sanat juvenem à ſurdo & muto ſpiritu obſeſſum.*

Die poſtero, cùm ad montis pedem, *Legis* Doctores, cum Apoſtolis altercantes reperiſſet, cauſam diſcordiæ perquirenti, Vir quidam genibus ejus advolutus reſpondet, *Lunatici* filii ſui occaſione, ortum eſſe diſſidium, à quo Diſcipuli Spiritum impurum, vocis expertem, ac ſurdum expellere haud valerent. *Jeſus* Juvenem ſanatum Patri reſtituit, præfatus, iſtiuſmodi dæmonia, ſolius Dei imperio parere. Tunc *Diſcipulos* de Principatu contendentes, quis in Regno cœleſti maximus foret, parvuli exemplo, Humilitatem docuit. De offendiculis etiam inſtruens, ne quem manu, pede, vel oculo læderent. Quapropter, *parvulos* non eſſe contemptui habendos, Fratrem in eos peccantem, arguen-

arguendum; ab Eccleſia ligandum, aut ſolvendum; & ſeptuageſies ſepties uſque condonandum.

XXXI. *Mittit ſeptuaginta duos diſcipulos ante ſe.*

Anno ad quartum ejus *Miniſterii* Paſcha, vergente, ſeptuaginta duos Diſcipulos, Divini muneris præcones, in quas aditurus erat, Urbes ablegat, qui pari cum *Apoſtolis* poteſtate inſtructi, Hominum corporibus Dæmones propellerent, ac infirmis opitularentur. Qui indè poſtmodum reverſi, immundorum etiam Spirituum ſubjectionem teſtantur. Tum *Chriſtus* erepta Judæorum manibus muliere Adultera, & eam ſupplicio addicere aſpernatus, ſe Mundi lucem aſſerit: Mox improbis *Phariſæorum* moribus offenſus, in peccato ſuo extinctos iri pronuntiat, væ etiam legis Interpretibus comminatus. Increpata Judæorum Avaritia, eorum quoque ſimulationem detegit, ſuperbiam caſtigat, cæcitatem ingerit, & nimis anxiam de hujus vitæ neceſſariis ſolicitudinem damnat ac reprehendit. Nec eorum inſidiis appetitus, dimiſſiùs ſe gerit, ſed Fide *ſinapis* grano comparata, quòd ſciſſuræ expers, ac ſphærica figura, nullum angulum patitur, eam integram eſſe oportere demonſtrat, non tam verbis, quàm re ſervidam. Decem *Leproſis*, qui ei Hieroſolymam proficiſcenti occurrerent, ut ſe Sacerdotibus oſtenderent, præcipit, legis gnarus, quæ ab eorum oculis, ſanitatis indicium exigeret.

XXXII. *Lazarus reſuſcitatur.*

Jeſus ultra Jordanem, de *Lazari*, Marthæ & Mariæ fratris, ægritudine admonitus, non ſe illico *Bethaniam*, ubi decumbebat, contulit, ſed duos adhuc dies in eodem oppido moratus, morti locum dedit, ut quod facturus erat, non humanum, ſed Divinum haberetur. In Urbem Diſcipulis comitibus profecto, occurrens *Martha*, eum, quem amore proſequebatur, obiiſſe nuntiat. *Chriſtus* in lachrymas effuſus, ſepulchro lapidem amoveri jubet, & quatriduo jam in monumento fœtentem, magno clamore, evocat. Prodigium! erumpit *mortuus*, pedes manuſque inſtitis ligatus, facie ſudario tecta: Quo viſo, qui aderant Judæi, ſe Chriſto, miraculi teſtes, addixere.

XXXIII. *Salome petit a Chriſto ſeſſionem filiis ſuis. Zachæus recipit Chriſtum hoſpitio.*

Hieroſolymis egreſſum, *Salome*, *Zebedæi* conjux, *Jacobi* & *Joannis* mater convenit, de quorum fœlicitate ſolicita, uni dextræ, alteri ſiniſtræ ſeſſionem in Cœlo expoſtulat. Chriſtus matrem cogitans, quòd cæco amore ducta, filiis primatum ardentiùs expoſceret, importunam reſponſo depulit, penes ſe ſitum non eſſe, quod peteret largiri, ſed *Patrem* ſuum, qui gratiæ œconomus, eam pro lubitu profunderet. Tum cæteros indignantes admonuit, ut qui aliis præire ambiret, omnium ſervus ac miniſter haberetur, Filii Hominis exemplo, qui ſervitium ſubiturus venerat, & orco ereptos Homines Cœlo redditurus. *Zachæus* Publicanorum Princeps, & opulentus, audito

Jeſum

Jesum *Hierichunti* instare, eum videndi cupidine æstuans, cùm statura exiguus esset, Sycomorum subiit: Deprehensum *Christus* descendere ex arbore jubet, quem contemplari tantopere appetebat, hospitio excepturum. *Zachæus* Hospitis gratiam expertus, relicto Divitiarum onere, earum dimidium pauperibus elargitus est, fraudum censu ad quadruplum porrecto. Qua liberalitate, & peccatorum veniam obtinuit, & bona Egenis dando, non tam perdidit, quam mutavit.

XXXIV. *Magdalena unguento ungit Christi pedes.*

Prorogato *Hierosolymam* versus itinere, *Bethaniam* venit, ubi apud *Simonem leprosum* convivio exceptum, *Maria Magdalena* adoritur, conviva etiam *Lazaro*, quem à mortuis, ad vitam antea revocarat. Pedes pretioso unguento tinctos, capillis abstergit, mox vase fracto, reliquum in caput effudit, tota domo suavi halitu fragrante. Apostolis, *Juda* præsertim de tantæ rei jactura expostulantibus, *Mariæ* causam *Christus* egit, opus extollens, cujus erat dignitas, ut per universum orbem diffunderetur.

XXXV. *Christus Hierosolymam triumphans ingreditur.*

His dictis, Hierosolymam profecturus, *Bethphagam* adit, duobus Discipulis inde ablegatis, qui ad se *Asinam* cum pullo adducerent, cui, stratis vestibus insidens, Triumphatoris instar, iter, *Hierosolymam* versus, ingressus est, ingenti Hominum multitudine obvia, quæ *Jesum* festis olearum, palmarumque ramis prosequebatur, Israelitarum Regem consalutans. In

montis *Oliveti* deſcenſu, *Hieroſolymam* oculis contemplatus, in fletum erumpit, cladem, quæ ipſi imminebat, proſpiciens, quam vatir cinatus, Urbem ac Templum, penetrat. A quo in Sacrificium offerenda vendentibus ementibuſque ejectis, *Cæcos*, ac *Claudos* ab infirmitate liberat. *Phariſæi* facto attoniti, commotique inter *Judæos* Sacrorum Antiſtites, conſilio inito, *Jeſum* de medio tollere moliuntur. Livorem, *Lazari* quatriduo tumulati reſuſcitatio irritarat, quòd plurimi eo miraculo, eum Dei Filium agnoſcerent, & tanquam Meſſiam venerarentur. Ergo furoris impetu, *Sacerdotibus* in Factionis ſocietatem adſcitis, quî, quave arte, tam fatalem ſibi virum perderent, agitant. Caiphas anni illius Pontifex, cæteros ignorantiæ arguit, quòd ſibi conducere neſcirent, ut unus amoveretur, quatenus toti Judaicæ Genti conſultum eſſet. Cæterùm deſtinatis ſufflamen populi metus injecit, qui eum reverebatur, miraculorum inſolentia perculſus.

XXXVI. *Parabolis Phariſæos docet, in Templo.*

A Phariſæis populique Senioribus *Jeſus* rogatus, qua authoritate, tot mira patraret, paucis de *Joannis Baptiſmate* percunctatus, eos de Synagogæ interitu, Eccleſiaque ex Gentibus colligenda, parabolis edocuit. *Prima*, de duobus Filiis, ad vineam colendam, miſſis, ab iis ſciſcitatus, uter Patri morem geſſerit, is, qui ſe palmiti operaturum pollicitus, eo neglecto, receſſerat; an qui laborem faſtidiens, poſt, pœnitentia ductus, ſe operi accinxit.

Secunda,

Secunda, de Vinea Agricolis elocata, qui ira perciti, Servos fructui colligendo, à Domino deſignatos, primò fuſte exceptos interemerant, Vineæ etiam Hærede poſtmodum mactato. *Tertia* de Rege, qui nuptiale convivium Filio ſuo apparaverat, ſed Invitatis Epulas aſpernantibus, copias ſuas eorum urbibus admoverat, facibus in eas ad incendium injectis. Exacerbati ſermone *Judæi*, inſidias *Chriſto* meditantur, dubiis quæſtionibus irretitum, majeſtatis Reum peragere conati. Explorant *Herodiani*, an tributum Cæſari pendendum Chriſtus exiſtimaret; aſſerenti in promptu erat Populi indignatio; renuenti, Imperatoris ira. Chriſtus cognita adverſariorum mente, ad conſpectam Tiberii imaginem, ſua Cæſari, ſua Deo reddenda pronuntiavit. Quo reſponſo Judæi, turbati receſſerunt, ſed non minùs Veritatis Magiſtrum exoſi, cui mortem conſciſcere decreverant.

XXXVII. *Judas Chriſtum proditurus Cajapham adit.*

Machinationi *Judas Iſcariotes* adfuit, ex Apoſtolo proditor factus. Seu invidiæ rabie, Chriſtum pretioſi unguenti Jactura honoratum, ſeu Mariæ Magdalenæ munificentiam indignatus, *Caiapham* Pontificem, mox *Annam* ejus Socerum præceps adiit, exacto pretio, ad magiſtrum prodendum pactus. Nihil Pontifici, ac reliquæ malè Dominantium turbæ accidere gratiùs potuit, quàm Apoſtatæ perfidia, qui Nummi cupidine illectus, Dei Filium tot experimentis cognitum Hoſtibus tradere non

vereretur. Nec hos latebat, *Judam* odio Præceptorem ſuum proſequi, qui improbos mores, impoſturaſque non ſemel reprehenſas averſabatur.

XXXVIII. *Chriſtus lotis Apoſtolorum pedibus Euchariſtiam eis porrigit.*

Antequam verò *Chriſtus* Impiorum manibus committeretur, cœna ſub veſperam, ad *Agni Paſchalis* ritus celebrandos, inſtituta, humilitatem teſtatus, lotos Diſcipulorum pedes, quo præcinctus erat, linteo abſtergit. Mox maximum de omnipotentiæ ærario beneficium largiturus, ſtupendum illud myſterium, *Corporis* & *Sanguinis* ſui Sacramentum inſtituit, æternum Paſſionis ſuæ, ac futuræ immortalitatis monumentum. Dein Apoſtolos conſolatus, ut contra Tentationis vim, vigili oratione certarent, admonuit, eis auxilium ac curam pollicitus.

XXXIX. *A Juda Chriſtus proditur.*

Hieroſolyma relicta, ſuperatoque *Cedronis* torrente, Hortum propè montem *Oliveti* ſitum ingreditur, Diſcipulis conſidere juſſis, & mox præ mœrore in ſomnum ſolutis, ad orandum ſeceſſit. Aliquanto poſt reverſus, excitatos, *Petrum* præſertim increpat, qui *Paſtor* futurus, inſomnis noctem ducere tantillum non poſſet. *Judæi* interim compoſitis inſidiis, ne in vulgus facinus ſpargeretur, nocturnis precibus vacantem aggrediuntur, Ducem *Judam Iſcariotem* ſecuti. Cui ne criminis cauſam *Chriſtus* offenſionem præberet, non Turbæ obluctatur, non militibus ſuccenſet, imo Judæ obvius, Amici nomine proditorem compellat. Poteſtatem autem

tem

tem oſtenſurus, irruentes in ſe milites affatu proſternit, tum erectis, juſſiſque ut à Comitibus ſuis abſtinerent, facta poteſtate, impias manus admiſit. *Petro* Apoſtolo etiam animi fervore excitato, ut gladium reconderet præcipiens. Supervacaneum videbatur, ut qui *Angelicarum* legionum præſidium reſpuerat, unius *Diſcipuli* armis, ad ſui defenſionem indigeret.

XL. *Siſtitur coram Cajapha, dein ad Pilatum deductus.*

Manibus poſt tergum revinctis, in Urbem tractus, ad *Cajapham* Sacerdotum Principem perducitur, ſtupente Populo, novitatemque mirante. In *Pontificis* palatio, Scribæ, omniſque Sacerdotalis ordo convenerat, falſa teſtimonia adverſus Chriſtum commenti. Inter tot diſſonas voces, improboſque Delatores *Chriſtus* ſiluit, donec per Deum verum adjuratus, an *Chriſtus* Dei filius eſſet, *Cajaphæ* verbis, Deum ſe teſtatus eſt. Qui ut ſermonis invidiam augeret, veſtes dilacerat, & tanquam mentis impos, ita inſania éxarſit, ut ſe ſacerdotali honore indignum exhiberet. Poſtridie ad *Pontium Pilatum* præſidem tranſlatus, Seditionis inſimulatur, quòd ſe Dei filium agnoſceret, *Cæſariſque* tributa remoraretur. *Pilatus* autem odii conſcius, quo Chriſtum Judæi ſectarentur, cauſa diſcuſſa, teſtibuſque adhibitis, etſi culpam in Accuſato haud reperiret, variis contumeliis eum affici imperat, ut ſatiata iniquitas de innocentis injuriis ulterius non ſæviret; Vérùm, pertinaci

tinaci malitia propriis augmentis gliſcente, in quem Illuſionis jus obtinuerat, exigebat & mortis. Judex ergo, quem innocentem pronuntiarat, damnat, iniquo Populo juſti Sanguinem addicens, à quo conſcientiæ ſtimulis, & *Uxoris* ſomnio abſtinendum eſſe noverat.

XLI. *Chriſto mortuo, natura conturbatur.*

Chriſto capite damnato, & in Cruce pendente, tota Natura horruit. Tellure motibus quaſſata, atque *Niceæ* Urbis magna parte ſolo æquata, Solis Eclipſis, omnium priùs cognitarum maxima contigit. Abeunt in fruſta Rupes, Templum rima ab imo ad verticem protracta dirimit, Defunctorum corpora Sepulchra evomunt. Ipſe verò doloribus gravatus, *Peracta eſſe omnia*, magna voce exclamans, ſanctiſſimam animam poſuit. Poſtquam Latronum, quibus medius crucifigebatur, alteri, flagitia deflenti, cœleſtis Beatitudinis ſocietatem pollicitus eſt. Sic

Pro ſervis Dominus moritur, pro ſontibus Inſons,
Pro ægroto Medicus, pro grege Paſtor obit.
Pro Populo Rex mactatur, pro milite Ductor,
Proque opere ipſe Opifex, proque Homine ipſe Deus.

XLII. *Poſt triduum Chriſtus à mortuis reſurgit.*

Poſt diem tertium, *Chriſtus* è monumento, quod *Joſephus* Arimathæenſis in ſaxo exciderat, territis, qui ob furti metum, humato

humato corpori invigilabant, cuſtodibus, *Vivus* ſurrexit, emortuas ſuorum ſpes ſuſcitans. Tanta autem celeritate Tridui moram contraxit, ut ad ſecundum diem integrum, noviſſima primi portio, & prima tertii concurreret. Tempus fortè corripiens, ne longa mœſtitudo dejectos Diſcipulorum animos cruciaret. Tum excitati ab infernis Sedibus *mortui*, in medium prodeunt, multiſque videndos ſe exhibent, veram Domini Reſurrectionem teſtati. Quadraginta Dierum ſpatio, cum Diſcipulis converſatus, eundem ſe, licet tantæ gloriæ faſtigio ſublimem, præſtitit, qualem in ligno pendulum aſpexerant.

XLIII. *Variis ſignis Chriſtus reſurrectionem ſuam veram eſſe oſtendit.*

Quamvis motus à ſepulchro *lapis*, tumulus inanis, depoſita lintea, & totius facti enarratores *Angeli*, Dominicæ *Reſurrectionis* veritatem affatim adſtruerent, mulieribus tamen, ac Apoſtolis ſœpiùs manifeſtus apparens, non ſolùm cum eis locutus eſt, ſed & Hoſpes & Convictor, quò dubitationem omnem amoveret, ſe curioſiùs contingi ſuſtinuit. Ideò ad Diſcipulos obſeratis oſtiis ingreſſus, flatu ſuo *Spiritum Sanctum* impertivit, & dato Intelligentiæ Lumine, quo ſacrarum Scripturarum arcana rimarentur, non exhorruit lateris vulnus, Clavorum fixuras, ac reliqua nuperæ Paſſionis indicia denuo propalare, quatenus diſcerent poſteri, inconcuſſam manere Divinæ cum humana Natura unionem, & Dei Filium Verbum eſſe & Carnem.

De-

XLIV. *Christi in cœlum ascensus.*

Demum quadragesimo post *Resurrectionem* die, Discipulis spectantibus, velut Triumphator, in *Cœlum*, Nube splendida subvectus, de Monte Oliveti ascendit. Eis *Spiritum Sanctum* brevi adfuturum pollicitus. Vix oculis erepto, adsunt Angeli humana specie majores, eum suo tempore, ac pari ritu reversurum nuntiantes, quo Cœlum scandentem viderant.

HISTO-

HISTORIÆ SACRÆ

Liber Decimus.

A Chriſti Adſcenſione ad Conſtantinum Magnum.

I.

Anno æræ Vulgar. 33. *Reverſi Jeroſolymam Apoſtoli Matthiam loco Judæ eligunt.*

CHriſto Jeſu in Cœlum, virtute propria, ſubvecto, qui ſpectaculo interfuerant, *Apoſtoli*, cum *Maria* ejus Genitrice, Diſcipulorumque turba, Hieroſolymas revertuntur, promiſſum cœlitùs Sanctum Spiritum præſtolaturi. Tantùm non viginti in cœnaculo coierant, dum *Petrus*, Dei voce, Principatum aſſecutus, priſtino decori conducere exiſtimat, ſi alius in *Judæ* proditoris locum ſubrogetur, qui ſacrorum Antiſtes factus, cruentatam pietatem reſarciat. Cunctis aſſentientibus, in hydriam Sors conjicitur, qua *Matthias* electus, *Joſepho*, Berſabæ & Juſti cognomine, prælatus eſt. Conſpicua Sorte, inviſibilem Numinis prædeſtinationem teſtata, qua in Apoſtolorum con-

contubernium, is ab æterno vocatus cernebatur, qui casu detectus est.

II. *Apostoli accepto Spiritu Sancto, plurimos ad fidem convertunt.*

Decem elapsis à Christi triumpho diebus, *Pentecostes* solennitate, (quæ in vigesimum quartum Maii diem, eo anno inciderat) Judæis legis à Deo acceptæ Memoriam recolentibus, en *Spiritus Sanctus*, ignearum linguarum imagine, horrisono fragore, tonitruique simili, subitò delabitur, hora diei, Judaico more, tertia. Prodigium! *Apostoli* momento Divino igne succensi, sic in Dei Potentiam, ac Majestatem propalandam effunduntur, ut qui antehac *Christum* vix ut *Hominem* in Cruce agnoscere verebantur, tum in publicum prodeuntes, & *Dei Filium*, & Mundi Servatorem, atque omnium Judicem efferant & prædicent. Mox ea faciunt, loquunturque, ut non nisi ad *Gentium* conversionem, *Gentium* linguis afflari viderentur. Quòd adeò fœlicibus auspiciis aggressi sunt, ut prima *Petri* ad Populum oratione, tria millia, novis sacris accederent. Nec multò post, mendico Sene, utroque pede claudo sanato, quinque millia ad Viri conspectum, Christianam fidem amplecterentur; Nihil morati quòd *Sanhedrim* eos sacrilegii damnaret, ac in nova Dogmata, plenis buccis *Pontifices* debaccharentur.

III. *Ananias & Sapphira parte venditi agri fraudata, morte plectuntur.*

Nullum seculum, eo Miraculorum feracius, quo omnes malè affecti curabantur. Luminibus orbatis *Visus*, Claudis *rectitudo*, Paralyticis *firmitas*, *Vires* languentibus

guentibus redditæ, non Corporum attactu ſolùm; ſed adjutrice ſæpiùs *Petri* umbra, qui rectus incedens, corporis ſui umbraculo, jacentes erigebat. Prodigiis, multitudo Judæorum excita, ita *Chriſti* fervore æſtuare cœpit, ut plurimi Bonis divenditis ad *Apoſtolorum* pedes, in Egenorum ſublevamen, pretium abjicerent. Inter eos, *Ananias* & *Sapphira* Conjuges, Zelum imitati, diſtracti Agri pecuniam adferunt quidem, ſed neſcio, qua inſania abrepti, portione retenta. *Petrus* fraude intellecta, acerbiùs, quòd Deo imponere aggrederentur, increpitos ſubita morte mulctat; non tam ſententiæ aſperitate, quàm Correptionis exemplo Mendaces percutit, quatenus duorum ſupplicium, multorum doctrina fieret, qui nimiùm de futuro anxii, præſentem vindictam conſciverant.

IV. *In Carcerem conjecti Apoſtoli, ab Angelo educuntur.*

Civitatis Proceres, quemadmodum antehac in *Chriſtum*, ſic in ejus Diſcipulos immaniùs feruntur. Primùm terrore incuſſo præſens exitium minantur, ni ab incœpto deſiſtant. Ut ſe verò operam perdere cernunt, injectis vinculis conſtrictos cuſtodia frænant. *Angeli* autem miniſterio erepti, dum poſtera luce, *Chriſti* nomen, palam in Templo deprædicant, iterum comprehenſi, coram *Judicibus* ſiſtuntur. Eos cunctis neci dare & animus, & conſilium fuit. Ni *Gamaliel*, cujus Sapientia Senatus regebatur, conjurationi obſtitiſſet. Quî in puſillos Homines tantum exacerbamini? inquit. Quorſum

sum hic furor? In quid tam atrox Sævitia? Si quod hi moliuntur, humani Ingenii institutum est, sponte cadet, & Vaporis instar, in Ventos consumptum abibit. Sin vero à *Deo* manat, qui estis Vos, qui Divino Decreto occurratis? An penes vos obstare, quæ Fato reguntur, eveniant? Nihilominus non nisi *virgis* cæsos abire placuit, qui in sublime evectos se rati, quòd per Civitatis compita vapulassent, *Christum Jesum* in Templo, in plateis, in Foro, alacriori animo fatentur, & denuntiant.

V. *Vigesimo sexto Decembris Stephanus latidatur.*

Fidelium numero indies gliscente, *Apostoli* tot jam laboribus impares, habita ad Populum concione, obtinent, ut novi pecuniarum *Quæstores* eligantur, qui coactis Bonorum eleemosynis, sacra ministeria obeant, pauperibusque opitulentur: Omnium suffragiis, *Stephanus* Divino Spiritu & gratia repletus, *Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas,* & *Nicolaus* proselytus Antiochiæ oriundus, *Diaconi* eliguntur. Judæi à *Stephano* se acriùs reprehensos indignati, quod Parricidæ, quòd Dei Filii interfectores haberentur, inito consilio, Testes submittunt, qui *Viri* impietatem causati, læsæ Majestatis reum peragant. Judicum invidia, Capitis damnatus, extra Urbem ductus, saxis obruitur. Cœlis subitò reseratis, *Christus* spectandus exhibetur, quasi *Agonotheta* ad pugnam accinctus: nam etsi in summa felicitate constitutus, Bellum cum intrepido

pido milite gerere non refugit, velut in lapidato, ſaxis appeteretur. An mente ſolùm, an corporeis luminibus Chriſtum *Stephanus* aſpexerit, definire non audeo, *Paulum* Gentium Doctorem imitatus, qui cum ſumma Verborum libertate, magis ſecuræ ambiguitati, quàm periculoſæ Definitioni iſta commiſit; *Sive in Corpore, ſive extra Corpus,* ſe neſcire profeſſus. Interim *Stephanus,* tanquam Senſus expers, Servatoris ſui Veſtigiis hærens, preces ſub mortis ictum pro Perſecutoribus fundit, iiſque ignoſcit, à quibus proſtituebatur.

VI. *Philippus converſis ad fidem Samaritanis ſpadonem Reginæ Candacis baptizat.*

Poſt hæc, *Philippus Evangeliſta*, à *Stephano* ſecundus, Samariam profectus, incolas Chriſti fidem, exemplo ac eruditione edocuit. Illic *Simon Magus* cognomine, eandem doctrinam profeſſus, Baptiſmatis ſacramento initiatur. Quibus auditis, Apoſtoli *Petrum* & *Joannem* ad Samaritanos deſtinant, qui manibus impoſitis, Spiritus Sancti gratiam Neochriſtianis impertiantur. Interim *Philippus*, ab Angelo admonitus, Gazam deſertam petit, Eunuchum *Candacis* Reginæ Ærarii præfectum, de Fidei arcanis inſtructurus. Is pilento vectus, perſolutis Hieroſolymæ ſacris ritibus, ad Aulam revertebatur, *Iſaiæ* Vatis lectioni intentus. Magna certè diligentia, ut curru etiam agitatus, libro inhæreret. Sollicitum *Philippus* occupat, & detecto verborum, quibus implicabatur, Senſu, non ægrè ſalutari doctrina perfuſum

sum, unda lustrali abluit. Nec mora, à Spiritu Domini *Philippus* ereptus, oppidis, per quæ, ab Azoto ad Cæsaream movebat, *Christi* Evangelium patefacit.

VII. An. 36. *Paulus conversus Evangelium prædicat.*

Anno à Christi morte tertio, *Saulus* Tarsensis, ex Benjamin tica Tribu, genre *Hebræus*, Hierosolymas, ad Legis studium, animum adjuncturus venerat, *Gamalielem* Præceptorem adeptus. Ubi, despectos à Christianis Mosaici instituti Ritus haud passus, mutuata ampliſſima à Pontifice potestate, terrores, ac cædem undique minabatur. Ad illos opprimendos, *Damascum* pergebat, quum circumfulgente lumine profligatus, *Jesum* pios metus incutientem excipit. Et continuò oculis captus, ex lupo Agnus, ex Judæo Christi assertor evadit. Etenim comitum ductu, *Damascum* ingressum, *Ananias* Christi Discipulus, Deo impellente adorsus, sacro fonte eluit. Cujus virtute, eos hausit spiritus, ut quæ antea exhorruerat Dogmata, summa animi contentione, ut Divina propalaret. Tum proximioribus *Arabiæ Desertæ* partibus peragratis, *Damascum* reversus, *Jesum* Nazarenum, Christum esse ostendit, à *Mose*, cæterisque Vatibus promissum. Judæi rei novitate concussi; quòd quem infensissimum Christiani Nominis hostem novissent, validum nunc ejus defensorem mirati, apud Regis *Aretæ* Ethnarcham perficiunt, ut importunum monitorem de medio tolleret. Sed irrito labore; nam *Paulus* nocturno effugio, per

per murum elapſus, à Diſcipulis ſporta dimittitur. Non fuga, ſed conſilium fuit, deſperatis in rebus cavere, & ruinæ ſubtrahere ſe, cùm vitari poſſet.

VIII. *Tiberius de Chriſto in Deos referendo, apud Senatum agit.*

Interim Romanorum Imperator *Tiberius*, de *Chriſti* rebus ex Palæſtina, à *Pontio Pilato* certior factus, ſic de eo benè ſenſit, ut in Deorum numerum adſcribendo, ad Senatum referret: eo autem repugnante, in ſententia perſeverans, iis periculum minatus eſt, quemadmodum *Tertullianus* in Apologetico teſtatur, qui Chriſtianos amplius Reos peragerent. Quò factum eſt, ut prima illa, poſt *Stephani* cædem, à Judæis orta perſecutio, partim *Sauli*, qui eam promoverat, converſione, partim *Tiberii* metu, finem acciperet. Hæc Principum conditio, ut quicquid dicant, ſentiantve, præcipere videantur.

IX. *Paulus ſe Diſcipulis Chriſti manifeſtat.*

Paulus, exacto apud *Damaſcenos* primo Apoſtolatus ſui triennio, Hieroſolymam reverſus, *Petrum* inviſit, quindecim Dierum ſpatio, apud eum moratus. Advenam primùm Diſcipuli horrebant, Judaiſmo impenſiùs addictum, & in Chriſtianos adhuc exardeſcentem rati. Per *Barnabam* autem adductus, paucis, quæ ipſi contigerant, complectitur. Ut de Cœlo *Chriſti* voce proſtratus, ut ejus aſpectu territus, ut admota *Ananiæ* manu oculis orbatus, viſum receperit, ac demum purgante lympha recreatus, *Jeſu* nomen Damaſci extulerit.

X.

An. 38. *Tiberio mortuo, Agrippa Avi Principatum obtinet.*

Tiberius octavo & septuagesimo ætatis anno, trigesimo & secundo Imperii, Cn. *Acerronio Proculo*, & C. *Pontio Nigrino* Consulibus, mortalitatem explevit; postquam *Agrippam* Aristobuli filium, *Herodis* magni nepotem, Herodiadis fratrem, in custodiam misisset, quòd in *Cajum Caligulam* propensior, maturam ei dominationem optasset. *Caligula* à militari calceamento, quo Puer in Castris uti solebat, sic vocatus, in solium evectus, *Agrippam* vinculis exemptum, catena aurea, loco ferreæ donat, & diademate capiti impositò, *Tetrarchiæ*, quæ Philippi fuerat, Regem constituit; adjecta quoque *Lysaniæ* Tetrarchia. Herodias Agrippæ soror, invidia percita, quòd frater Regia Dignitate illustris, præficeretur, *Herodi* marito author est, ut Romam profectus, par Decus à Cæsare exposceret. *Agrippa* apparatu cognito, litteris Imperatorem admonet, ut ab *Herode* caveat, qui inita cum *Artabano* Partho societate, ei perniciem machinaretur. *Herodem* percontatus Imperator, cùm factum inficiari non posset, *Lugdunum* Galliarum, in exilium cum Uxore mittitur, adempta ei *Galilææ* & *Perææ* Tetrarchia, quam postea *Agrippæ* Dominationi adjecit. Sic *Herodias* fraterni splendoris æmula, maritum in discrimen adduxit. Sic incesti connubii, sic *Joannis Baptistæ* obtruncati capitis pœnas pependit.

Rebus

XI.

Petrus pluribus ad fidem conversis Cornelium cum familia baptizat.

Rebus per Romanam Ditionem tranquillis, longè latèque pietas Christiana propagari cœpit, *Petri* Apostoli præsertim opera, qui *Judæa*, *Galilæa*, & *Samaria* peragratis, *Lydiam* demum contendit; ubi *Æneam* annis jam octo paralysi tentatum sanitati restituit. Mox, indè digressus, *Joppe* urbe maritima, Discipulam quandam, Syriaco nomine *Tabitham*, & pietate, & eleemosynarum largitione celebrem, nuper defunctam ad vitam revocavit. Prodigiis attoniti incolæ, Dei virtutem in Homine mirati, Fidem amplectuntur. Tum *Petrus* ad *Simonem* quendam Coriarium secessit, ejus domicilio multos dies usus. Orationi operam danti, & in ecstasim rapto, Cœlum reserari visum est, ex quo ingens linteum delabens, angulis complicatis, omni Animantium genere referciebatur. De quibus promiscuè comedere jussus, intellexit Vir pius, *Gentes* pro immundis habendas non esse, & non minùs illis, quàm Judæis cœlestem januam reserari. Enimvero hæc animo acriùs revolventi, adsunt præ foribus cum famulis Milites, qui à *Cornelio* Romano, Italicæ cohortis Centurione accersitum Cæsaream deducant. *Petrus* mandato obsecutus, proxima luce Centurionem convenit, & habita concione, ipsum cum familia Christo adjunctum, Sancto Spiritu in eum ultrò delapso, sacris lymphis asperſit,

XII. *An. 39. Gentiles ad fidem admittendos Petrus ostendit.*

Iis auditis, *Apostoli* factum criminantur, *Gentiles* ad Christi caulam præter jus admissos conquesti. Quî Judæi à cæteris dirimentur, si *Proselyti portæ*, & *pii nationum*, baptismatis lavacro utique perfundantur? Igitur *Petro* Hierosolymas reverso, à Judaismo ad Christum conversi litem movent, quòd cum incircumcisis conversatus, cibum sumeret. Seditionem Petrus compescuit, ubi detecto mentis excessu, Visioneque ordine exposita, Dei benignitatem extulit, nihil *Judæo Græcoque* interesse, Deum omnium Conditorem, omnium Servatorem testatus; ac ideo extra portam, extra muros, extra Civitatem passum, ut se totius humani generis hostiam exhiberet. Omnibus adesse, qui omnes produxit, antequam rogaretur, & qui non deficit, cùm rogatur.

XIII. *Claudius Jacobum morte afficit, retento in carcere Petro.*

Caio vivis exempto, *Tiberius Claudius*, Drusi filius, Caligulæ patruus succedens, Catenam auream, quam pro ferrea *Cajus* Agrippæ dederat, Hierosolymis in Sacrario, supra Gazophylacium suspendi jussit, tum in Divinæ liberationis, tum Fortunæ instabilitatis monumentum. *Agrippa* à Claudio, Regno auctus, quo Judæorum animos sibi devinciret, *Jacobum* Zebedei filium, & *Joannis* fratrem nefariè interemit; asservato in vinculis *Petro*, quem post Paschales ferias, supplicio afficere constituerat, ni Tyranni sævitiam *Dei* bonitas prævertisset. Fusis enim pro ejus salute, importunis

importunis ab Eccleſia precibus, noctu per *Angelum*, Cuſtodia excitus, Diſcipulis redditur, anno Claudii tertio, quo *Paulus* & *Barnabas*, erogatam ab Antiochenis ſymbolam, in pauperum uſum exhibuerunt.

XIV. *Agrippa eroſus à Vermibus animam efflat.*

Non diu *Agrippæ* improbo popularitas profuit. *Cæſaream* enim paulò poſt profectus, dum in ludorum pompa, apparatu pluſquam Regio, pro Tribunali concionaretur, adulante turba, ac clamante, *Vox Dei, & non Hominis*, ſubitò Bubone ſupra extenſum funem conſpecto, quem ante ſeptennium, dira *Tiberio* minitantem *Germanicus* Hariolus ei oſtenderat, inviſibili manu percuſſus, putreſcente in vermes corpore, nec ſe remittente per quinque dies ventris cruciatu, miſerè vitam finiit; cùm *Tetrarchiam Philippi* ſub *Cajo* annis ſeptem, *Judæam* & *Samariam*, tribus ſub *Claudio* tenuiſſet. Brevi admodum inter Deum, quemadmodum ſalutatus fuerat, & inter putre cadaver, intervallo.

XV. *Apoſtoli ſymbolum condunt antequam dividantur.*

Priuſquam Apoſtoli, ob *Agrippæ* ſævitiam in orbis partes, Evangelio prædicando diſpergerentur, de communi conſilio, duodecim fidei Canones conſtituunt, paſſim *Apoſtolorum Symbolum* vocatos, quo veluti militari teſſera, Orthodoxi Chriſtiani ab Heterodoxis diſcernerentur. Statuunt unum omnino Deum eſſe, nec alium præter Mundi Conditorem, qui de nihilo univerſa produxerit, per *verbum* ſuum

primo omnium emiſſum: Id verbum, *Filium* ejus appellatum, in nomine Dei variè Patriarchis viſum, in Prophetis, ſemper auditum, poſtremò ex *ſpiritu* Patris Dei & virtute, in Virginem Mariam delatum, *carnem* factum in utero ejus, & ex ea natum egiſſe *Jeſum Chriſtum:* exinde prædicaſſe novam legem, & novam promiſſionem Regni Cœlorum: Virtutes feciſſe, fixum cruci: Tertia die reſurrexiſſe. In cœlos ereptum ſediſſe ad dexteram Patris: Miſiſſe vicariam vim *Spiritus Sancti*, qui credentes aget: Venturum cum claritate ad ſumendos Sanctos in Vitæ æternæ, & promiſſionum cœleſtium fructum, & ad profanos adjudicandos Igni perpetuo, facta utriuſque partis *reſuſcitatione*, cum Carnis reſtitutione.

XVI.

An. 42. *Petrus Urbis Romanæ Epiſcopus.*

Conſtituta hac Fidei Regula, *Apoſtoli* per orbem Terrarum diffuſi, varias Provincias, ac Ditiones ſortiuntur. *Petrus* Epiſcopalem Sedem *Antiochiæ* fixiſſe comperitur, anno poſt Chriſti paſſionem ſeptimo, cui annos ſex integros præfuit. *Romam* inde circa ſecundum Claudiani Imperii annum profectus, *Chriſti* Fidem prædicat, Eccleſiam in Orbis capite auſpicatus. Nam quis ambigit, *Babylonis* nomine, ex qua primam Epiſtolam ad Ponti, *Galatiæ*, Cappadociæ, *&c.* advenas direxit, Romanam Urbem deſignari, quæ Gentium erroribus mancipata, variis Idololatriæ ritibus inficiebatur? Ab hac Diſcipuli in *Italiam*, *Hiſpaniam*, aliaſque Septentri-

tentrionales Provincias amandantur, qui Dei Sermonem disseminent. *Marco Evangelistæ* interim Romæ retento, cujus Evangelium Latinè adumbratum, Græco idiomate donari Petrus curavit.

XVII. *Apostoli in varias Regiones diffunduntur.*

Cuique etiam cæterorum Apostolorum mandata Regio: *Joanni* Asia minor cum Parthia obtigit: *Simoni* Ægyptus; *Matthæo*, qui primus Christi Evangelium, Hebræorum gratia, in scripta Hebraica retulit, Æthiopia, ubi Jesum Christum firmiter asseverans, *Hirtaci* Regis jussu, dum Sacris operatur, ad altare mactatur. *Jacobus*, quòd ex Christi matertera genitus, Domini frater, Hebræorum more nuncupatus, Hierosolymis præfuit, Episcopali dignitate illustris, Minor etiam dictus, quòd in Apostolatu, Jacobum germanum Joannis fratrem secutus est. A *Judæis* Paschalibus feriis, è Templi pinna dejectum, mox lapidibus obrutum, ac demum fullonis veste percussum, author est *Eusebius*. *Judas Thaddæus* Mesopotamiam sortitus, Abagarum Edessenorum Regem, cum familiaribus, Christianæ Religionis præceptis imbuit. *Andreas* frater Simonis Petri Scythis, Sogdianis, & Sacis, Evangelium prædicavit; tum in Achaiam digressus, Cruci affigitur, Christi Passionem imitatus. Asiam superiorem *Philippus* obtinuit, ubi dum sacrum sermonem disseminat, in patibulum à Barbaris actus, saxorum ictibus conficitur. Progressus in Indiam citeriorem *Bartholomæus*, Religionem

onem propagat, ſed poſt varios caſus, multoſque exantlatos labores, in magnam Armeniam reverſus, pelle corpori detracta, capite truncatur. *Thomas* traditis Parthorum, Medorum, & Bactrorum genti, vitæ cœleſtis canonibus, ad Indos delatus, tumultuante Populo, Calaminæ Telis confoditur. *Matthias*, in proditoris Judæ locum ſuffectus, alteram Æthiopiam, ubi eſt *irruptio Apſari fluvii, & Hyſſi portus*, nactus, quod Homines agreſtes Chriſto conciliaſſet, lapidibus appetitus ſpirare deſiit.

XVIII. An. 45. *Varia quæ hoc anno Paulo & Barnabæ contigere.*

Paulus & *Barnabas* Antiochiam ingreſſi, Chriſti cauſam ſtrenuè agunt, in eo ſolo Hominum ſalutem eſſe poſitam teſtati. Effuſi in blaſphemias *Judæi*, dictis adverſantur, mox commota per Religioſas mulieres plebe, finibus ſuis, importunos Hoſpites abigunt. *Gentiles* autem, afflante Dei Spiritu, Doctrinam amplectuntur, ad vitam æternam jam deſtinati. Eo temporis tractu, *Thecla* Iconienſis Virgo, fidem ſuſcepiſſe creditur, quæ Tormentorum vim experiri maluit, quàm Pudicitiæ Chriſto dicatæ labem inferri ſineret. Lyſtræ firmatis à *Paulo*, Hominis à Matris utero claudi viribus, plebs *Paulum* & *Barnabam* pro meritis proſecuta, hunc ut *Jovem*, illum ut *Mercurium* venerari aggrediuntur, ni illi laceratis veſtibus, honorem dedignati, Imprudentes à Sacrificio avertiſſent. Zelo autem amentes Judæi, *Paulum* lapidum ictibus fermè exanimem,

extra

extra Urbem pertrahunt. Diſcipulis opem ferentibus, in pedes erectus, Urbem ingreditur. Anno ſequenti, *Paulus* in tertium Cœlum ecſtaſi ſubvectus, optima indè didicit, Divinam Majeſtatem contemplatus. Lyſtra Derben *Barnaba* comite, diſcedens, oppidum prædicato Evangelio, ſuis Victoriis conſignavit. Ex iis qui Chriſto nomen dedere, *Timotheus*, ab incunabulis ſacris litteris inſtructus, memoratur, cum matre *Eunice*, & *Loide* avia. Inde *Lyſtram Iconium*, & *Antiochiam* reverſus, Diſcipulorum animos firmavit, eos ad caſus quoſcumque fortiter tolerandos adhortatus. Mox inſtitutis per Eccleſias Presbyteris, *Pamphyliam* cogitat, & annunciato Pergæ Domini ſermone, *Attilia* potitus, nave conſcenſa, Antiocheno portui allabitur.

XIX.

An. 50. Chriſtiani cum Judæis Roma expulſi Concilium Hieroſolymitanum celebratur.

Quinquennio elapſo, Chriſtiani Urbe Roma, publico *Claudii* Imperatoris edicto, pelluntur. Hoc prætextu, quòd impulſore Chriſto, ut *Suetonius* loquitur, aſſiduè tumultuarentur, ſed verius, quòd Chriſti Cœlorum Regis principatum dedignatus, ſibi negotium Chriſtianos faceſſere cerneret. *Petrus* edicto, & Urbe, & Italia ejectus, Hieroſolymam repetit, Orientalibus Eccleſiis præſto futurus. Iis invigilabat, dum quidam ex Phariſæorum ſecta, Nominis Chriſtiani profeſſores, (*quos irreptitios falſos fratres, Paulus* ſecunda ad Galatas appellat) aſſeverant ex Gentibus Chriſtianos Moſaicæ legis præceptis adſtringi,

ſtringi, ac proinde ſervandos veteres Ritus, retinendam Circumciſionem, & ſacro balneo jungendam. Eorum Dux *Cerinthus* fuit, Satanæ Apoſtolus, quem poſtea in balneo in *Chriſtum* blaſphemantem collapſa domus oppreſſit. Habito Hieroſolymis *Apoſtolorum* & Presbyterorum *Concilio*, communi Eccleſiæ decreto ſancitum eſt, ſolam *Jeſu Chriſti* gratiam ad Hominum ſalutem ſufficere, nec aliud Gentibus imponendum, quam ut Deo obſequio, proximo charitate præſtita, ab Idolothytis, ſcortatione, ſuffocato, & ſanguine abſtinerent. Hæc prima tum ordine, tum dignitate *Synodus*, apertè teſtatur, poſſe Veritatem Poſteris explanari, retentis apud Deum Fidei arcanis, quo Hominum imbecillitatem curet, & Majeſtati ſuæ impenſiùs conſulat. In conſeſſus ſententiam, ſynodica ad Antiochenos, & reliquos in Syria fratres Epiſtola deſignatur, quam primis in Eccleſia Viris *Judæ* Barſabæ cognomine, & *Silæ*, cum *Paulo* & *Barnaba*, Antiochiam perferendum tradiderunt. Sic ubique locorum prima Superſtitio evanuit, iis etiam fruſtra querentibus, quorum mentem Antiquitatis error abſtulerat.

XX. *Paulus & Barnabas Gentiles, Apoſtoli cæteri Judæos inſtruendos ſuſcipiunt.*

Ne autem ulli Mortalium, Redemptionis beneficio eximerentur, inter Apoſtolos conventum eſt, ut *Paulo* & *Barnabæ* gentes curæ eſſent, *Petrus* autem, *Jacobus* & *Joannes*, Judæis inſtruendis occuparentur. Hinc *Paulus* aliquanto poſt, Antiochiam pro-

profectus, *Petrum* nimiùm Moſaicis ritibus faventem acriter coram omnibus coarguit, æternam Salutem non legis operibus, ſed Dei gratia obtineri cauſatus. *Paulo Barnabam* ad Eccleſias, quibus Evangelium prædicarant, inviſendas ſollicitanti, author *Barnabas* fuit, ut *Joannem Marcum* itineris comitem aſſumerent. Abnuente *Paulo*, quòd ab ipſis ex Pamphylia receſſiſſet, ingerente, *Barnabas* infamiæ notam conſobrino inuri haud paſſus, ſocietatem abrupit, & in *Cyprum* Patriam ſuam *Marco* comite, iter inſtituit. Paulus verò *Sila* allecto, Derben, & Lyſtram venit, & reperto inter Diſcipulos *Timotheo*, præputium, quo ſibi Judæos impenſiùs devinciret, præſcindendum curavit. Phrygia & Galatia peragratis, prohibet Spiritus Sanctus, ne Dei ſermonem in *Aſia* diſſeminet; ſed viſa per quietem Macedonis imagine, qui ejus opem implorabat, *Sila*, *Luca*, & *Timotheo* comitibus Troade provectus, *Samothracem* recto curſu pervenit, mox Neapolim, atque illinc *Philippos*, princeps ejus tractus Macedoniæ oppidum, juriſque Italici coloniam. Ubi dies aliquot moratus, *Lydiam* purpurariam Chriſto acquirit, quæ ſacro fonte abluta, *Paulum* cum Comitibus hoſpitio excepit.

XXI.

An. 52. Paulus ob liberatam à ſpiritu ancillam, in Carcerem conjectus, ab eo eximitur.

Pergentem ad proſeucham *Paulum* Pythoniſſa mulier ſequebatur, importunis vocibus, Hominem Deo charum, Salutis doctorem ingeminans. *Paulus* Spiritum allocutus, corpore prorumpere jubet. Ancillæ

cillæ sodales quæstus spem Domino evanuisse ratæ, *Paulum* & *Silam* in forum cum ingenti clamore pertrahunt, ubi à prætoribus ad Virgas damnati, in carcerem conjiciuntur. Nocte autem concubia, effractæ terræ motu fores, laxatis etiam, quibus stringebantur, funibus, sui juris effecerunt. Custos in desperationem actus, quòd Captivos, quos pridie catenis presserat, solutos, nemine expediente, cerneret, stricto mucrone se confecturus erat, ni furentem *Paulus* cohibuisset, à quo subinde Christianam pietatem edoctus, aqua lustrali, ipsamet nocte, cum universa Familia, perfusus est. Sub Solis ortum, cùm Prætorum jussu, liberi emitterentur, de Injuria, de Opprobrio, expostulant, quòd Romanos Cives, indicta causa, Virgis appetitos custodia arctassent: sed iis intervenientibus, cum honore dimissi, *Thessalonicam* totius Macedoniæ Metropolim moliuntur. Ubi Philippensibus Vitæ subsidia ministrantibus, dum apud *Jasonem* cum comitibus hospitatur, feroces Judæi, excito Improborum motu, cum quibusdam Fratribus in jus vocant, magno tumultu, eorum perfidiam causati. Sed diluto, coram Magistratu, crimine, *Paulus* & *Silas* Beroam noctu amandantur; quos Judæi Thessalonicenses secuti, plebe denuo concitata, *Athenas* fugere compellunt. *Paulus* concione in Areopago habita, Christi causam fortiter agens, *Dionysium* Eruditione insignem, & mulierem,

Dama-

Damarim nomine, Deo peperit, deducto ab ignoto, ſeu incerto Deo, cui Athenienſes aram extruxerant, ad *Chriſtum* Mundi liberatorem, ſermone.

XXII. *Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribit; multi ejus ope ad Chriſtum converſi.*

Quidam ex Athenarum Urbe, quam Græcanicæ Superſtitionis parentem priſca ætas agnovit, primam cœleſtis Veritatis Epiſtolam, ad *Theſſalonicenſes* datam eſſe arbitrantur. Sed eam *Corinthi Paulum* ſcripſiſſe, ex Hiſtoriæ contextu convincitur; in qua cùm de Judicii die tanquam jam imminente aliquanto obſcuriùs diſſeruiſſet, clariùs miſſa altera, mentem aperuit. Relictis igitur Athenis, *Corinthum* ingreſſus, apud *Aquilam* Judæum & *Priſcillam* conjuges, qui nuper *Claudii* edicto Italia profugi, eò pervenerant, manſit, Tabernaculorum artificio intentus. Sabbathis autem Divino operi vacans, Chriſtum Cruci affixum, Dei filium eſſe teſtabatur. Tunc *Stephana* cum familiaribus, tanquam Achaiæ primitiis Deo ſacratis, *Criſpum* Archi-Synagogum, & *Caium* manu propria, ſacro Baptiſmate abluit. Mirum! quot ex illis, ſeſquianno labore, Chriſti partium effecerit.

XXIII. An. 53. *In Syriam navigat, Epheſi duodecim Diſcipulos baptizat.*

Paulus Corinthi, violatæ Legis à Judæis accuſatus, ad *Gallionis Senecæ* Philoſophi fratris, qui Proconſulis munere apud *Achaios* fungebatur, Tribunal rapitur: Is comperto Judæorum odio, eos à ſe abigit, ad forum ſuum de Religione quæſtiones haud pertinere profeſſus. Tum *Paulus* è Cenchreenſi portu in Syriam navigaturus,

Epheſum

Epheſum nobiliſſimum Ioniæ Emporium appulit. Inde *Cæſaream* Stratonis progreſſus, mox Galatica & Phrygia Regione levi pede trajecta, *Epheſum* rediit; ubi repertos duodecim Diſcipulos, quos *Apollos* Alexandrinus, vir eloquentiſſimus *Joannis* baptiſmate initiaverat, ad munus Evangelicum inſtituit, quibus dum manus imponeret, linguas igneas à Spiritu Sancto impetravit. Nihilominus Judæorum blaſphemiis offenſus, abductis ſecum Diſcipulis, cœtum ſegregavit, & in *Tyranni* cujuſdam ſchola diſſerens, cœleſtis Sapientiæ fontem per univerſam *Aſiam* innumerabilibus rivis deduxit. Non interim Signa ceſſant: infinita ægrotorum agmina, non verbis, non nutibus ſanantur, ſed ſudariis, ac ſemicinctiis vis indita.

XXIV.

An. 54, 55. *Paulus in Macedoniam pergit, dein reverſus Epheſum.*

Tam proſperam impietatis demolitionem *Satanas* haud paſſus, præſertim cùm libros, quibus multi magicas artes exercuerant, flammis ſubjici cerneret, *Demetrium Argentarium*, cui Idolorum cælatura quæſtuoſa erat, in *Paulum* commovet, inſontem vivis eximere machinatus. Diſcrimine autem Dei beneficio ereptus, in *Macedoniam* properat. *Timotheo* apud Epheſinos relicto, ad quem refertas Divina eruditione litteras miſit. Orto inter Corinthios ſchiſmate, quibuſdam ſe *Apollo*, quibuſdam *Cephæ*, quibuſdam *Pauli* aſſerentibus, eos inſigni ſcripto edocet; *Chriſtum* omnium eſſe lumen, omnium Servatorem. Per *Titum* de prioris Epiſtolæ ſucceſſu inſtructus,

instructus, posteriorem cum *Timotheo* ad Corinthios exaravit, *Ephesum* reversurus, atque exindè, in Asiam iturus, in qua de sincero erga se studio, novis Christianis gratulatus, Pseudo-Apostolorum obtrectationibus respondet. Syriam meditanti *Judæi* obstitere, quorum insidiis tantùm non oppressus, iter in Macedoniam reflectere cogitur. Tum præmissis *Sosipatro Beroensi*, *Aristarcho*, & *Secundo*, cum *Caio Derbensi*, & *Timotheo*, ipse cum *Tito*, *Luca*, & reliquis, post exactos Azymorum dies, Troadem venit. Ubi cum iis dissereret, *Eutychum* Adolescentem, ex tertia contignatione lapsum, extinctum vitæ reddidit. Hinc Miletum profectus, evocatis Ephesiorum Presbyteris, gravissima oratione, Ecclesiæ curam commendavit.

XXV. An. 56. *Evadit Paulus è Judæorum manibus.*

Exinde *Paulus* Troade, *Coum* recto cursu provectus, *Rhodum* die postero, mox *Pataram* pervenit, tum navi, quæ in Phœniciam trajiciebat, conscensa, *Tyrum*, ac subindè *Ptolemaidem* delatus est. Demum Hierosolymas ingresso, *Jacobus* cum cæteris Presbyteris author fuit, ad diluendam calumniam, qua legis Mosaicæ hostis audibat, se viris quatuor, qui Nazareatus votum fecerant, adjungeret. Quod dum agit, per Asiaticorum Judæorum seditionem comprehensus, & confícto crimine, quòd *Trophimo* Gentili in Templum introducto, illud polluisset, extrahitur, confestim periturus, ni superveniens *Claudius Lysias* Tribunus, injectis catenis opportunè

portunè abductum sustulisset. In Castris receptus, concionem, finente Tribuno, ad Populum lingua Hebræa habuit, qua exacerbatis Judæorum animis, Virgis examinandus traditur; sed se Romanum Civem professus, pœna eximitur. Die altera, depositentibus eum morti Judæis, causam coram Synedrio dicere jussus, se Pharisæum professione tuetur, *Ananiam* Pontificem, Nebdei filium, *parietis dealbati* nomine insectatus, quòd loqui incipientem, in os cædi imperasset. Mœstum nocte sequenti Dominus Jesus consolatur, in Urbem Romanam deportationem, intrà biennium vaticinatus.

XXVI
Paulus coram Felice & Drusilla sistitur.

Nihilominus *Paulus* Judæorum conjurationi, & *Ananiæ* Pontificis criminationibus, Cæsareæ, ad quam deductus fuerat, ereptus, à *Felice* Judæorum Præside, & *Drusilla* uxore, *Agrippa* Regis sorore accersitur, sed Pauli verbis de Christi fide, de Justitia, continentia, & judicio extremo perterritus, sermonem abrupit, pecuniarum, quas à Captivo expectabat, quàm Disciplinæ cupidior. Nam vitiis infamis, *Jonatham* etiam Pontificem, ob liberiora monita, immissis Sicariis trucidaverat. Ergo ob parricidium, Romam evocatus, ut Judæorum, quos sibi infensos noverat, gratiam iniret, *Paulum* jam biennio, Custodia detentum, *Portio Festo* successori judicandum reliquit.

Festus

Feſtus Felice æquior, optione facta, an de re, de qua poſtulabatur, Hieroſolymis, an apud *Cæſarem* judicari in animo eſſet; ad *Cæſarem Paulum* appellantem *Julio* cohortis Auguſtæ Centurioni traditi, Navi, *Timotheo* & *Luca* comitibus, impoſitus, Sidonem devehitur, indè *Cypro* ſublecta, pelagum, quod ſecundùm Ciliciam eſt, emenſus, Pulchros portus in Creta inſula contingit. Ubi Maris pericula præſagiens, Nautis, ut iſthic hyemarent, ſuadet: Sed eo portu minùs ad hyemandum opportuno, dum *Phœnicem* aliud Inſulæ oſtium rimantur, *Euroclydone* vento abrepti, mox tempeſtate jactati, ad *Melitæ* Inſulæ littora, diſſoluta navi, effunduntur, Hominibus partim natatu, partim Tabulis ſubvectis. Mirati Incolæ, quòd *Paulus* Viperam ſine damno in ignem excuſſiſſet, ut Numen venerabantur. Per tres dies apud Publium Inſulæ præfectum diverſatus, ejus Patri, Febri cum dyſenteria laboranti ſalutem reſtituit.

XXVII. An. 60. *Dum Romam pergit Paulus, navem Melitæ appellit.*

Paulum demum Romam delatum, Fratres, qui ei in occurſum uſque ad *Appii* forum prodierant, ad *Afranium Burrhum*, Prætorii præfectum, cui à Centurione tradendus erat, comitantur. Sub militis cuſtodia, proprio in domicilio, biennium egit, Judæorum pleriſque, & nominis fama, & Eruditionis vi, ſe Chriſto tradentibus, aliis autem veritati acriter obluctantibus. Ex hoc carcere litteras ad

XXVIII. *Paulus multos Romæ ad Chriſtum convertit.*

Ephesios per *Tychicum* Diaconum transmisit, eos iis verbis de Rebus cœlestibus instruens, quæ mysteriorum & gravitatem, & sublimitatem testantur.

XXIX. An. 62. *Paulus in custodia epistolas varias scribit.*

Claudio Imperatore, pinna rapido veneno illita, vivis exempto, *Domitius Nero*, humani generis Hostis, à *Plinio* appellatus, Dominationem ceperat. Prima ejus cognitione, *Paulus* etsi ab Amicis desertus, suam causam ita tuitus est, ut properæ liberationis spem conciperet. Imperator enim omne Religionum genus aspernatus, præter unius *Syriæ Deæ* cultum, nihil Numinis agnoscebat. Imo eandem postea cum icunculari puella commutavit, eam insidiarum remedium arbitratus. *Apostolus* igitur tantùm non juri suo redditus, confluentes ad se Discipulos, ad Evangelium prædicandum in varias ditiones ablegat, *Timotheo* & *Marco* ad se ex Asia accersitis. *Epaphroditum*, quem ad eum Philippenses cum pecuniis miserant, remittit, ad eos se propediem venturum pollicitus. Pari Charitatis officio, per *Onesimum* Epaphroditi servum, *Philemoni*, ac *Colossensibus* scribit, quibus Divina monita impertitus, haud parvam de sua liberatione spem ingerit. Circa idem tempus, Epistolam ad *Hebræos* composuit, qua *Christi* dignitatem, & quantum ejus Sacerdotium Levitico sacrificio supergrediatur, ostendit. Expleto in libera custodia biennio, criminum absolutus, iter in *Asiam* instituit,

Luca

Luca, qui tunc Apoſtolorum Acta litteris conſignavit, hactenus comitante.

Petrus longè antè Romam reverſus, primam Epiſtolam, mox & alteram exaravit, *Sylvano* quondam *Pauli* comite latore, quibus Fideles hortatur, ut quam ab eo hauſerant, fidem, firmiter tueantur, Errorum magiſtros quorum mores ac ſtudia depingit, averſati. Peragrata *Hiſpania*, *Paulum* Urbem Romanam repetiiſſe, author eſt *Epiphanius*. Ubi dum utriuſque Apoſtoli ſtudio, Chriſtiana Fides adoleſcit, *Simon Magus*, qui *Philippo*, ut dictum eſt, Chriſti Religionem Samariæ importante, ei nomen dederat, mox ad Artes maleficas reverſus, Romanos præſtigiis ſuis illudebat, *Petrus* in altum evectum, & à duobus Dæmoniis ſuffultum oratione ſua dejecit, qui in Terram, fugatis Dæmonibus, delapſus, ſpectante Populo diſruptus eſt. XXX. *Simon Magus Petri oratione deorſum dejicitur.*

Interea *Nero* Cæſar vitiis omnibus implicitus, in mortales graſſabatur, in ſuos perindè, ac peregrinos ſævus. Corrupto per libertatem ingenio, *Agrippinam* matrem, quòd *Actes* Libertæ amorem exprobrâſſet, de medio ſuſtulit. *Sabinæ Poppeæ* Cupidine accenſus, *Octavia* conjuge, Claudii filia acri veneno extincta, *Arinæum Senecam* Educatorem ſuum, tanquam Piſonianæ Conjurationis reum, mox *Lucanum* Poëtam, ac *Fenium Rufum*, prætorio præfectum, ob invidiam ac metum interfici imperat, & ne quid Crudelitati deeſſet, XXXI. An. 67. *Nero tam in ſuos quam alienos ſævit.*

deesset, *Poppæam* gravidam, dum ab aurigatione serò reversum convictis incessit; iratus calcis ictu, interemit. Tum veterum ædificiorum vilitate offensus, Romam incendi jubet, & flammæ pulchritudine delectatus, *Ilii* excidium scenico habitu decantavit. Rumori abolendo, Christianos, quos invisos noverat, subdidit. Ideò plerique comprehensi, & horrendis supplicijs affecti. Correptis & mox pereuntibus addita sunt ludibria, ut ferarum tergis contecti, quemadmodum *Tacitus* loquitur, canum laniatu interirent, aut Crucibus affixi, aut sebo, adipe, ac pice oblititi, facium instar arderent, ut ubi dies defeciisset, in usum nocturni luminis urerentur. Undè quanquam adversus Sontes, & novissima exempla meritos Miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in unius sævitiam absumerentur.

XXXII. *Petrus & Paulus Martyrio coronati.*

In hac prima excitata à Romanis Imperatoribus Persecutione, *Petrus* & *Paulus* in vincula conjecti, post novem Menses, supplicijs afficiuntur. *Petrus* quonium origine Judæus, decussatæ Arbori Clavis configitur, sed secundùm votum inversæ, seu ut patientiam cœli aspectu firmaret, seu Crucem quasi *filii Dei* thalamum conscendere erubesceret. *Paulo* Cervix securi abscissa, ita Terram sanguine perfudisse traditur, ut inde fons emanaret; tanquam eo signo ostentans Martyrum sangui-

ſanguinem fontes eſſe nunquam in Eccleſia areſcendos.

XXXIII. *Geſſius Florus in Judæos iniquus.*

Dum hæc Romæ geruntur, *Geſſius* Florus, à *Nerone* in Judæam Procurator miſſus, ſic eam gentem oppreſſit, ut *Poppææ* Auguſtæ gratia fretus, nihil ſibi ad ſummam in Rapinis & Supplicijs iniquitatem reliquum faceret. Populus injuriarum intolerans, ubi calamitati modum ſe fruſtra depoſcere cerneret, *Ceſtium Gallum* Syriæ Præſidem circumſtans, ſupplicat, ut ſibi propitius, *Florum* Provinciæ peſtem ejiceret. *Ceſtius* compreſſo populi tumultu, placatiorem ipſi *Florum* pollicetur. Is verò convitiis publicè proſciſſus, poſtulatis ad ſupplicium authoribus, ultionem deprecante populo, Urbem deprædatus, plurimos ad necem adigit. Hanc injuriam haud tulere Judæi, qui ad arma involantes, vitæ libertatem prætulere. Nihil *Agrippæ* Regis à Bello dehortatio profuit. Seditioſorum nonnulli, *Maſſadam* Caſtellum munitiſſimum adorſi, Romanos, qui id tuebantur, interimunt. Tum *Eleazarus*, Ananiæ Pontificis filius, facto audacior, Sacerdotes Hieroſolymis adduxit, ut Judæorem victimis contenti, etiam pro *Cæſare* ac Romanis oblatas reſpuerent. Civitatis autem Principes, quietis cupidi, conſilium tanquam apertæ defectionis argumentum averſati, ad *Florum* & *Agrippam* legatos mittunt, rogantes ut paratis copijs, naſcentem Seditionem properè opprimerent. Mille Equitibus ab

Agrippa missis, Optimates superiorem Civitatem facilè occupant, Seditiosis in Templum & inferiorem Civitatem fugere coactis. Sicarii autem, Die festo Templum ingressi, ubi se præsidiariis paresensere, impetu facto, vim Regiis militibus faciunt, quibus in superiorem *Herodis* regiam compulsis, *Archivum*, Hasmonæorum palatium flammis involvunt. Accrevit furor, dum viginti Judæorum millia à Cæsarienſibus interfectos fuisse didicerunt. Nam cæde tota Gens efferata, in *Syros Græcosque* vicissim grassari cœpit, ut non Palæstina modò, sed & finitimæ Regiones, & Alexandria Ægypti, sanguine exundarent.

XXXIV. *Prodigia quæ Judæorum cladem indicarunt.*

Hoc exitiale Bellum diu antè Prodigia denuntiarant. Civitati *Sidus* gladio simile eminuit, per annum integrum conspicuum. Die festo Azymorum, in Templo tanta *lux* affulsit, ut Diei claritatem, per mediam horam æmularetur. Orientalis *Portâ æneâ* sponte patuit, subita voce erumpente, *Migremus hinc*, Numinis solitudinem ac secessum indicans. Visæ per inane armatæ acies ferri, Nubila tranantes, & Civitati circumfusæ. Imo quod horribilius, cùm *Jesu* Dei filio quondam auscultare renuissent, *Jesum* Anani filium, vita agresti, & rusticis moribus notatum, Septennii spatio audire compulsi sunt, dies noctesque vociferantem. *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor Ventis, vox in Hierosolymam & Templum, vox*

in

in Maritos novos, novasque Nuptas, vox in omnem hunc Populum. Verberibus ob importunitatem exceptus, ad singulos ictus respondebat, *væ Hierosolymis.* Festis præsertim diebus, clamorem edebat; donec in obsidione conquievit, demum ululatu emisso, *væ etiam mihi,* misso è tormento lapide, interemptus est. Verùm, ut Hominibus familiare est, ex suis Cupiditatibus ostenta interpretari, plerique ejus fuere dementiæ, ut totius orbis imperium, indè non ad *Christum* Mariæ Virginis filium, sed ad *Vespasianum* quemadmodum *Josephus,* cum *Suetonio* & *Tacito* opinatur, deferrent.

XXXV. *Cestius Gallus damnum à Judæis patitur.*

Cestius Gallus Syriæ Præses, primos Judæorum ausus comprimere conatus, cum legione duodecima, & Regis *Agrippæ* auxilius, in Judæam proficiscitur. Joppe incensa, Hierosolymam tendit. Occupatis mœnibus, Seditiososque in Urbem superiorem compulisse contentus, cùm imprudentiùs pedem referret, Judæi abeuntem insecuti, præter quinque peditum millia, & fermè Equitum mille interfecta, Machinis, Balistis, & magna Armorum vi potiuntur. Victoria elati, Hierosolymam reversi, bello gerendo Duces constituunt, *Ananum* Pontificem, *Josephum* Gorionis filium. Inter eos *Josephum,* Belli Judaici Scriptorem, in Galilæam amandant, in qua oppidis munitis, & muro cinctis, Romanorum impetum expectabant,

Nun-

XXXVI. Nuntiato *Neroni* per Ceſtii legatos, Judæorum motu, *Flavius Veſpaſianus*, Britannicis expeditionibus illuſtris, in Syriam deſtinatur, Tito Filio, egregio belli juvene legato addito, quem ſtatim *Alexandriam*, ad quintam & decimam legiones indè adducendas ablegavit, cùm ipſe junctis *Agrippæ*, *Antiochi*, *Sohemi*, aliorumque Sociorum Regum copiis, exercitum in Galilæam pedeſtri itinere duceret. *Gadara*, & mox aliis urbibus expugnatis, Galilæorum tanta ſtrages fuit ad *Geneſarum* lacum, ut fœtore ac ſanie totum Stagnum horreret. Triginta millibus ſervituti pretio traditis, ſex millia ad perfodiendum *Iſthmon* abiguntur. Gamala & Giſcala in poteſtatem redactis, Hieroſolymam obſidione cingere *Veſpaſianus* diſtulit, comperta à transfugis ſeditione, quam ficto motu augendam potiùs arbitrabatur, ut animo diſcordes, animis ſuis conficerentur. *Gerata* autem expugnata, dum Urbi exercitum admovere parat, comperto per nuntium *Neronis* fine, meditata diſtulit.

An. 68. Veſpaſianus ad coercendos Judæos à Nerone mittitur.

XXXVII. *Nero* enim cunctis, ob ſcelera, inviſus, intellecto *Galbam* Hiſpaniæ adminiſtrantem, palam deſciviſſe, atque à Senatu ſanctum, ut pro Majorum conſuetudine, cervice in furcam porrecta, ad necem virgis cæderetur, animo lapſus, mori decrevit. Ergo Urbe, nocte concubia cum paucis Comitibus egreſſus, pugionem, quem ſecum detulerat, jugulo adegit, eo die anni, quo *Octaviam* Uxorem letho dede-

Nero ſe interimit.

dederat, trepidantem manuum *Sporo* spadone adjuvante, cum prius exclamasset. *Itane nec amicum habeo, nec inimicum? Dedecorosè vixi, turpius peream.* Ægrè morientem *Aphrodius* à libellis confecit. Postquam tredecim annis imperasset, mensibus circiter octo. Ultimus qui ab *Æneâ* & *Augusto* originem duceret.

XXXVIII. *Galba Neroni succedens septem mensibus imperat.*

Nerone sublato, *Julius Vindex*, qui Galliam pro Prætore regebat, palam deficiens, *Sergium Galbam* ad Imperium capessendum impellit. Omnium consensu dominatione dignus, nisi imperasset. Nam statim populo gratus, ob senilem ætatem, eidem confestim displicuit. Dum tumultuantes copias, thorace indutus, demulcere contendit, ad lacum Curtium interimitur, cum *Pisone*, quem adoptaverat, mensibus septem à Neronis morte exactis.

XXXIX. *Otho victus vivere noluit.*

Galbæ M. *Salvius Otho* successit, *Neroni* quondam familiaris, qui conciliatis prætorianorum Militum studiis, rerum summam invadere ausus est. Sed huic breve imperandi spatium fuit. Etenim expeditione in *Vitellium*, qui principatum in Germania acceperat, susceptâ, Tribus prælis victor, novissimè per fraudem superatus, concepto moriendi impetu, purpuram damno suo ponere maluit, quàm retinere alieno. Quare suos comiter affatus, distributis ex præsenti copia, inter Domesticos, pecuniis, arctissimo somno, eâ nocte quievit, mox expergefactus, corpus

pus uno ictu transfodit. Annos natus octo supra triginta, nonagesimo quinto Imperii die funeratus. Adeò militibus charus, ut plerique viso corpore exanimi, se manibus propriis conficerent.

XL. *Vitellius miserè excarnificatus periit.*

Vitellius à fortissimis Legionibus, in Germania, Imperator salutatus, Dominationem obtinuit, Vir non profundæ modò, sed & luxuriosissimæ voracitatis; cui in una Cœna *Vitellius* frater, duo piscium, & septem Avium millia, præter cæteros sumptus, apposuit. Deficientibus autem *Mœsiarum* & *Pannoniæ* copiis, ubi Judaicum & Syriacum exercitum ex transmarinis desciscere cognovit, nihil non retinendæ potestatis adorsus est. Proditum se, & à *Sabino* Vespasiani fratre circumventum ratus, revocato furore, ipsum cum cæteris adversæ partis Ducibus, igne consumpsit: *Capitolio* ipso, quod saluti remedium cæperant, flagrante. Prævalente autem factione, è Palatii latebris, in quas se conjecerat, eductus, manibus post tergum revinctis, ad Populi spectaculum circumducitur. Et ne effictæ frontis homo, saltem in extremis, Scelerum pudore, vultum dimitteret, subjecto in mentum mucrone, vix medio sui coopertus, cœno, fimo, turpioribusque dictu purgamentis, faciem ejus conspurcantibus, scalis sublatis *Gemonias* trahitur, ubi *Sabinum* mactari curaverat. Sic pluribus ictibus excarnificatus interiit, anno vitæ quin-

quinquageſimo, octo menſes, ac dies quinque Regno potitus.

XLI. An. 70. *Veſpaſianus obtento Imperio, Titus ad exſcindendam Hieroſolymam tendit.*

Tum *Flavius Veſpaſianus*, Imperium trium Principum cæde quaſi fluctuans ac incertum ſuſcepit, *Tiberio Alexandrio* Ægypti præfecto adjuvante, qui Legiones in ejus verba adegit. Nam à *Neronis* tempore, eò Romana res redacta fuit, ut in exercitus manu, ac legionum poteſtate eſſet, Imperatorem condere. Ergo *Veſpaſianus* ſummo Senatus populique honore Romæ receptus, *Titum* Filium cum ſelectis copiis in Judæam ad conficiendas Belli reliquias miſit. Triplici tunc factione Hieroſolyma laborabat. *Simon* enim, quem adverſus *Joannem* Cives accerſiverant, ſuperiorem Civitatem occupaverat, adhibito ad partem inferioris defendendam præſidio. *Johannes* autem Levitæ cujuſdam filius, *Zelotis* auxiliantibus, Templum præripit, alteramque inferioris Civitatis partem milite tuitus. Ut ſibi perverſitas non conſtat, hujus factio in duas ſcinditur. Etenim *Lazarus* Zelotarum Dux, imperium, quod arte & audacia *Johannes* comparaverat, æmulatus, interius Templi ſeptum ingreſſus, indè *Johannem* deturbare molitur, Sequacium quidem numero impar, loci autem ſitu ſuperior. Sic alii adverſus alios certantes, Frumentum, annonamque, injectis flammis, corrumpunt, quæ illis in longum tempus ſuffeciſſet.

Titus

XLII. *Titus Hierosolymam obsidione cingere parat.*

Titus longum iter, cum quatuor legionibus emensus, coactis Regum vicinorum copiis, *Hierosolymam* contendit, contra eam sexto septimoque stadio castra metatus, in ea multitudinem numero majorem, quæ ad solemnitatem *Azymorum* confluxerat, concludens, alimentis & ad victum necessariis absumptis, dira fames, & rerum quarumcumque inopia ita miseros afflixit, ut humanis carnibus vescerentur, ac natorum etiam corpora Matres absumerent. Ipso *Azymorum* die, cùm *Eleazarus* populo Templi portas ad sacrificium reseraſſet, *Johannes*, opportunitate temporis capta, plures ex suis submisit, qui tectis sub veste mucronibus, *Eleazarum* aggressi, interiori Templi septo, multorum *Zelotarum* cæde potiuntur.

XLIII. *Romani Hierosolymam obsident.*

Ita in duas factiones distracti Judæi, intestino malo concutiebantur, dum *Titus* castris, ut loquitur *Tacitus*, ante Hierosolymorum mœnia positis, instructas legiones ostentavit. *Judæi* sub ipsos muros aciem struxerant, rebus secundis longius ausuri; & si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos *Eques* cum expeditis cohortibus, ambiguè certavit. Mox cessere Hostes, & sequentibus diebus crebra proportis prælia serebant, donec assiduis damnis, intra mœnia pellerentur. *Romani* ad oppugnandum versi; neque enim dignum videbatur, famem Hostium operiri, poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia, & præmiorum cupidine.

dine. Ipſi *Tito* Romæ, & Opes, voluptateſque ante oculos; ac ni ſtatim Hieroſolymæ concíderent, morari videbantur. Sed Urbem ſitu arduam, opera moleſque firmaverant, quibus vel plana ſatis munirentur. Nam duos Colles immenſum editos claudebant Muri, per artem obliqui, aut introrſus ſinuati, ut oppugnantium latera, ad ictus pateſcerent. Extrema rupis, abrupta: & turres, ubi Mons juviſſet, in ſexaginta pedes; inter devexa, in centenos, vicenoſque attollebantur; mira ſpecie, ac procul intuentibus pares. Alia intùs Mœnia, Regiæ circumjecta, conſpicuoque faſtigio Turris. *Antonia* in honorem M. *Antonii* ab *Herode* appellata.

XLIV. *Calamitates ingentem Judæi Hieroſolymis patiuntur.*

Multitudinem obſeſſorum omnis ætatis, virilis ac muliebris ſexus, ſexcenta millia fuiſſe, idem *Tacitus* memorat. Arma cunctis, qui ferre poſſent: & plures, quàm pro numero, audebant. Obſtinatio Viris Fœminiſque par, ac ſi transferre ſedes cogerentur, major vitæ metus, quam mortis. Hanc adverſus Urbem gentemque Cæſar *Titus*, quando impetum, & ſubita, belli locus abnuerat, aggeribus vineiſque certare ſtatuit. Dividuntur legionibus munia, & quies præliorum fuit; donec cuncta expugnandis urbibus apud Veteres reperta, aut novis ingeniis excogitata ſtruerentur. Ita circumdatis undique, quemadmodum *Chriſtus* prædixerat, Judæis, Fame indies gliſcente, tanto pereuntium

reuntium fœditate Urbs affligebatur, ut ipsum Hostem malorum miseratio subiret. Sed urgebat Numinis ira, quam Judæi cottidie pertinacia exacerbabant. Nullam gentem atrocioribus malis perculsam Historiæ prodiderunt. Transfugæ, aut ingesto avidiùs cibo rupti, aut à Romanis ob deglutitos nummos ferro dissecabantur. Duo millia una nocte, apertis ob avaritiam ventribus occubuisse gravis Author testatur. A decimo sexto Aprilis, usque ad Kalendas Julii, intra muros septies centena millia, fame, gladio, morbo, periere.

XLV. *Ierosolyma à Tito Cæsare expugnata.*

Demum octavo *Augusti* die, *Urbs* capta, mox *Templum*, frustra *Tito* obnitente, flagravit, ut indè noscerent *Judæi*, peracto jam *Christi* Sacrificio nullum ampliùs legalibus sacrificiis locum superesse. Victoris imperio, Civitas solo æquata, aratrum de more admisit, præter occidentalem muri partem, quæ propter Turrium elegantiam, tanquam Urbis magnificentiæ Monumentum relicta est. *Josephus*, qui cladem spectavit, Captivorum nonag nta septem millia, mortuorum in obsidione, undecies centena millia fuisse, author est. Etenim tota Gens ex omnibus orbis Provinciis, eò ad diem *Paschæ* celebrandum migrarat. Ita Deo placitum, ut eo tempore, quo Dominum impii *Judæi*, Cruci affixerant, internecioni darentur. Sic *Titus*, Urbe direpta, cùm ob Victoriam gratularentur finitimi, reposuit, *Non se talium operum*

operum fuisse Authorem, sed Deo iracundiam contra Judæos ostendenti, manus præbuisse. Enimvero si *Judæos*, qui septenni spatio perierunt, quis computet, mirum ipsi videbitur, aliquos superfuisse. Hunc ex *Josepho* indicem *Justus Lipsius* Lib. 2. de Constantia, Cap. 21. exhibuit.

XLVI. *Judæorum numerus qui per septem annos perierunt.*

Hierosolymis primùm interfecti jussu Flori 630.
Cæsareæ ab Incolis, odio gentis & Religionis uno tempore 20000.
Scythopoli (Cœlosyriæ urbs est.) 13000.
Ascole in Palæstina, item ab Incolis. 2500.
Ptolemaïde pariter 2000.
Alexandriæ in Ægypto sub Tiberio Alexandro Præside 50000.
Damasci 10000.
Joppe capta à Gessio Floro, cæsi 8400.
In monte quodam Cabulone 2000.
In pugna ad Ascalonem 10000.
Per insidias iterum 8000.
Aphacæ, cùm capta esset 15000.
In monte Garizim, cæsi 11600.
Jotapatæ, in qua ipse *Josephus*, circiter 30000.
Joppe iterum capta, submersi 4200.
In Tarichæis, cæsi 6500.
Gamalæ tam interfecti, quam sponte præcipitati. Nec quisquam ex hac urbe salvus præter duas mulieres sorores, 9000.
Giscala deserta, in fuga trucidati 2000.
Gadarensium cæsi, præter hos qui in flumen desiluere infiniti 13000.
In Idumææ vicis, cæsi 10000.

Geraſii	1000
Machærunte	1700
In Sylva Jardes	3000
In Maſſada Caſtello ſua manu perempti	960
In Cyrene à Catulo Præſide, cæſi	3000

Quem ſi vita defunctorum numerum illis 1100000, qui in Urbis Hieroſolymitanæ obſidione deſiderati ſunt, adjicias, ſummam 1334490 conficies, innumeris aliis prætermiſſis, qui fame, exilio, miſeriis occubuerunt. Cæteri ſuperſtites mortalibus documento, non aliunde quàm ob illatas *Dei Filio* ſacrilegas manus, pœnas luiſſe. Nam etſi ſæpiùs ob commiſſa ſcelera, Servituti traditi, nunquam tamen ultra ſeptuaginta annos, captivitatem ſuſtinuere.

XLVII. Anno 80. *Victori Tito Populus Romanus gratulatur.*

Titus Victor Romam reverſus, Patri adjunctus, Triumphum lauro redimitus egit. Tum *Simone Barjona*, *Johanne*, cæteriſque Judæorum Regibus, ſecuri percuſſis, tam inſignis victoria lapidi excidi-tur, hac inſcriptione:

IMPERAT. TITO. CÆSARI. D. VESPASIANI. FILIO.
VESPASIANO. AUG. PONTIFICI. MAXIMO.
TRIB. POT. IMP. XVIII. COS. VIII.
PRINCIPI SUO.
S. P. Q. R.
QUOD PRÆCEPTIS. FACTIS. CONSILIISQ.
GENTEM JUDÆORUM.
DOMUIT
ET.
URBEM. HIEROSOLYMAM.
OMNIBUS. ANTE. SE. DUCIBUS. REGIBUS.
GENTIBUSQ. AUT. PETITAM. FRUSTRA.
AUT. OMNINO. INTENTATAM.
DELEVIT.

In Trophæi decus lata est *Mensa aurea* ac *Candelabrum*, *Lex* ultimò appensa, ac postmodum in Palatio, in Superstitionis monumentum, deposita. Sic resectis undique *Judæis*, Fidelium numerus augebatur, in *Agrippæ* præsertim Ditionibus, *Joannis* & *Simonis* Apostolorum prædicatione, simul cum *Lino* & *Clemente*, quibus operam suam præstantibus, ingens Judæorum Paganorumque multitudo, *Christi* Jugo cervicem submisit.

XLVIII. *Titus Vespasiano succedens brevi moritur.*

Titus Vespasiano suffectus, etsi antequam regnaret, Crudelitatis, Avaritiæ, ac Libidinis suspectus fuerit: hos autem mores sic in principatu convertit, ut humani generis *Amor* & *Deliciæ*, voce publica haberetur. Alieni abstinens, ex suo beneficus, ita singulos obstrinxit, ut super cœnam, se eo die, nemini beneficium contulisse recordatus, diem se perdidisse exclamaret. At ut caduca sunt, quæ eximia, & brevi præstantia evanescunt. Terris *Cæsar* ostensus est, ac mox sublatus. Nam post duos annos, ac totidem menses, non sine dati à fratre *Domitiano* veneni suspicione, inter mortales esse desiit, incredibili sui desiderio, Senatui Populoque relicto.

XLIX. An. 96. *Secunda Persecutio in Christianos sub Domitiano.*

Id *Domitianus* auxit, qui Principi optimo succedens, monstrum videbatur. Nam rerum administrationi admotus, in *Christum* odio, palam in ejus sectatores sævit, non minus erga cæteros, ferox ac immanis. *Joannem* imprimis Dei Filio charis-

chariſſimum exoſus, in *Pathmon* Cycladum Ægei maris Inſulam relegavit, ubi Apocalypſim innumeris futurorum Myſteriis refertam exaravit. Cùm antehac in ferventis olei dolium, Romæ demerſus, illæſus integerque abiiſſet. Paſſi ſunt ſub *Domitiano* Clemens Conſul, ei conſobrinus, & cujus etiam filios Imperii ſucceſſores moliebatur, & *Flavia Domitilla* ejus uxor, ipſi Imperatori ſanguine juncta, quibus Chriſtianiſmi crimen impegit. Par fatum *Aquilio Glabrioni*, qui cum *Trajano* Magiſtratus munia obierat: Nam præter cætera de eodem crimine accuſatum, interimi per invidiam juſſit. In mandatis Satellites habuere, *Davidis*, quondam Judæorum Regis propaginem, necnon *Jeſu Chriſti* propinquos veſtigandi. Cognito autem terreſtria Eos aſpernari, & per abjecta, ad cœleſtem gloriam aſpirare, intactos reliquit, ſævitiæ immemor, qua aliòs eidem Pietati addictos ante trucidarat. Hæc *ſecunda* eſt, quæ Chriſtianos vexavit *perſecutio*.

L. *Marcus Evangeliſta obiit quarto Domitiani anno.*

Euſebii litteris proditum eſt, *Marcum* Evangeliographum, quarto Domitiani anno, vita demigraſſe, cùm primus Ægyptios cœleſtis Eruditionis lumine colluſtraſſet. *Petri* Diſcipulus & Interpres paſſim audit, quòd ejus ore excepta, perturbato licet ordine, litteris mandaverit, huic duntaxat intentus, ne quid vero diſſentaneum poſteris committeret. *Avianum* pietate inſignem ſucceſſorem ha-

buit, quem Alexandriæ Presbyteri, in celsiori sede collocatum, Episcopum nominaverunt. Duodecimo ejusdem Principis anno, *Anacleto* secundo Romanorum Pontifici, *Clemens* substituitur, cujus *Paulus* Apostolus, sua ad *Philippenses* Epistola meminit.

LI. *Domitianus interfectus.*

Cum Domitianus omnium exitio immineret, & non per temporum intervalla, aut spiramenta, sed uno ictu Romanam Rempublicam perdere statuisset: Uxor ejus *Domitia*, sibi perniciem imminere intelligens, adscitis conjuratoribus, vulneribus confodiendum curavit. Fertur *Apollonium Thyanæum Pythagoricum* eo temporis spatio, quo Romæ Cæsar interficiebatur, ineenso apud Ephesum saxo, ita vociferatum: *Rectè Stephane, Euge Stephane, percute Homicidam; percussisti, vulneraſti, occidisti.* Ejus morte, regnatrix apud Romanos *Flaviorum* domus extincta est.

LII. An. 100. *Nerva regnante S. Joannes Patmo reversus, Cerinthum confutat.*

Cocceius Nerva, grandi jam ætate, Imperium post *Domitianum* adeptus. Bonus pessimo successit, mentis providæ, moribus gravis. Revocatis *Domitiani* edictis, Christianos destitutæ Religionis reos absolvit, neminem amplius ejus criminis insimulari passus, quem insontem noverat. Eo imperante, *Joannes* Apostolus ab exilio redux, Evangelicam Historiam composuit, editis ad *Parthos* Epistolis, quæ perpetuam seculis lucem ministrant. Sui temporis Hæreticos acritèr insectatus, Divinam *Jesu Christi* naturam, contra

contra *Cerinthum*, Satanæ Apoſtolum tuitus eſt. Is enim *Jeſum* non ex Virgine, ſed ex *Maria* & *Joſepho* ortum aſſerebat, ejus naturam partitus, viſibilem in Dei Creaturis maximum *Jeſum* agnoſcendo, *Chriſtum* autem inviſibilem, qui in eum cœlitus devolavit, ac proinde *Jeſum* quidem paſſum eſſe, *Chriſtum* autem doloris expertem. Hunc *Joannes* velut Antichriſtum ſcriptis aggreſſus, *Chriſti* Divinitatem luculenter vindicavit, *Chriſtum* in principio Deum fuiſſe teſtatus.

LIII. *Nerva poſt imperii abdicationem brevi moritur.*

Dum *Joannis* fervore, ac doctrina, Chriſtiana pietas, Romæ, Viciniſque oppidis diffunditur. *Nerva* infirmo jam corpore, egregium, quantum metiri poſſet, ratus, & præter inſitam mortalibus regnandi cupiditatem, Dominationem deponere, Capitolium aſcendit, hæc verba, magna voce prolocutus; *Quod fauſtum felixque ſit, Senatui Populoque Romano, mihique ipſi, M. Ulpium Nervam Trajanum adopto.* Delectui tribus tantùm menſibus ſuperſtes. Nam Iræ impetu, dum intenſiori voce, in quendam, nomine *Regulum*, inclamaret, Febre correptus, exhauſtis mox ſudore artubus, vitam finit, poſt Imperii annum, & menſes quatuor.

LIV. An. 110. *Tertia in Chriſtianos ſub Trajano Perſecutio.*

Trajanus Cæſar, origine Hiſpanus, imperium apud Agrippinam Coloniam ſuſcepit: ita Romano Senatui gratus, ut ab eo *Optimus* appellaretur; veteris Superſtitionis pertinax, cùm ſe Dominationem à *Jove* accepiſſe ſomniaſſet, Patrum Reli-

gionem Christianismo prætulit, omni cœtu, præterquam in Templis publicis interdicto. Hinc multi ob spretos Imperatoris jussus, in discrimen adducuntur: è quibus *Simeon Cleophæ*, annos centum & viginti natus, Cruci sufficitur. Necnon *Ignatius*, Romam ex Asia perductus, Leonibus in Amphitheatro objicitur, quod litteris, Magnesianos, Ephesinos, Trallenses, & alios in fide firmasset. Inter alios, *Clemens* Romanorum Antistes, quòd miraculo *Paganos* ab Idolorum veneratione abductos, *Christo* peperisset, Martyrii corona insignitur, alligata collo anchora in profundum dejectus. *Joannes* autem Apostolus & Evangelista, senio confectus, sexagesimo octavo post Domini passionem anno, sicca morte Ephesi excessit, cæteris Apostolis diu superstes.

LV. *Mitigatur persecutio litteris Plinii Junioris.*

Interim sævientem per *Trajani* ditiones persecutionem vitabat nemo, nisi qui *Christo* malediceret, aut Numinum simulachra veneraretur. Tyranni furor elanguit, ubi ex *C. Plinii Junioris* litteris didicit, nihil sibi aliud de Christianis compertum, quàm quòd statis temporibus, ante lucem convenirent, carmen *Christo* tanquam Deo dicturi. Sacramento se non in scelus adstringere, sed ne furta committant, illicito concubitu inquinentur, proximis insidientur, depositum appellati abnegent. Imperator Bithyniæ præfecti verbis motus, hunc in modum rescripsit: *Christianos non amplius conquirendos esse; si deferantur, &*

& arguantur, puniendos: sed supplicanti Diis Romanis, veniam ex pœnitentia dandam. Quo edicto, etsi tantillum *Vexationis* ardor deferbuerit, haud tamen Improbis erepta nocendi voluntas, quibus delinquendi impunitatem, Imperatoris in Christianos odium pollicebatur.

Non indulgentiæ pœnas ad inferos *Cæsar* distulit. Ingens terræ motus, eo regnante, Antiochiam evertit; cujus horrore penè exanimis, per fenestram eductus, discrimen evasit. *Messala* & *Pedone* Consulibus interfectis, cum infinitis aliis, qui mille mortium generibus periere. Sub dio permultos dies hærens, nec ulli se tecto committere ausus, Urbem contemplatur, tanquam totius orbis calamitatem, ob mortalium frequentiam, qui ejus causa, eò convenerant, immaturo fato correptorum. Nec multo intervallo, gravius incubuit cœlestis iræ monumentum. *Judæi* Cyrenenses, per *Ægyptum* & *Cyprum* omni crudelitatis genere, in Romanos & Græcos grassati; occisorum carnibus vesci non abhorrebant. Plures à vertice medios partiti, alios feris Animantibus objiciebant, aut etiam inter se nudo ferro confligere compellebant; ita ut ad ducenta viginti Hominum millia, gentis immanitate occubuerint. Demùm *Parthis* deficientibus, dum in illos arma molitur, veneno, seu ut alii, sanguinis effluvio, sublatus est. Postquam unde viginti annos imperasset.

LVI. An. 118. *Castigatur Trajanus ob persecutionem in Christianos.*

Interim

LVII. *Insignes sanctitate viri sub Trajano.*

Interim etsi omnes Christi Apostoli, post centesimum ab ejus in Terras delapsu, annum, obdormiissent, haud perinde Doctorum vis, ac Pastorum solicitudo quieverat. Vigebat tunc *Quadratus* Atheniensium Episcopus, cum *Philippi* Evangelistæ filia, Spiritu Prophetico illustris. Vigebat & *Polycarpus* Smyrnensis Antistes; postmodum in Amphitheatro, Populo spectante flammis crematus. Vigebat *Papias* Joannis auditor, Hieropoleos Civitatis Episcopus. Vigebat *Onesimus*, Sancti Pauli Discipulus, pro Christo posteà passus, pluresque alii, Prophetiæ, linguarum, curationumque donis inclyti.

LVIII. *Adriani Persecutio quarta.*

Persecutionem *Ælius Adrianus* Trajani successor propagavit; dum Hierosolyma eversa, Templum, eo loco, quo Dei ædes fuerat, *Jovi* sacrum ædificavit. *Judæi* enim opprobrio offensi, Rebellionem diu meditati, demum palam in defectionem erumpunt, locis suæ Regionis opportunioribus captis, quæ cuniculis prius, ac mœnibus munierant. Vesaniæ *Barchocabæ* robur addidit, Judæis libertatem propediem pollicitus, qui quoniam pluribus imposuerat, *Barcozbas*, id est, *Mendacii Filius* posteà dictus est. Gente semel commota, momento Seditio per omnes provincias diffunditur, omnibus ad arma, ad cædem, ad ultionem paratis; quorum furore innumeri mortales, vel letho dati, vel de direptis bonis querebantur. *Adrianus* perduelles absque strepitu aggressus

greſſus, fame ac inedia fractos, ad extremum exitum compulit, quinquaginta munitiſſimis eorum arcibus captis, atque nongentis octoginta quinque vicis funditùs everſis. Tam excurſionibus, quàm prœliis cæſa quingenta octoginta Hominum millia, præter eos, quos fames, morbus, ignis abſumpſit. Sic ut tota Judæa planè deſerta videretur, juxta *Chriſti* ac Prophetarum vaticinia.

LIX. An. 134. *Judæis penè extinctis Templum profanatur.*

Exinde natale ſolum *Judæis*, nec è ſpecula contemplari licuit, appoſito præſidiario militi, qui diurnis nocturniſque excubiis, *Hieroſolymam* ſubeuntes arcebat. Is etiam in miſeros ſævus, non niſi ære conductus, ut tantillum ibi lachrymarentur, admittebat. Hæc clades Chriſtianæ fidei incrementum fuit, dum Judæi *Chriſtum* Deum ſub Legis obſervatione credebant, Domino ita ordinante, ut Legis ſervitus, à Fidei, atque Eccleſiæ libertate amoveretur. *Adrianus* autem Chriſtianos ex *Judæis* originem trahere arbitratus, nihilque ad Sectæ exitium, æquè conducere exiſtimans, quàm ſi *Templum* temeraret, in eo Dæmonum ſimulachra erigi curavit. Sed *Herennii Graniani* Aſiæ Proconſulis litteris admonitus, iniquum videri, non niſi Religionis reum, vulgi clamoribus, ad ſupplicium concedi, hunc in modum, *Adinutio Fundano* edictum miſit, neminem Chriſtianum niſi probato crimine, morte mulctaret, quod etiam ad ſe deferri volebat, præcepto addito, ut Templa ſine ſimulachris ſtruerentur. Nihil

LX.

An. 162. *Quinta Christianorum Persecutio sub Antonino Philosopho.*

Nihil in Christianos acerbi, *Antonini Pii* temporibus contigit, nisi quòd hausto à Majoribus errore, eis minus æquus fuerit, donec *Justini*, aliorumque Apologiis deliniretur. Acrius in eos actum est, ubi M. *Antoninus*, cognomine *Philosophus*, Pio gener, Imperii gubernaculum susceptit, Nam Fideles pertinaci odio insecutus, undique conquisitos, tanquam Numinum Contemptores mactari jussit. Ex quibus *Justinus* post editum alterum Apologeticum, *Polycarpus* Smyrnæ Episcopus, licèt præfocato antea per miraculum rogo, extincti sunt. Plures alii Lugduni in Gallia, ut *Photinus* Episcopus, *Attalus*, *Alexander* Medicus, variis suppliciorum generibus consumpti memorantur. *Blandina* Servili in corpore, ea Regio animo toleravit, quæ Romanam fortitudinem superant. Romani quoque Pontifices, *Sixtus* anno *Antonini* secundo, cùm annos propemodum decem sedisset; *Telesphorus*, anno decimo quarto; *Hyginus* decimo octavo, occisi.

LXI.

An. 170. *Castigatur Imperator ob sævitiam in Christianos.*

Sed crudelitatem pœna brevi secuta: Fervet armis Gallia, Italiæ Tyrannum aggreditur, deficit Illyricum, & quasi haud sat malorum esset, Terra sub pedibus mugiente, Urbes ejus motu, Campi fluviorum inundationibus, fruges locustis corrumpuntur. Peste *Romæ* grassante, tantus fuit mortuorum numerus, ut corpora vehiculis efferrerentur, plerisque etiam Magnatum mirum in modum, fato cedentibus. Nec

Lucius,

Lucius, quem in Imperii ſocietatem aſſumpſerat, diu incolumis, Apoplexia correptus vivis eximitur. A *Quadis*, in quos arma exercebat intercluſus, exercitu Siti ac Calore jam perituro, ultimam naufragii tabulam complexus, *Chriſtianam*, quæ in Caſtris militabat, Legionem, Deo ſupplicare pro ſua ſalute, popoſcit. Nec incaſſum, Deus, Romanorum acie largis imbribus refocillata, barbaros fulminibus percuſſit, paucis fuga elapſis. Hinc Legioni, *Fulminatrix*, inditum nomen, quòd *Quados* fortiſſimam Gentem, perinde ac Deorum potentiam perfregiſſet. *Cæſar* Beneficio motus, edito in publicum facinore, *Chriſtianis* gratificaturus, ſupplicia in Eorum accuſatores tranſtulit, aperto etiam ad honores aditu, à quibus ob Servitii indignitatem eximebantur.

LXII. An. 181. *Sub Commodo multi Eccleſiæ accedunt.*

Interim *Marco Antonino* in Superſtitione ſua extincto, *L. Commodus*, occupato Imperii fræno, pacem, quam Pater conceſſerat, Chriſtianis largitus, effecit ut multorum acceſſione, Generis nobilitate & Opum affluentiâ præſtantium, Eccleſia augeretur. Florebant Evangelii Præcones, Virtutibus clari, Doctrina illuſtres, Poteſtate inclyti. *Pantænus* è Stoico Chriſtianus, ſalutifero ſermone Indis impertito, ad ſuos reverſus, *Matthæi* Evangelium apud Barbaros derelictum retulit. *Eleutherus* Romanorum Antiſtes, acceptis à *Lucio* Britannorum Rege, litteris, ut ſe cum Subditis in Chriſtianorum numerum ad-

adscriberet, *Fugatio*, & *Damiano*, Eruditione pariter ac sanctitate insignibus eò amandatis, universa Britannia Fidem Christianam complexa est. Diu Fidelibus quies tranquillitasque, donec delato ad Septimium Severum principatu, nova *Vexatio* ingruit.

LXIII. An. 194. *Plurimi sub Severo, Plautiani instinctu, patiuntur.*

Nam *Plautianus*, ob potentiam, vulgò Imperatoris Imperator dictus, odio in Christianos, Palæstinam profectus, gravi mulcta, ne Regionis incolæ, *Christum* sectarentur, vetuit. Mox nescio quid arcani, in *Ægyptiorum* libris latere suspicatus, eos ex omnibus adytis sustulit, omnium prædo, Provincias omnes depopulatus est. Ubique sævus, ubique post congesta inops. Orta in *Ægypto*, ac præsertim in *Thebaide* Persecutione, visa sunt præclara Martyrum certamina, Christianis Dei amorem sanguine suo asserentibus, & Principis sævitiam, cœlestis gloriæ intuitu, contemnentibus. Ex iis illustres memorantur *Leonides* Alexandrinus, *Origenis* Pater, *Philippus* Ægyptii Præfectus, *Irenæus*, à *Polycarpo* Lugdunum missus, vitam sub gladio fortissimè posuerunt. Ejus Persecutionis quædam etiam in Africa velitatio fuit, *Saturnino* primùm, deinde *Scapula* Provinciam illam administrante. Non diu *Plautianum* immanitas juvit; Conjurationis accusatus, non concesso purgandi tempore, interficitur, *Plautilla* Filia primùm relegata, mox cum filio, cæterisque *Plautiani* familiaribus, ferro sublata. Cunctis obstupescen-

peſcentibus, conſiſtere eum non potuiſſe, qui omnia poterat.

LXIV. An. 212. *Sacris literis plures eruditi ſub Severo.*

Sub *Severo* Artium liberalium peritia inſtructo, vixit *T. Flavius, Clemens Alexandrinus*, Pantæni auditor, & *Origenis* Magiſter, vir ſummæ Eruditionis, qui admirandis Stromatibus litteratum Orbem illuſtravit. Floruit *Tertullianus* animo fortis, ut ingenio & origine Afer, ita & ſtylo igneus; qui Gentilium ſævitiam in Chriſtianos non ferens, ingenii nervos in horum defenſionem intendit, incomparabiles Eruditionis & Eloquentiæ opes oſtentans. Verùm, cùm plurimos ex Errorum tenebris ad lucem revocaſſet, contumaci perverſitatis genio afflatus, in pudendos errores prolapſus eſt. Impoſtoris *Montani* vecordiam ſecutus. Claruit *Minutius Felix*, ex Cauſidico, Chriſti aſſertor eximius, cujus adhuc nomen, in præclaris, quæ reliquit, ingenii monumentis, æternum manet. Quantum ſummo Numini charus fuerit *Narciſſus*, Hieroſolymorum Præſul, ex tribus teſtibus, qui turpitudinis inſontem in jus vocarunt, innotuit. Nam *Primus*, prout meminit *Euſebius*, parva Ignis ſcintilla, ædibus ejus noctu ſuccenſis, cum tota familia, flammis ultricibus flagravit. *Alter* ab imis pedibus ad Capitis verticem, fœdo morbo conſumptus. *Tertius* iniquitatem deteſtatus quidem, at dum commiſſam deflet, luminibus orbatur. Sic omnes tres, eadem pœna, quam ſibi imprecati

precati fuerant, si falsum denuntiarent, mulctati sunt.

LXV. An. 230. *Privilegia Origenis causa, Christianis concessa.*

Quibusdam annis interjectis, vixit *Origenes*, Adamantinus, ob studiorum assiduitatem, appellatus. Mente tam sublimi, ac profunda Eruditione, ut sui temporis Miraculum haberetur. Accersitum *Mammæa* Alexandri Severi mater fovit, ejus gratia, cæteros Christianos peculiari caritate complexa. Quantum etiam viri excellentiæ *Alexander* detulerit, agnoscit *Lampridius*, cùm non indultorum modò Christianis privilegiorum meminit, sed rem Divinam *Christo* & *Abrahamo* in Imperatoris lario factam memorat, adjunctis tamen *Apollonio*, *Orpheo*, & id genus aliis, quorum simulachra in Fano venerabatur. Hinc Templum *Christo* condere sœpiùs in animo habuit, eum Deorum numero addere molitus, ni metus subiisset, Filii Dei veneratione desertas iri Numinum ædes. Christi sententiam: *Prout vultis ut faciant Vobis Homines, & Vos illis facite similiter*, ut Divinam miratus, Palatio publicisque operibus inscribi curavit. Christianis locum publicum occupantibus, cùm sibi eum deberi Popinarii vociferarentur, rescripsit Imperator: *Melius est, ut quomodocumque illic Deus coleretur, quàm Popinariis daderetur.* Diu Ecclesia, imperante *Severo*, pacem obtinuit, donec Juris peritis, qui Christianis adversabantur, in consilium adhibitis, nonnullæ Martyrum cædes extiterunt. Persecutionem protraxit *Julius Max-*

Maximinus, qui militari virtute ad ducatum provectus, ubi in ſuos, ſine dignitatis delectu, ſupplicia exercuit, verſo in Chriſtianos furore, ſublatis Eccleſiæ Rectoribus, eam abolere cogitavit. Ne id autem fieret, Divina obſtitit Providentia, quæ, tyrannidis triennio nondum expleto, violentam dominationem, paucorum ferro obtrivit.

LXVI. An. 238. *Septima ſub Decio Chriſtianorum Perſecutio.*

Perſecutione *Gordiani* & *Philippi* temporibus tantillum remiſſa, *Septimam* Decius ſui imperii exordio commovit. In quo *Fabianus* Romanorum Pontifex, *Babylas* Antiochenorum, ambo vita ac meritis illuſtres, cæſi ſunt. *Alexander* Hieroſolymis, *Apollonia* Virgo, Alexandriæ, cum innumeris aliis, fortiter uſque ad interitum, in fidei confeſſione perſtiterunt. *Origenes* in ea perſecutione comprehenſus, poſtquam de tormentis Victor, Carnificum quoque ludibria ſuperaſſet, metu perculſus, ne *Æthiopi* ſtuprandus traderetur, cervicem Idolis ſubmiſit. Quam puſillanimitatem poſtea deteſtatus, *Tyrum* Roma ſecedens, à docendo abſtinuit, & abluto lachrymis crimine, undeſeptuageſimo ætatis anno mortuus eſt; fallacium opinionum ſeminibus poſt ſe relictis, dum Filii Dei cum Patre æqualitatem inficiatus, de cœleſti Regno non ſanorum verborum formam ſervavit.

LXVII. An. 259. *Valerianus primùm Christianis benignus, mox in eosdem exacerbatur.*

Benignior in Christi cultores *Lucius Valerianus*, quos Regni principio, ea comitate prosecutus est, quanta ante ipsum Cæsarum nemo. Ejus domo Templi potiùs sanctitatem, quàm *Aulæ* vanitatem æmulante. Verùm, à *Mago* corruptus, mox à *Macriano*, Ærarii Præfecto stimulatus, lascivos ritus obire, nefanda mysteria exequi cœpit, & dissectis Infantium viscеribus, Christianos, quos tantopere coluerat, verso animo, suppliciis exagitavit. Sic clarissimum Africanæ Ecclesiæ lumen, *Cyprianus* Carthaginensis Episcopus capite truncato; *Xistus* ex Philosopho Christi Discipulus, dilaceratis artubus: *Laurentius* Diaconus, crate ad Ignem tostus, absumpti sunt. Deus suorum sanguinem ultus, gravissimis bellis, unà cum lue Tyrannum afflixit, convellentibus undique Romanum Imperium Barbaris. *Scythæ* sedibus relictis Macedoniam, Græciamque adorsi sunt. *Borani* in Asiam penetrant: *Gothis* Italiæ, *Burgundis* Illyrici oram depopulantibus. Extremum calamitatis fuit, dum *Sapori* Persarum Regi proditus, ignobili servitute consenuit. Nam ei equum inscendenti humeros præbere coactus, in ferrea cavea subinde inclusus, instar feræ circumferebatur, donec cute detracta, fœdè laniatus, toto corpore animam egit, Mortalibus documento, nunquam à Regibus Deum impunè offendi.

Galli-

Gallienus Paterno inſtructus exemplo, ultrà Chriſtianos perſequi vetuit, quibus *Cœmeteria* conventibus agendis ſponte conceſſit. Sed eandem Chriſtiani Populi ſævitiam, *Æmilianus* Ægypti Præfectus proſecutus eſt; plurimis per Ægyptum,& Thebaidem, vario tormentorum genere membratim laniatis. Orta autem per incolarum levitatem ſeditione, ob Curatoris ſervum fuſtibus exceptum, in tantas anguſtias redactus eſt, ut ſalutis ſpe omiſſa, ſibi pereundum eſſe exiſtimaret. Quare arrepto per deſperationem ducatu, ita provincias depopulatus eſt, ut *Dionyſius* Alexandriæ Epiſcopus, quem antea ad fidem Chriſti ejurandam minis agitaverat, Arabiæ deſerta petere cogeretur. Ex qua Domini Populum, non ore ampliùs, non exemplo, ſed calamo, Pietatis admonuit. Demum *Æmilianus*, prælio à Theodoto Gallieni duce ſuperatus, Romam ſubinde deductus, conſtrictis laqueo faucibus extinctus eſt. LXVIII. *Sub Gallienò Æmilianus in Chriſtianos ſævit.*

Secura Perſecutoris cæde Eccleſia, vigorem accepit, Fidelibus & Provinciarum præfecturas, & militares honores adeptis. Non *Cœmeteria* ampliùs, non præ vetuſtate crepitantium ædium ſpatia cœtibus cogendis paria, panduntur Areæ, magnæque molis Ædificia à fundamentis ſtruuntur. Superioribus certaminibus lapſi, cùm veniam ſupplices expoſcerent, ad Eccleſiæ gremium revertebantur. Eorum occaſione, mota inter Prælatos controverſia, an Hæretici ſacro fonte forent denuo abluendi, LXIX. *Pacata aliquamdiu Eccleſia.*

luendi, ſtatuit *Dionyſius* Alexandrinus ſemel in Eccleſia, aqua tinctis Baptiſmum ſufficere, quem ſuſceperant: eos autem ab Hæreticis baptizatos, quibus integra Trinitatis fides deeſſet, à vero baptiſmo non eſſe removendos. Pari Veritatis telo, idem *Dionyſius*, duobus de *Promiſſionibus* libris *Nepotis* Ægyptiorum Epiſcopi errorem redarguit, qui *Joannis* Apocalypſim perversè interpretatus, Epicuream Voluptatem imaginabatur cum Chriſto annis mille communem.

LXX. An. 284. *Nona Diocletiani perſecutio.*

Annis quibuſdam elapſis, ſub Diocletiano, gravis & quanta hactenus non fuerat, exorta eſt in Chriſtianos Vexatio: *Sebaſtiano* enim Tribuno illuſtri, duplici morte erepto, in *Thebæanam* Legionem ſævitum eſt: Militibus aut neci datis, qui Idola aſpernabantur, aut exautoratis, quos ad Chriſti Fidem Parentum exemplum adduxerat. Hæc fuere atrociorum malorum primordia: Nam *Cæſar* Templa dirui, & ſacros Libros ad incendium tradi edicto juſſit. Tum ut Chriſtiani honorariis muneribus functi, in ordinem redigerentur, cæteris, aut in Servitutem deturbatis, aut capite plexis. Ut Crudelitas Pietati hoſtis eſt, & aſſiduitate acuitur, *Auguſtus* feræ inſtar, morſibus ferocior, Eccleſiarum Præpoſitos aggreſſus, *Procopium* apud Cæſaream Palæſtinæ, *Alphæum*, *Zachæum*, *Albanum* Britanniæ Protomartyrem, &c. vario cruciatuum genere ſuſtulit. Mox in omnes cujuſvis ordinis aut ſexus graſſatus. Quoſdam

dam probroſa trabs, alios flamma, alios equuleus excepit. Nonnulli languidis ignibus aſſati, quidam contortis Arborum ramis laniati miſerè occubuere. Memorantur, qui detracta corpori cute, mox membrorum tortura, aut flagris ferreis cæſi, animam efflarint. Nec mulieribus parcitum, quibus pede uno cruci affixis, mammæ adurebantur, quò tormentorum vim acriùs ſentirent. *Romano* Cæſarienſi Epiſcopo, quòd populares in Idolorum cultum propenſos, acri ſermone in viam ſalutis reduxiſſet, lingua forcipibus eripitur. Protracta ad decem annos Perſecutio, tantùm non Dei plebem depopulata eſt, innumeris pro Chriſti fide conſumptis.

LXXI. An. 303. *Galerius Maximinus in perſequendis Chriſtianis ferox.*

Non in Chriſtianos mitior, qui *Diocletiano* ſucceſſit *Galerius*, qui in Dei Filium odio, Prædeceſſoris Perſecutionem promovit, quam plerique fuga antevertere moliti, ſe avris deſertiſque locis tuebantur. Eo, per Palæſtinam, Ægyptum, Meſopotamiam, Syriam, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, graſſante, quoddam Phrygiæ oppidum, cum omnibus incolis, Chriſti fidem audaciùs profitentibus, injectis facibus combuſſit. *Apphianum* nobilem, quòd *Urbanum* Palæſtinæ Præſidem, ab Idolorum cultu dehortatus eſſet, adjecto oleo, flammis tradidit. Demum defeſſis cruoris aſpectu judicum oculis, laſſatiſque Carnificum brachiis, cùm in decora certamina paſſim rueretur, Tyrannus Urbium ſolitudinem veritus, ab ex-

cidio demum abſtinuit; Confeſſoribus luminum alterum eruere, crus confringere, aut metalla eis eruenda imponere contentus. Inter præclaros Athletas, qui pro *Chriſti* nomine fortiter dimicarunt, *Anthimus* Nicomediæ, *Petrus* Alexandriæ, *Silvanus* Emiſæ, *Tyrannio* Tyri, *Silvanus* Gazæ, Præpoſiti ac Præſules illuſtres fuere, Præter innumeros alios, in cæteris Orbis partibus, quorum nomina annectere, infiniti eſſet operis. Nam *nullis unquam magis bellis, (* ſic Sulpicius) *mundus exhauſtus eſt, neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus.*

LXXII. *Conſtantius Chlorus Chriſtianos in honore habuit.*

Conſtantius autem, qui cum *Galerio*, Orbem partitus erat, egregiæ indolis princeps, Collegæ ſævitiam averſatus, *Chriſtianis* pacem, per omnem ditionem ſuam pollicetur, indito hoc integritatis ſuæ indicio : Odium in Dei filium commentus, ejus ſequaces Aula expelli jubet, quò ſinceriores expertus, ad munia proveheret. Hinc apud ſe remanentes, tanquam fidei ancipitis, & proditioni obnoxios repudiavit, hoc fultus argumento, fidos ſibi eſſe non poſſe, qui Principis gratiam Dei obſequio anteponerent.

LXXIII. An. 310. *Galerius adverſus Conſtantinum iniquus.*

Interim *Galerius*, *Conſtantinum* Conſtantii ex Helena Bithyna obſcuriori loco nata Conjuge filium, apud ſe habebat, Religionis obtentu, & velut datæ fidei pignus. Juvenis animum à teneris annis veritus, tum *Leoni*, quem ſuperaret, tum *Barbaro* Hoſti,

Hoſti, à quo opprimeretur, ſæpius expoſuerat, ſemper elapſum perdere molitus. Conſilii gnarus *Conſtantinus*, in Britanniam ad Patrem profugit, qui in ejus complexu paulo poſt, Eboraci moritur. *Conſtantinus* tum Cæſaris appellatione contentus, *Auguſti* nomen à *Maximiano* ſocero, anno ſequenti, obtinuit. Inter hæc *Galerius Maximinus* fœdo ulcere, pudendis depravatis, totoque corpore vermibus ſcaturiente elanguit. A Medicis expertem curationis morbum eſſe, quòd Chriſtianos exagitaſſet, admonitus, crimen faſſus, eorum opem invocavit, quos tam dirè laceſſerat. At mox malorum impatiens, ac ſera nimiùm ac inutili pœnitentia, mortem implorans, morte correptus eſt.

LXXIV. *Maxentius templa Chriſtianorum evertit.*

Fine *Galerii* comperto, Chriſtiani è ſolitudine revertuntur, ad quam Tyrannorum barbaries adegerat. Sed brevis tam diuturnæ expectationis mora. *Maxentius Maximiani* filius, quem militaris favor ad Imperium evexerat, adò in Chriſtianos ſæviit, ut mentis ferocia *Galerio* ſupergreſſus videretur. Nam incognitum adhuc virus in Eccleſiam effudit, *Theoteceni* Antiochiæ Procuratoris impulſu, à quo ſuppoſitæ laſcivæ mulieres, Chriſtiana fide ſe olim imbutas mentientes, inceſtarum Chriſtianiſmi conſuetudinum conſcientia pollutas agnoſcebant. Credenti ſimilis Imperator, & Superſtitione in ſpeciem concuſſus, *Deorum* fana inſtaurari, propha-

nos ritus reſtitui jubet, mox conceſſo Viris nobilibus Sacerdotio, Chriſtianam Religionem ditionis ſuæ limitibus proſcripſit. Ne quid malitiæ deeſſet, Tempeſtatum æſtus, algoreſque, bella, famem, cæteraque mala, Columnis inſcribi juſſit, quorum Chriſtianos reos profitebatur.

LXXV. *Vincitur Maxentius a Conſtantino.*

Nominis ſui vindex Deus adfuit; *Conſtantinus* enim Vir ingens, ut loquitur *Aurelius*, virtutibus ſpectabilis, Eruditione uſque ad Aſtra, votis omnium, ſubvectus: Ubi *Italiam* vaſtari, *Urbemque* miſerè diripi comperit; Pace per Gallias compoſita, obſtrictoque per Sororis nuptias *Licinio*, Tyrannum aggreditur: qui per continuas Libidines enervis, & in deſidiam potiùs, quàm ad arma pronus, prælium tamen haud refugit: Roma egreſſus, cum Conſtantino congredi auſus eſt. Collatis autem ſignis, fuſa, fugataque acie, dum Urbem regredi, per Pontem *Milvium* properat, Equi lapſu, in profundum demerſus, ita Limo, ob thoracis pondus abſorptus eſt, ut ægrè corpus inveniri poſſet. Narrat *Aurelius*, *Conſtantino*, pridie conflictus, ac de pugnæ eventu ſolicito, Crucem ſolaribus radiis in cœlo fulgentem apparuiſſe, ſcriptura addita, IN. HOC. VINCE. Signi imaginem, omenque attentiùs animo evolventem, nox apprehendit. In ſomnum profuſo, Chriſtum ſe, cum Crucis ſymbolo, quod in Cœlo intuitus fuerat, exhibuiſſe, præcepiſſeque, ut id militum pileis imponeret, futuræ

futuræ Victoriæ indicium. Quod ubi feciſſet, reportata per Jeſum Chriſtum de *Maxentio* victoria, ad Beneficii Authorem involans, Chriſtum Dei Filium confeſſus, primus omnium Romanorum Principum, Chriſti Cultor, Deo Imperium inauguravit.

Sic Conſtantinus Magnus, tunc *Cyro*, & *Alexandro* major, toti Imperio & Orbi exoptatus, *Roma* à Tyranni jugo aſſerta, Senatu Populoque, priſtino ſplendori reſtitutis, totus in Reipublicæ Chriſtianæ commodum incumbit.

FINIS.

Errores ſic Corrigendi,

PAg. 24. Lin. 1. Leg. *Converſus.* p. 8. l. 10. l. *adornant.* p. 165. l. 30. l. *juge trant.* p. 176. l. 32. l. *Emiſſam, ejus.* p. 256. l. 6. l. *obtutu.* p. 277. l. 15. l. *crapula.* p. 371. l. 6. l. *tradidit.* p. 396. l. 27. l. *malorum.*

INDEX

Rerum Memorabilium.

AAron *benedicit Aristem immolandum* 93. *Ejus Virga floruit* 98. *Moritur* 100.
Abel & Cainus *munera offerunt* 13.
Abimelechus *Gideonis filius* 120.
Abnerus *Isbosethum substituit in Regem* 153. *A Joabo occisus* 154.
Abrahamus *Patriam relinquit* 36. *A Lotho separatur* 38. *Benedicitur à Melchisedeco* 39. *Agaram Ancillam admittit* 40. *Geturam in uxorem ducit* 47. *Moritur* 48.
Absolomus *Amnonem interficit* 165. *Revocatur ab exilio* 166. *Adversus Davidem conjurat* 167. *Achitophelem in consilium adscifcit* 168. *Quercu pendens à Joabo interficitur* 172. *Ejus mortem* David *deflet* 173.
Achabus *septimus Rex Israelitarum* 195. *Vineam Nabothi præripit* 199. *Cladem ei* Michaia *prædicit* 200. *In prælio occisus* 201.
Achan *ob furtum lapidatur* 108.
Achasus II. *Rex Judæorum* 226. *Castigatur ob scelera* ib. *Deos Assyriorum colit* 227. *Mortuo negatur sepultura Regia* 228.
Achitophel *se suspendit* 174.
Adamus *in Paradiso voluptatis collocatus* 7. *Ei fructus arboris ejus prohibetur* 8. *Ei indicitur Agrorum cultus* 12. *Ex horto voluptatis pulsus* ib. *ejus mors* 19.
Adonias *occisus* 181.
Adonibesecus *ab Israelitis victus* 113.
Aer *die secundo productus* 3.
Agrippa *Avi Principatum obtinet* 356. *Eroſus à vermibus* 359.
Alexander Machabæus *Judæis crudelis* 300. *Larga potatione moritur* 301. *Uxorem in morte admonet* 302.
Alexander *magnus* Darium *lacessit* 271. *Darium superat* 273. *Parcit Hierosolymis* ib.
Alexandra *Alex. Macch. uxor* ib.
Amasias 8. *Rex Judæorum* 217. *Regem Israelitarum ad bellum ciet* 218.
Amnon *sororem tumerat* 164. *Ab Absolomo interficitur* 165.
Amon 14. *Rex Judæorum* 235.
Ananias & Saphira *morte plexi* 350.

Angeli

INDEX.

Angeli *quando producti* 4.
Angelorum *lapsus* ib. *Angelorum peccatum quale* 5.
Angelus *Zachariam convenit* 316. *Ad Virginem Mariam mittitur* 317. *Admonit* Josephum *de conceptu Mariæ* ib. *Christi ortum Pastoribus annuntiat* 320.
Antiochus *Hierosolymam depopulatur* 279. *Ejus Duces à Juda expugnantur* 282. *Babylone moritur* 284.
Apostoli Matthiam *eligunt* 349. *Accipiunt Spiritum Sanctum* 350. *In carcerem conjecti* 351. *Symbolum condunt* 359. *In diversas Regiones abeunt* 361.
Arca *ex quibus composita* 92. *A Philistinis capta* 130. *Remittitur cum donis* 131. *In domum* Abinadabi *collocatur* 132. *Apud Obededom relicta* 158.
Archelaus *à Cæsare depositus* 325.
Aristobulus *diadema sibi imponit* 299. *Romam captivus tlabitur* 306. *A Pompeianis occisus* 307.
Aristobulus Alexandræ *filius* 312. *Herodis arte occisus* 313.
Artaxerxes *Cambysis Regnum invadit* 260.
Artaxerxes *Longimanus* 265.
Asa *in tribus peccavit* 193.

B.

Baalis *Idolum Israelitæ venerantur* 104.
Baana & Rechabus 155.
Babylon *à Semiramide amplista* 32.
Balaamus *ab Asino corruptus* 101. *Populo Israelitico benedicit* 103. *Ejus consilium* 104.
Baltazarus *digitos videt scribentes* 253. *Interimitur à Persis* 254.
Baracus & Debora *Judices* 116.
Beli *idolum* 257.
Bellatorum *numerus in* 12. *Tribubus* 55.
Benhadadus *Samariam obsidet* 197. *Bis vincitur* 198. *In Regnum ab Achabo restituitur* ib. *Strogula suffocatur* 211.
Benjaminus 58. *Furti accusatus* 65.
Bona *omnia quæ* Deus *creavit* 7.

C.

Cainus Abelem *occidit* 14. *In exilium pellitur* ib *urbem ædificat* 16. *A Lamecho interfectus* 19.
Carnium *esus quando permissus* 26.
Cassius *in Judæam pergit* 308.
Cestius Gallus 377.
Chamus *à Patre maledictus* 26.
CHRISTUS *quando natus* 319. *Vulgatur à Pastoribus* 320. *Eo nato Oracula cessant* ib. *Circumcisus* 321. *Duodennis Doctores interrogat* 326. *Baptisatur à* Joanne 327. *Tentatur à Satbana* 328. *Apostolos eligit* ib. *Vendentes Templo abigit* 329. *Sanat ægritudines* 331. *Judæos erudit* ib. *Apostolos ad prædicandum mittit* 334. *Satiat 5 millia Hominum* 5. *panibus* 345. *Tempestatem sedat* 336. *Ejicit Dæmonium ex Cananæa filia* 337. *Transfiguratur coram Apostolis* ib. *Mittit 72 Discipulos* 339. *Triumphans Hierosolymam ingreditur* 341. *Docet Pharisæos Parabolis* 342. *Eucharistiam dat Apostolis* 344. *Sistitur coram Caipha* 345. *Resurgit à mortuis*

mortuis 346. *Resurrectionis veritatem demonstrat* 347. *Ejus in cœlum adscensus* 348.
Christiani *Roma expulsi* 363.
Circumcisio *quando præcepta* 41.
Claudius Jacobum *morte afficit* 358.
Clemens Alexandrinus 399.
Concilium *Hierosolymitanum* 363.
Constantius Chlorus 406.
Corachus, *Dathanes, & Abiramus* 98.
Cornices *Deus Israelitis plulit* 81.
Cyrus *Jechoniæ imperium restituit* 258. *Templi structuram promovet* 259. *Ei* Cambyses *succedit* ib.

D.

Dæmon Jobum *affligit* 70. *A Jobo superatur* 71.
Dæmoniacus *à Christo sanatus* 333.
Dalila *Samsonem prodit* 127.
Daniel *legumina eligit* 245. *Susannam liberat* 246. *Senes mendacii convincit* ib. *Somnium* Nabuchodonosoris *aperit* 247. *Honoratur à* Nabuchodonosore 248. *Præficitur* Darii *consilio* 255. *In lacum Leonum missus* 256. *Ejus Visiones* 257.
Darius *Equi hinnitu Rex salutatus* 261.
David *in Regem unctus* 141. *Goliathum superat* 142. *Michalem uxorem ducit* 145. *Dementiam simulat* ib. *Evadit manus* Sauli 146. *Abscindit oram pallii ejus* 147. *Abigailis verbis placatus* 148. *Eam in Uxorem ducit* 149. *Saulo dormienti hastam aufert* ib. *Achisæo fidem pollicetur* 150. *Amalecitas intercipit* 151. *Sauli interfectorem occidi jubet* 152. *In Regem Hebron ungitur* 153. *Devovet* Abneri *homicidam* 155. *Capit Hierosolymas* 156. *Vincit Palæstinos* 157. *Arcam Hierosolymam deducit* 159. *In Jonathanis filium benevolus* 161. *Ammonitas profligat* 162. *Adulter, Homicida* ib. *Husaium mittit Hierosolymam* 169. *Hostes sibi conciliat* 174. *Ignoscit Shimeio* 175. *Castigatur à Deo* 177. *Pestem eligit* 178. *Ab Abisaga calefit* 179. *Moritur* 181.
Decalogus 85.
Decius *Imperator, in Christianos sævus* 401.
Demetrius *Regnum occiso Antiocho occupat* 286. *Capitur ab Arabace* 294. *Vita privatur* 297.
Deus *quievit die septimo* 13. *In Rubo Mosi apparet* 75.
Diocletiani *persecutio* 404.
Domitianus *interfectus* 390.

E.

Ebzon *Judex Israelitarum* 124.
Ela *à Samri occisus* 194.
Elcana *Samuelis mater* 129.
Eleazarus *tormenta fortiter patitur* 280.
Eliacimus *Judæorum Rex* 238.
Elias *cœlum occludit* 195. *Viduæ filium suscitat* 196. *Holocaustum igne cœlesti absumit* ib. *In ministerium* Elisæum *assumit* 197. *Mortem* Achabo *minatur* 199. *Mortem Ochoziæ prædicit* 202.

202. *In cœlum raptus* 203.
Eliſæus *Eliæ ſpiritu nobilitatus* 203. *Fontem ſalubrem reddit* 204. *Pueros tradit urſis devorandos* ib. *Aquam exercitui impertit* 205. *Oleum mulieri impetrat* ib. *Mortuum ſuſcitat* 206. *Milites* Syrios *offuſcat* 207. *Prædicit abundantiam frumenti* ib. *Naamum à lepra mundat* 210. *Mortuus mortuum ſuſcitat* 216.
Eſauus *primogenituram vendit* 50. *Ejus filii* 61.
Eva *à Dæmone decepta* 9. *Adamum in crimen trahit* 10.
Eupator 285.
Ezechias 228.

G.

Galba *Imperator* 379.
Galerius *in Chriſtian. immanis* 405.
Gentium *variarum ortus* 29.
Geſſius *Florus Judæis adverſus* 375.
Gideon *Medianitas ſuperat* 118. *Ephod ex inauribus conficit* 120.
Godolias *ab Iſmaele occiſus* 249.
Goſenis Jacobo *aſſignata* 67.

H.

Hamanus *Mardochæo offenſus* 262. *Cruci affixus* 264.
Hazael *Syriam occupat* 211.
Hebræi *ab Ægyptiis afflicti* 71.
Helis *Pontifex* 129. *Ejus acta* ib.
Herodes *magnus* 307. *Ejus acta* 310. *& ſequent.*
Hieroſolyma *ab Aſſyriis obſeſſa* 230.
Hircanus *Circumciſionem Idumæis imponit* 297.
Holofernes *ab Accitore admonitus* 268.
Homo *quando creatus* 6. *Ob peccatum caſtigatus* 11.
Huſaius *Achitophelis adverſus* 171.

I.

Jacobus *Eſaui frater* 50. *Ejus acta* 51. *& ſequent. ejus filii in Ægyptum pergunt* 63.
Jehu *Rex* 211.
Jephta *Judex Iſraelitarum* 122. *Ejus geſta* 123.
Jeremias 269.
Jechonias *Regno reſtitutus* 251.
Jeroboamus *Idololatra* 189.
Jethronis *conſilium Moſi datum* 84.
Joabus *Amaſam interficit* 175.
Joachas *Rex Iſraelitarum* 214. *Ejus geſta* ib.
Joachas *Rex Judæorum* 238.
Joachimus *victus* 239.
Joannes Baptiſta *pœnitentiam annuntiat* 326. *In carcerem truditur* 330. *Ad Chriſtum Diſcipulos mittit* 332. *Ab Herode occiditur* 335.
Johannes Evangeliſta *Cerinthum confutat* 390.
Johannes Machabæus 295.
Joas 214. *& ſequent.*
Jobus *opibus inclytus* 70.
Jonathas *Sauli filius* 139.
Jonathas *Machabæus* 289. *& ſequent.*
Joramus *ob impietatem caſtigatus* 209.
Joſaphatus 4. *Rex Judæorum* 194. *A Jehu Propheta reprehenſus* 201. *Ejus geſta* 202. *& ſequent. moritur* 208.
Joſephus *Jacobi filius in Ægyptum abductus* 59. *Ejus geſta* 62. *& ſequent.*

INDEX.

Joſephus *Mariæ Virginis ſponſus* 317.
Joſias *Rex Judæorum* 225. *Ejus acta* 226. *& ſequent.*
Joſues *& Calebus* 107. *& ſequent.*
Jothamus *decimus Rex Judæorum* 225.
Iſaacus 45. *& ſequent. Ejus mors* 61.
Iſraelitæ *caſtigati* 114. *A Medianitis opprimuntur* 117. *In Idololatriam labuntur* 121. *& ſequent.*
Judas Machabæus 281.
Judas *Jacobi filius* 66.
Judithæ *facinus* 269.

L.

Labanus *Jacobum inſequitur* 54.
Lamechus *primus duas habuit uxores* 18.
Lazarus *reſuſcitatur* 340.
Lothus 39. *Ejus geſta* 40. *& ſequent.*
Lux *quando primùm formata* 2.
Lyſias *Syrus à* Juda *profligatus* 281.

M.

Magi *Chriſtum adorant* 322.
Manaſſes *impius* 233. *Reſipiſcit* 234.
Marcus *Evangeliſta* 389.
Maria *Magdalena* 333. 341.
Mattathias *Idololatram occidit* 280
Maxentius *Imperator* 407.
Medianitæ *ab Iſraelitis victi* 105.
Michal *Davidis uxor* 145.
Minutius *Felix* 399.
Moſes *Aquis expoſitus* 74. *ejus geſta* 75. *& ſequent. A Paleſtina excluſus* 99.
Mundi *creatio* 1.
Mundi *dilavium* 22.

N.

Nabothi *vinea ab Achabo erepta* 199.
Nabuchodonoſor *Potentiſſimus* 244. *Regno pulſus per 7 annos* 251.
Nadabus *& Abihu igne conſumpti* 194.
Nathan *multa Davidi minatur* 163.
Nehemias *urbis conditor* 266.
Nero *in omnes crudelis* 373. *Se interimit* 378.
Ninive *à* Nino *condita* 29.
Ninus *domitor Aſiæ* 29. *univerſi pacem turbat* 28.
Niſan *menſis inſtitutio* 79.
Noes *arcam condit* 21. *Quando arca egreſſus* 23. *& ſequent. Moritur* 31.

O.

Ochozias *Iſraelitarum Rex* 212.
Ochozias *Rex Judæorum* 210.
Ochus. *Darius Nothus* 267.
Onias *Hieroſolymis lapidatus* 304.
Orante Moſe *vincunt Iſraelitæ* 82.
Origenes *Idolis ſacrificat* 401.
Othalia 213. *Juſſu Joiadis occiſa* 214.
Otho *imperator* 379.
Othoniel *Judex* 115.
Ozias *Rex Judæorum* 219. *Lepra correptus* 220.

P.

Pacorus *Partha Hircanum à monte deponit* 303.
Palæſtini *ab Iſraelitis victi* 133. *Davidi ſe ſubmittunt* 177.
Paulus 354. *Ejus manifeſtatio ante Diſcipulos Chriſti* 350. *Gentium doctor* 354. *In carcerem conjectus* 365. *Theſſalonicenſibus ſcribit*

bit 367. *In Syriam navigat* ib. *12 discipulos baptizat* ib. *In Macedoniam pergit* 368. *Manus Judæorum evadit* 369. *Coram Felice sistitur* 370. *Militem appellit* 371. *Multos Romæ ad Christum convertit* ib. *Epistolas varias scribit* 372.
Petrus *urbis Romæ Episcopus* 360. *Cornelium baptizat* 357. *Gentes ad fidem recipiendas ostendit* 358. *Martyrio coronatus* 374.
Pharao 78. *& sequent.*
Philadelphus *bibliothecam instituit* 276.
Philippus *Simonem Magum convertit* 353.
Philometor *Alexandri Regnum occupat* 291.
Philopator *in Judæos sævus* 277
Phrahates *Antiochus* 296.
Plautianus *Christianorum hostis* 398.
Pompeius 304. *& sequent.*
Præcepta *Judicialia* 86.
Prodigia *cladem Judæorum præcedentia* 376.
Pueri *Hebræorum in servitute* 250.

R.

Rebecca 48.
Rex *ab Israelitis postulatur* 134.
Roboamus *juvenum Consilium sequitur* 187. *& sequent.*
Romani *in Jerosolymitanos sævi* 311. 382.

S.

Salome *Zebedæi uxor* 340.
Samaria *Civitas* 194.
Samgar *Judex Hebræorum* 116.
Samris *se comburendum tradit* 194.
Samson 126. *& sequent.*
Samuelis *filii pravi* 134.
Saulus *primus Hebræorum Rex* 136. *& sequent.*
Sehon *Amoræus* 101.
Sennacheribi *clades* 238.
Serpentes *in Israelitas immissi* 100.
Sethus *Adamo genitus* 46. *& seq.*
Severus *Imperator* 398.
Sichemitæ *ob stuprum Dinæ occisi* 56.
Simeon *Christum agnoscit* 323.
Simeon *Machabæus* 292. *& seq.*
Simon *Magus* 373.
Sodoma *combusta* 43.
Sol *& Luna 4. die creati* 5.
Solomon *Rex* 179. *& sequent.*
Stephanus *lapidatus* 352.

T.

Tabernaculum *construendi modus* 91.
Tabulæ *Legum à Mose fractæ* 90.
Templum *à Solomone constructum* 184.
Tiberius *benè de Christo sentit* 355.
Titus *Hierosolymas obsidet* 382. *gratulatur ei Populus Romanus* 386. *Vespasiano succedit* 388.

V.

Valerianus *varius in Christi.* 402.
Vespasianus *Imperator* 378. 381.
Vitellius *misere excarnificatus* 380.
Volucres 5. *Die producti* 6.

X.

Xerxes *Persarum Rex* 262.

Z.

Zedechias *Judæis præfectus* 240. *A Nabuchodonosore obsidetur* 241. *Vinctus ducitur Babylonem* 242.
Zoroaster *cum Nemrodo certat* 30.

FINIS.